



B.

B. 102

137205801





COLLECTIO  
VARIARUM DISSERTATIONUM  
CASUM APOSTOLI  
I. AD CORINTH. CAP. VII. ὕ. 12. ET SQQ.  
ILLUSTRANTIUM.

PRÆMITTITUR PRÆFATIO  
A D  
CAROLUM LUD. RICHARD,  
*Dominicanum in partibus,*  
CUJUS OPUSCULO GALLICO  
SUBJICITUR COLLOQUIUM,  
*CUI TITULUS:*  
ΜΟΝΑΣΤΙΚ'ΟΛΗΡΟΣ.



LEODII,  
EX TYPOGRAPHIA J. F. BASSOMPIERRE  
MDCCLXXIX.

---

CUM APPROBATIONE.

Bibl. Th. III. B. 102  
Z<sup>e</sup> Be



1372 058 01



# PRÆFATIO

AD CAROLUM LUDOVICUM RICHARD,  
DOMINICANUM *IN PARTIBUS.*



Aturo examini olim subjeci dissertationes varias, de casu, ut vocant Apostoli, quæ annis 1770. 1771. & 1772. tum Lovanii, tum Gallipoli prodierant, quod eo me perduxit, ut minime dubitaverim assentiri iis, qui adversus communem scholasticorum doctrinam insolubile vinculum matrimonii, etiam in casu Apostoli *I. ad Corinth. cap. 7.* propugnant. Me, ut ita sentirem, potissimum moverunt rationes, quas vir clarissimus Judocus le Plat, in universitate Lovaniensi juris utriusque doctor & professor regius, in sua dissertatione historico-canonica attulerat, quas frustraneo conatu subruere tentaverat alter in eadem universitate sacræ theologiæ doctor, vir eximius Josephus Maugis, in sua, ut ait, prosecutione dissertationis theologo-canonicæ. Et hujus quidem theologi irritos & vanos labores ostendit alter jurisconsultus, Paulinus Nervius, in scripto, quod anno 1772. typis Gallipolitanis prodiisse dicitur. Rebar futurum, ut hæc disceptatio jam finem haberet, certus, eruditorum cætum pro jurisconsulto Lo-

vaniensî adversus scholasticorum tela iudicium ferre : nec dubitavi litteris meis, anno 1772. ad eum datis, ei gratulari, quibus & ipse humanissime respondit.

At ecce jam subito novus huic viro se opponit adversarius, scripto Gallice concinnato, \* quod, si titulo fides, Dupontii ex typographia ducali anno 1779. prodiiisset, cum tamen ante finem anni 1778. jam plurimorum manibus tereretur.

Auctorem cognoscendi cupidus, sine mora litteras dedi ad D. Le Plat, quibus & scriptum hoc & obscuri auctoris scopum breviter delineavi, rogans, ut si quod vellet adferre responsum, mecum communicaret, & quis esset novus hic hostis rescriberet. Ad has vir clarissimus in hunc modum respondit : " Quid de hoc scripto sentiendum, alii iudicent : mihi tale adparet, ut responso dignum non sit, cum præter scholasticas quasdam cavillationes & nugaces tricas nihil contineat : nihil solidi in eo reperies. Auctorem nosse desideras ? Is est Carolus Ludovicus Richard, Dominicanæ familiæ alumnus, qui e Gallia ad conventum Dominicanorum Bruxellensium, nescio qua de causa, se recepit. Hunc sub finem mensis Julii 1778. in atrio scholarum nostrarum vidi, quod narrat pag. 176. (LXII.) sui libelli, silentio premens aliud iter Lovaniense, quod 3. Novembris ejusdem anni instituit, cum comitem se adjunxisset eminentissimo nostro

\* En titulum : *Recueil de pièces intéressantes sur les deux questions célèbres ; savoir si un Juif converti au Christianisme, peut épouser une fille Chrétienne, lorsque son Epouse Juive refuse de la suivre, & si un Juif endurci devenu baron, peut nommer aux canonicats d'une collegiale de sa baronie.*



„ archi-episcopo , huc concionis habendæ causa  
 „ adventanti. Nosti, indubie, religiosum hunc  
 „ virum auctorem esse *dictionary universalis*  
 „ *scientiarum ecclesiasticarum*, quo quidem no-  
 „ mine sibi blanditur, uti & alterius operis  
 „ Gallici, quod *analysin conciliorum* inscripsit.  
 „ In suo dictionario eandem, quam ego pro-  
 „ pugno, pro insolubilitate matrimonii videtur  
 „ tueri sententiam: hanc jam respuit, qua mo-  
 „ tus ratione ignoro, nisi forte, \* *populo ut* \* Te-  
 „ *placrent, quas fecisset fabulas*: nullas certe rent.  
 „ mutatæ sententiæ rationes attulit. Sunt & prol.  
 „ quædam alia levioris momenti, quæ scrip- Andr.  
 „ sit, inter quæ, scriptum de quo agit pag. 184. 7. 3.  
 „ (LXV.) sui adversus me libelli \* *Ut exactius*  
 „ *supercilium hominis noveris, transmitto ad*  
 „ *te aliud ejus opusculum, pari studio elabo-*  
 „ *ratum.* \*\* *Quod me attinet, religiosam bi-*  
 „ *lem excitare nolo, nec, ut id facias, auctor*  
 „ *tibi esse velim.* „

Ita vir clarissimus, literis ad me 13. Janua-  
 rii 1779. datis. Scriptum ad me transmissum at-  
 tente perlegens, sensi verissimum esse, quod pro-  
 fessor Lovaniensis in sua ad me epistola obser-  
 vaverat, *pari id studio*, id est arrogancia, *elabo-*  
*ratum* esse, quod plus est, tot scommatibus  
 & meretriciis conviciis scaterere, ut vel ipsis ba-  
 latronibus facile palmam eripere posse videatur.

Interim non potui non mirari sub habitu S.  
 Dominici latere Judæum, latere Pharisæum,  
 nisi larvatus homo se ipsum prodidisset: vix  
 assequi poteram, qui fieri possit, ut ordo S.  
 Dominici, schola virorum pietate & doctrina

\* L'accord des loix divines, ecclesiastiques & civiles, relativement à l'état du clergé.

\*\* Les doléances du colonel *in partibus*, éditeur des Clémenti-Ganganelliens, à l'auteur des nouvelles ecclésiastiques.

illustrium, hujus generis hypocritas nutriat, qui fieri possit, ut hujus gentis & generis homo eminentissimo Mechliniensium archipræsuli comes fuerit. Judæum se esse scribit & palam fatetur variis in locis : \* Eum ex Pharissæorum secta esse, totus libellus demonstrat, adeo arroganter & tumide de se sentit, ubicumque ostentans supercilium Pharisæicum : ubicumque clamans, etsi nil nisi recoctam crambem, aut nugacia & plus quam absurda principia attulerit, se id ad evidentiam demonstrasse, solas a se adductas rationes esse veras, legitimas, certam sibi, ope scholasticarum suarum nugarum pollicitus victoriam, omnium in se provocans calamos, sub umbra partæ sibi laurus & de triumpho gloria certus requiescit. \*\*

\* Pag.  
5. 6.  
16. 73.  
76. 77.  
92.  
100.  
104.  
114.  
( IV.  
VIII.  
XXVII.  
XXVIII.  
XXXIII.  
XXXVI.  
XXXVII.  
XL. )

\*\* Juvabit aliquot ex ejus scripto loca adferre, quæ hujus asserti veritatem ostendant.

Pag. 5. (IV.) " On ne sera peut-être point surpris de voir un Juif tout seul vous attaquer tous ensemble, & qui plus est, avec la ferme confiance de vous mettre tous en déroute, présidens, conseillers, avocats, procureurs, greffiers, gens du roi, &c.

Pag. 49. (XIX.) " C'est la tâche que nous allons remplir, non en employant ces tours de phrase éblouissans, qui sont si ordinaires à messieurs les avocats, & qui ne peuvent servir qu'à égarer les juges, en leur faisant illusion, mais en mettant en œuvre des raisons si claires, qu'elles puissent porter la lumière de la conviction, dans les esprits mêmes les plus préoccupés, pourvu qu'ils soient justes, droits & sincères. "

Pag. 76. (XXVIII.) " Vous avez donc violé toutes les loix pour écraser un Juif converti. Vous venez de le voir, & je viens de vous le démontrer dans la première partie de ce discours. "

Pag. 111. (XXXIX.) " Je me flatte, Mgrs. & Mrs., de vous avoir démontré dans les deux parties de ce discours, que, par la plus absurde de toutes les contradictions, vous avez violé toutes les loix pour écraser un Juif converti, & pour favoriser un Juif endurci. C'est tout le but que je me suis proposé en vous l'adressant, dans l'espérance que vous ne repousserez pas

Uteumque autem vir clarissimus id mihi consilii dederit, ut a scribendo abstinere, recte observans scriptum hoc responso dignum non esse, non tamen a me impetrare potui quin typis nostratibus ederem, quæ hac in quæstione tum Lovanii, tum Gallipoli prodierunt, hoc ordine servato, ut præmitterem dissertationem theologo-canonicam eximii P. Maugis, cui subjicio dissertationem historico-canonicam clarissimi D. Le Plat, simul cum dissertatione illustrissimi præfulis Antonii Gervasii, quam excipiat prosecutio dissertationis theologo-canonicæ eximii P. Maugis, cui subnectatur responsum huic oppositum, sive certamen theologo-juridicum Paulini Nervii jurisconsulti: utque magis integra foret collectio, cuilibet scripto præmissi positiones, Lovanii in scholis juris hanc lite fervente propugnatas. His omnibus subjeci, quæ vir clarissimus Josephus Va-

„ le flambeau de la vérité que je vous présente, & que vous aurez le courage de réformer vos jugemens. „

Pag. 114. (XL.) „ Puissiez-vous joindre vos applaudissemens aux miens, & agir en conséquence, Messieurs & Messieurs du parlement de Paris. Ce sera pour lors que je me féliciterai de l'heureuse témérité qui m'a poussé à me mesurer moi seul contre vous tous. „

Pag. 116. (XLI.) „ Tant de candeur nous inspire la plus ferme confiance de faire une si belle conquête à la vérité, au moyen des observations suivantes. „

Pag. 127. (XLV.) „ Nous croyons bien plutôt, qu'à l'exemple de son maître ( S. Augustin ) il donnera tôt ou tard au monde le rare spectacle d'un savant qui fait dire; je me retracte, je me suis trompé. „ Sans doute, vu que les observations de nôtre Juif déguisé sont évidentes, & portent, selon lui, la lumière par tout.

Pag. 186. (LXVI.) „ Nous pourrions déjà poser la plume, & nous pourrions même le dire sans vanité à l'ombre de nos lauriers, puisque l'auteur ne peut débiter par des erreurs semblables, sans nous decerner la gloire du triomphe; mais nous aimons mieux le suivre encore quelque tems, par surabondance de droit. „

\* Tom. I. lib. 2. cap. 13. §. 369. & 370. & 371. Josephum a Riegger \* scripsit : ita , opinor , sisto collectionem amplam dissertationum Latinarum de casu , quem Apostoli vocant , simul & ostendo viros eruditissimos cum jurisconsulto Lovaniensi sentire. Præmittendam duxi hanc præfationem , quæ & causam adornatæ collectionis enarret , & præcipuos novi adversarii nãvos perstringat : si quandoque asperioribus verbis utar , id sibi imputet , nam ab hoc scribendi modo vix temperare mihi potui , videns negotium esse cum ambitione & hypocrisi Pharisæica , quam non possum non detestari. Si deposito supercilio ad hæc scripta respondere velit , sacrum ipsi otium precor : at sciat non argutiis , non scholasticis vexis , multo minus scommatibus & conviciis pugnandum esse , rationes serias adferendas : redarguenda momenta per virum celeberrimum Engelbertum Klupfelium ord. eremit. S. Augustini sacræ theologiæ doctorem & professorem Friburgensem adducta in eleganti dissertatione , quam inscripsit : *Tertulliani mens de indissolubilitate matrimonii infidelium altero converso* : enervanda esse , quæ de eadem controversia scripsit vir clarissimus Hilarius Robeck , ord. S. Augustini sacræ theologiæ doctor & professor in universitate Pragensi : subvertenda , quæ adferuntur in eleganti dissertatione Gallico idiomate conscripta , quæ reperitur in Bibliis sacris Latine & Gallice anno 1773. Parisiis & Avenione editis. \* Id si præstare , si rationum illic adductarum munimina subruere possit , cum illustrissimo Gervasio

\* Tom. xv. pag. 454. & seqq.

*candide profiteor* (nec dubitem quin idem profiteatur jurisconsultus Lovaniensis) *me ita animo affectum esse, ut paratissimus sim revocare sententiam, quam primum me errasse convictus fuero*, quod nullatenus evincunt ea, quæ in stolido suo scripto larvatus nãmiarum architectus tanta cum arrogantia attulit.

Etenim vanis & ineptis ratiunculis scriptorem hunc semper pugnare reperi, & ita quidem, ut ad nauseam usque pro certo assumat id, de quo quæritur, quod in scholis *petitionem principii* vocant. Ne temere quisquam hæc a me dicta putet, advertat benevolus lector, versipellem hunc hominem continuo rationes suas inde subducere, quod hæc, quam fovet sententia, in ecclesiæ catholicæ doctrina, praxi & continua traditione fundata sit: an id ipsum ita sit, controvertitur: id negat professor Lovaniensis, id negant omnes, qui cum eo sentiunt, &, ut mihi quidem videtur, rationes negandi tam urgentes adferunt, ut nullus, nisi præjudiciis quisquiliarum scholasticarum imbutus, aliter sentire possit. Face scat ergo hæc, quæ ubique in hoc scripto prostat sententia: *hæc est constans doctrina, hæc est praxis, hæc est traditio ecclesiæ catholicæ*: id non asserendum, sed probandum fuisset, cujus rei probationem si fuscipere voluisset adversarius, non *ecclesiasticam*, opinor, sed *scholasticam* doctrinam & traditionem reperisset. At cum hæc tum in dissertatione historico-canonica, tum in certamine theologo-juridico Paulini Nervii fusius deducta sint, ad hæc scripta lectorem remitto, contentus alios quosdam insigniores personati adversarii errores refellere. Ad rem itaque. Principium proponit, ecclesiam dispensare posse in lege divina positiva: inde

deducit, penes ecclesiam esse, solvere vinculum matrimonii certis in casibus : \* inde tanta cum emphasi asserere audet ; errorem intolerabilem & capitale, talem denique , qui funditus destrueret possit auctoritatem ecclesiæ, contineri in hoc clarissimi viri asserto : \* ” Licet matrimonium  
 \* Vide pag. 25. & seqq. „ suam obtinuerit insolubilitatem in ipso mundi principio ex jure naturali, divino & de-  
 (xi.) \* Vide pag. 177. „ in evangelico, non tamen operatur hæc insolubilitatis lex, quin in aliquo casu solvi  
 (Lxii) & seqq. „ possit : *sed oportet, ut hic casus sit expressus ab eo, qui matrimonii insolubile vinculum pri-  
 „ mus statuit, quique solus dicto juri derogare potest.*” Quid multa ? Totus in eo est, ut stabiliat ecclesiam dispensare posse in lege divina positiva, certis in casibus, neque necesse esse, *ut hic casus sit expressus ab eo, qui legem tulit.*

Ast non dubitem ego quin hoc ejus principium, non dicam temerarium, sed & impium & absurdum sit: hoc enim admisso, sequetur ecclesiam dispensare posse tum in necessitate baptismi, tum in aliis novæ legis sacramentis: ecclesiam efficere posse, per suam dispensationem, ut parvuli, quin & adulti, sine baptismo morientes, salvi fiant : efficere poterit, ut in alia materia, quam in pane & vino, Eucharistia valide conficiatur : &c. hæc enim omnia, quæ ad sacramenta pertinent, profluunt ex lege divina positiva, in qua, si fides adversario, homini de victoria certo, ecclesia certis ex causis pro salute fidelium dispensare poterit

Ut propius ad instituti rationem deveniamus, eodem jure efficere poterit ecclesia, ut viro liceat plures eodem tempore habere uxores : cum enim hæc polygamia non sit contra prima præcepta legis naturæ, \* sed tantum jure positivo divino prohibita, cum oporteat, ut sint casus, quibus hæc polygamia, (non minus

\* pag. 21.  
 (x.)

quam disruptio vinculi matrimonialis ) licita  
 fiat, cum oporteat, ut existant potestates sive in  
 cælo, sive in terra, quæ hanc permittant \* cer- \* pag.  
 tis in casibus, cum potestas cælestis, quæ id 23.  
 permittere possit, indubie sit Deus, \* cum id (x)  
 quod Deus per se possit, etiam per suos mini- \* pag.  
 fros tanquam vicarios & suæ potestatis deposti- (x)  
 tarios \* possit, cum hanc in terris potestatem \* pag.  
 ecclesiæ concesserit, ut ratio, auctoritas & fa- 25  
 cta evincunt, \* consequens omnino est, ut ec- (xr.)  
 clesia ope suarum dispensationum polygamiam \* pag.  
 hanc licitam efficiat. 25. &  
 seqq.

Nunquam credidissem viro, qui a teneris le- (xi.)  
 gem Christi se meditatam esse asserit, \* hæc \* pag.  
 opinionum monstra excidere potuisse, nunquam 6.(iv.)  
 sub habitu S. Dominici tam strenuum polyga-  
 miæ defensorum quævissem, nisi larvatus scrip-  
 tor, palam se Judæum professus, cerebrina  
 hæc sua commenta publici juris fecisset.

Suspicio ego similibus principiorum parentes  
 fuisse protestantium principes Lutherum, Me-  
 lanchtonem & Bucerum, qui anno 1539. Phi-  
 lippo Hassiæ indulserunt, ut duas eodem tem-  
 pore haberet uxores \*: certe, si casus occur- \* Fleu-  
 rat, noster Dominicanus ea suggeret, nec ulla ry hist.  
 habenda fides celeberrimo Bossuetio aliisque eccl.  
 scriptoribus catholicis, hanc dispensationem ut lib.  
 legi divinæ contrariam traducentibus, rejicien- 139.  
 da doctrina Innocentii III., qui, utcumque §. 10.  
*in cap. 2. & 3. de translat. episc.* durius & \* Boss.  
 minus recte loquatur, alio tamen in loco ad hist.  
 Philippum Augustum Galliæ regem hunc in des  
 modum describit \*. ” Sed in carnali commer- variat.  
 ,, cio inter te ac reginam conjugem tuam adeo lib. 6.  
 ,, est processum, quod si etiam illi tantum \* In-  
 ,, confessioni vellemus insistere, quam nuper noc. III.  
 ,, eadem regina fecisse proponitur coram præ- epist.  
 ,, ep. 106. lib. xv.

edit. „ dicto abbate de Trapa & dilecto filio magif-  
 Baluz. „ tro Roberto de Corzon, nunc tituli S. Ste-  
 tom. 11. „ phani in Cælio monte presbytero cardina-  
 pag. „ le, non auderemus super hujusmodi casu pro  
 638. „ te aliquid diffinire, propter illam sententiam  
 „ evangelicam, quam ipse Christus expressit,  
 „ videlicet, *Quod Deus conjunxit, homo non*  
 „ *separet*, cum absque dubio nec sanctorum  
 „ exempla nec patrum decreta intentioni tuæ  
 „ in hoc articulo suffragentur. Verum si super  
 „ hoc absque generalis deliberatione concili a-  
 „ liquid tentaremus, præter divinam offensam  
 „ & mundanam infamiam, quam ex eo posse-  
 „ mus incurrere, forsan ordinis & officii nobis  
 „ periculum immineret, cum contra præmis-  
 „ sam veritatis sententiam nostra non possit  
 „ auctoritas dispensare. „ Dolendum sane, quod  
 Innocentius III. religiosum nostrum Carolum  
 Ludovicum consultorem non habuerit, is in-  
 dubie docuisset, quod nunc publice asserere  
 non veretur: „ Lex insolubilis vinculi matrimo-  
 „ nii est divina positiva: ut in ea dispen-  
 „ tur, non oportet, ut hic casus sit expressus  
 „ ab eo, qui hoc vinculum statuit: id asse-  
 „ rere falsum & ridiculum est: immo damnan-  
 „ dum, perniciosum & capitalem errorem hæc  
 „ assertio involvit: \* primi ecclesiæ pastores  
 \* pag. „ hanc a Deo potestatem habent, ut non tan-  
 180. „ tum in suis, sed & in legibus divinis mere  
 178. „ positivis dispensare possint, subinde enim hæ  
 (LXIII) „ dispensationes necessariæ aut utiles sunt vel  
 „ ecclesiæ, vel ejus membris: tolle hanc fa-  
 „ cultatem, potestas regendi per Christum Do-  
 „ minum sponsæ suæ concessa insufficientis e-  
 „ rit, eo quod deficiet in casu, quo bonum  
 „ five generale five particulare dispensationem



„ requirit : \* tua ergo auctoritas, sanctissime \* pag.  
 „ pater, contra hanc veritatis sententiam, 180.  
 „ *Quod Deus conjunxit, homo non separet*, (LXIV)  
 „ dispensare potest : falsum est sanctorum exem-  
 „ pla & patrum decreta intentioni regis in hoc  
 „ articulo non suffragari : integræ theologorum  
 „ & canonistarum phalanges, praxis etiam ec-  
 „ clesiæ docent variis in casibus, interveniente  
 „ auctoritate ecclesiæ vel papæ, capitæ ecclesiæ  
 „ visibilis, solvi posse hoc vinculum. \* \* pag.

Sed videamus quibus rationum momentis 73. 74.  
 hæc Judaica asserta stabilire conetur., Lex divina, (XXVII)  
 „ inquit, \* in sacris literis contenta, de harum \* pag.  
 „ natura participat : illa, ut & hæ, diversos 180.  
 „ sensus admittit : obscura est, intellectu dif- 181.  
 „ ficilis, muta, nec seipsam exponit : excep- (LXIV)  
 „ tiones patitur, quas nullibi supremus legisla-  
 „ tor expressit, cujus rei judicium ecclesiæ suæ  
 „ concedit : falsum ergo est \* legem divinam \* pag.  
 „ non admittere exceptionem nisi in casibus a 182.  
 „ supremo legislatore in sacro codice expressis. (LXIV)

Cum larvis pugnare videtur noster, omnia-  
 que miscere, ut viri clarissimi assertum subruat.  
 Certe nec vir ille, nec ullus catholicorum ne-  
 gat ecclesiæ esse judicare de vero sensu & inter-  
 pretatione scripturarum sanctarum ; at nullus,  
 opinor, inde eruet legem divinam exceptio-  
 nem aut dispensationem admittere extra casum  
 a legislatore expressum : differunt hæc, sensum  
 legis obscuræ interpretando proponere, & a le-  
 ge clara exceptionem in ea non propositam fa-  
 cere, aut adversus eam dispensare : hæc mis-  
 cens adversarius, ad tyronum subsellia rele-  
 gendus est.

Interim stolidum hoc suum assertum infinitis  
 exemplis probari posse sibi persuadet : adfert &

nonnulla, quæ retulisse juvabit. Risum teneatis amici.

\* pag. 182. (LXIV) Lex divina, inquit, \* opera servilia prohibet sacris diebus Dominicis: hæc vero lex variis in casibus exceptionem admittit: & hoc invento sibi plaudens, rogat virum clarissimum, ut adferat sacræ scripturæ loca clare has exceptiones stabilientia.

Hic certe iudicium in homine requiro, & tædet me ad similes ineptias respondere: id ex eo quæro, quo in loco repererit legem divinam opera servilia diebus Dominicis prohibentem? Indubie Phariseus noster credidit observantia legis Mosaicæ Christianos adstringi, & forte sibi persuadet hos etiam esse circumcidendos: id si velit, non reperiet legem divinam opera servilia diebus Dominicis, sed diebus Sabbathi prohibentem: exceptionem ab hac lege in scripturis expressam cum desideret, hanc jam olim Christus Dominus dedit, dum Phariseos, ava-

\* Luc. xiv. 5. *Cujus vestrum asinus aut bos in puteum cadet, & non continuo extrahet illum die sabbati?* Et rursus: \* Mat. th. xii. 12. *Licet sabbatis benefacere.* Id si adversarius non admittat, denuo ostendet se ab hypocrisi majorum suorum non degenerasse.

At crediderit forte legem divinam de sanctificando sabbato esse perpetuam, apud Christianos diem Dominicum subrogatum & ad regulas sabbathi Judaici, vi ejusdem legis divinæ, institutum esse. Id si credat, adeat Justinum in dialog. cum Tryphone Judæo, qui docet, & circumcisionem & sabbatum Judæis propter duritiam cordis imperatum, & legem hanc temporariam fuisse.

Accedat Tertullianum, qui in libro adversus Judæos cap. IV. ita loquitur: *sequitur ita-*

que, ut quatenus circumcisiones carnales & legis veteris abolitio expuncta suis temporibus demonstratur, ita Sabbati quoque observatio temporaria fuisse demonstratur .... Omne opus servile non facietis in eo, præterquam quod ad animum pertinet. Unde nos intelligimus, magis sabbatizare nos ab omni opere servili semper debere., & non tantum septimo quoque die, sed per omne tempus. Et cap. II. dixerat : qui contendit & sabbatum adhuc observandum quasi salutis medelam, & circumcisionem octavi diei propter mortis comminationem, doceat in præteritum justos sabbatizasse aut circumcidisse, & sic amicos Dei effectos. Ut paucis, discat adversarius, primos Christianos necessitatem colendi sabbati contra Judæos negasse, & asseruisse legem hanc temporariam fuisse : discat ex Justino, \* jam seculo secundo \* Apoc. 2. Christianos non die sabbati, sed die, qui solis dicitur, sacrorum causa in unum locum convenisse, id quod nulli præcepto divino, sed ad Antoin. consuetudini adscribendum : discat, nunquam Christianos Judæis, legem de observantia diei sabbati opponentibus, reposuisse se pro sabbato diem solis eodem plane modo colere, hancque illi substitutum fuisse, sed unice, præceptum de colendo sabbato temporarium, obligare desuisse, postquam Salvator aliud sabbatum perpetuum, multo sanctius colendum, inculcaverit, adeoque Christianos a necessitate illa liberatos esse. Discat Christianos morem hunc conveniendi die solis nunquam ad regulas sabbati Judaici instituisse, neque enim Judaico more quiescebant & ab operibus servilibus abstinebant, sed tantum *conveniebant*, & quidem Tertulliani tempore *ante lucem*, ut minus probabile sit eos ipsum diem in otio transegisse : discat ex Igna-

\*Epist. ad Ma-  
gnif. 29. tio, \* eos non Judaico more sabbatizasse, velut  
otio gaudentes, sed laborasse & spiritualiter me-  
ditatione legis gaudentes, *non corporis remissione*,  
\* can. sabbatizasse: discat ex concilio Laodiceno, \* Chri-  
stianis die Dominico non fuisse injunctum abso-  
lutum otium, sed tantum, *si modo possint, ut Chri-  
stiani*, id est, non tanquam ex jugo & necessi-  
tate legis, sed ex *libertate Christiana*, ut eo re-  
ctius possent sacris vacare. Discat ex concilio Au-  
relianensi III., \* absolutum die Dominico otium,  
\* can. 21. 28. ad Judaicam magis, quam ad Christianam obser-  
vantiam pertinere: discat ex *L. 3. Cod. de fer.*,  
Constantinum magnum fuisse primum, qui le-  
ge publica præcepit, ut diebus Dominicis ab o-  
peribus abstineretur, si casum necessitatis ex-  
cipias, *quo*, ut Eusebius ait, \* *absque ullo*  
\* De impedimento orationibus vacarent: discat ex Gre-  
vit. gtorio, \* perversos esse, qui prædicent diem Do-  
Conf. minicum Judaico more esse servandum. Et nunc  
lib. IV. novus hic scriptor pro certo nobis obtrudere  
cap. 18. conabitur eo die, ex præcepto divino ab om-  
\* Ap. ni opere servili abstinendum. Vah Judaicas nu-  
Grat. gas! Sed fere exciderat mihi cum Judæo nego-  
diff. 3. tium esse.

Nec saniora sunt, quæ adfert de obligatione  
juris divini residendi in beneficiis curatis, de  
pluralitate beneficiorum jure divino vetita, &c.  
Exceptiones in lege divina expressas, quas hac in  
re desiderat, dabimus, simul ac protulerit tex-  
tus legis divinæ de beneficiis ecclesiasticis agen-  
tes. Si scriptor hujus libelli, auctor, ut alibi ait,  
dictionarii scientiarum ecclesiasticarum, has si-  
milesque nugas scholasticas præteriisset, si regu-  
las de collisione variarum obligationum & offi-  
ciorum expendisset, si legisset opus Thomasi,  
quod

quod *jurisprudencia divina* inscribitur, \* si con- \* Lib.  
fuluisset prælectiones Heineccii in Pufendor- 11. cap.  
fium, \* a nugacibus his quæstionibus abstinuif- 2. §.  
set, nec sine ullo iudicio adeo discrepantia 123. &  
miscuisset: ast hæc innuisse sufficiat, ut quis- \* Lib.  
que videat rem mihi esse cum viro bonæ me- I. cap.  
moriæ, expectante iudicium. 5. §.  
18. &

Ridicula quoque & nulla refutatione digna  
sunt, quæ scripsit \*, quasi in hoc evangelii  
textu: \* *Nolite possidere aurum, neque argentum,*  
*neque pecuniam in zonis vestris &c.* Christus Do- \* Pag.  
minus clericis generale & absolutum præceptum 183.  
dedisset, a cuius vinculo e propriæ auctoritatis (Lxv.)  
penu se suosque ministros liberasset ecclesia. Ad- & sq.  
vertat, quæso, Christum Dominum illic Apof- \* Matt.  
tolos suos evangelicæ destinasse legationi, ac 10. v.  
necessaria tanto muneri instructione imbuisse. 9. &  
199.

\* *Hos duodecim misit Jesus: præcipiens eis &c.*  
v. 5. : divina missionis, convincendis de ea ani-  
mis, sigilla mandat v. 8., profequitur v. 9.  
*Nolite &c.* Communius nihil, nihil humanæ  
prudentiæ conformius, quam, ut itineri se ac-  
cingens, de omnibus necessariis se instruat: ne-  
cessaria præprimis sunt pera cum victu, calcei,  
qui tritis per viarum aspera aliis, secundi suc-  
cedant: vestis altera quam induat, altera, quæ  
priori madidæ vel attritæ succedat: & ne in  
via aliquid deficiat, crumena auro argentove  
referta. Cœlesti suæ missioni inutilem hanc re-  
rum farraginem nuntiat Christus, & a super-  
flua harum cura suos legatos avocat, dicens:  
*Nolite possidere*, Græce *μὴ κτήσασθε*, id quod  
Græcorum verborum periti vertunt: *Ne com-  
paretis &c.* & v. 10. *non peram* (ferendo uti-  
que cibo destinatam) *in via*, Græce *eis ὁδὸν ad  
viam*, *neque duas tunicas, neque calceamenta.*  
Rationem subjungit v. 10. : *Dignus enim est*

*operarius cibo suo.* Hoc itaque Christi Domini intentum, hæc objecti textus anima & spiritus, evangelicos prædicatores uni cælestium intentos curæ, a terrestrium rerum, earum imprimis, quarum defectu angere vel maxime homines solent, sollicitudine liberare, quo expeditius novum id viatorum genus, nullis onustum farcinis, nullis terrenis distentum curis, a sola mittentis prudentia dependens, suscepta queat defungi provincia, & concreditæ functioni totum vacare. Hunc esse unicum Christi Domini scopum, evidenter probat textus *Lucæ XXII. v. 35.*, ubi ad experientiam rei promissæ suos provocat: *Quando misi vos sine sacculo & pera & calceamentis, numquid aliquid defuit vobis? At illi dixerunt: nihil.*

Fateor quidem nonnullos sacre scripturæ interpretes existimasse in hoc textu contineri præceptum: at, iisdem ipsis iudiciis, fuit id non tantum *personale*, solos concernens Apostolos, sed & *temporale*, datum pro particulari hac missione, quam describit *Marc. VI. v. 72. & sq. & Luc. IX. v. 6.* Sed & in textu *Lucæ* jam adducto, *cap. XXII. v. 35.* ubi Servator passioni proximus manifeste ad hanc missionem alludit, præceptum id de re jam diu præterita fuisse innuit: quid? Eodem in loco *v. 36.* eos hoc præcepto solvere & contrarium præcipere videtur: *Sed nunc, qui habet sacculum, tollat; similiter & peram.* Non itaque voluit, ut Apostoli, gentibus prædicaturi, objecti textus *literam* observarent: Paulus etiam testatur, se apud multos suis sumptibus prædicasse, ne quemquam gravaret, *I. ad Thess. cap. II.* quod facere non poterat, nisi pecuniam *in zonis*, seu crumenis secum tulisset. Sed & ipse Christus Dominus loculos habens, Judæ curæ commissos, in quibus

portabantur, quæ mittebantur, \* suo utique \* Joan. exemplo pecuniæ in zonis possessionem evange-<sup>xii. v.</sup> lico præconi licitam fore ostendit. Fuerit itaque, ut volunt varii interpretes, præceptum pro particulari ea missione, in hac, quod injectum iis erat, præstiterunt Apostoli: postea vero, deficiente hac Domini iussione, non ita, sed, suæ relictis libertati satis fuit, si in his Domini scopum spectarent, & omnem sollicitudinem mundanam, evangelico doctore indignam, rejicerent. Ita commentatores, qui in his verbis præceptum admittunt. At nullus, nullus usquam, ante cucullatum nostrum Judæum, præceptum inde eruit absolutum ac generale, ecclesiam ejusque ministros ad unum omnes afficiens, ac omnem, etiam pecuniarum, eis possessionem abnuens. Ast cum ipsi, utpote Rabbino feni \* licitum videatur aliter scripturas \* Pag. interpretari, cum ipse vix curet saluberrimam 6.(iv.) legem Tridentini concilii, \* mirum videri non \* Sess. debet, si eum, aliter ac catholici doctores fo-<sup>4. de-</sup> lent, differentem offendamus. <sup>cret.</sup>

Et sane, si præceptum generale, perpetuum ac absolutum Christus Dominus dedisset *Matth.* <sup>deedit.</sup> *X. v. 9. & sqq. Nolite &c.*, simile quoque <sup>& usu</sup> *Matth.* <sup>sacr.</sup> *v. 8. Infirmos curate, mor-  
tuos suscite*: equid huic non satisfacit noster Rabbino-Dominicanus? Simile quoque præceptum dedisse censendus esset *v. 5.*, *In viam gentium ne abieritis, &c.*: eodem enim modo, eadem in instructione, eosdem ad Apostolos diriguntur versus 5. & 9.: id si Rabbiniço sensu intellexissent Apostoli, non invenisset noster, sub quo latitaret, Dominicanorum habitum. Simile quoque erit præceptum, quod in eadem instructione apud Marcum reperitur: *Et præcepit eis, ne quid tollerent in via, ... non pe-*

*ram, non panem, neque in zona æs. Marc. VI. v. 8. Ita quoque apud Lucam IX. v. 3. Certe si Rabbino, Parisiis in Belgium adventanti, non licuisset secum deferre vel panem, vel in zona æs, defecisset in via. En quo vergant principia, de quibus victoriam sibi pollicetur Phariseus noster. Non me latet S. Franciscum Assisium hoc evangelico motum oraculo suis præcepisse, ut huic ad amussim se conformarent: sed quis unquam id Christi ad totam ecclesiam, non Francisci ad suos existimavit esse præceptum? Cui unquam in mentem venit, quasi pontifex, Francisci institutum probando, cum tota, quoad bonorum possessionem, dispensasset ecclesia? Quis unquam somniavit solos in ecclesia, a tot annorum centuriis, juxta Christi præceptum vivere Franciscanos? Consilium quidem evangelicum Francisci continere institutum ad annum usque 1779. dixerunt omnes, præceptum in eo se invenisse finxit nemo. Quidni Rabbinum nostrum Luthero pejorem dicamus? Hic quidem ecclesiam ab institutoris sui præceptis defecisse, per plura tamen secula extitisse puram effutiit: at ille, præceptum generale & perpetuum ex hoc textu evidentissime deducens, ecclesiam omni tempore, etiam Apostolorum ævo, temporalia possidentem, ab initio infectam, a Christi Domini præceptis declinantem, eaque inutilia reddentem, effutire non erubescit. Quæ absurda! Ut verbo dicam: evangelicam legem in objecto Matthæi loco contineri vel credit Dominicano-Rabbinus, vel non credit: si hoc, qua fronte hunc textum adfert in exemplum dispensationis ab ecclesia datæ adversus legem divinam? Si illud, ad quid Dominica-*



nos, continuo civitates & pagos cum pera circumvagantes, non cohibet? \*

Adversus id, quod professor Lovanienfis dixerat : *Octo prioribus seculis SS. patrum constans fuit doctrina, matrimonium, etiam infidelium, natura sua, ac institutione divina esse insolubile, nihil aliud opponit, quam, quam quod alibi*

Hæc jam scripseram, cum casu se obtulit, qui hic laudatur libellus. En titulum. *L'accord des loix divines, ecclésiastiques & civiles, relativement a l'état du clergé, &c. par le P. Ch. L. Richard, professeur en théologie de l'ordre & du noviciat général des FF. Prêcheurs. A Paris &c. MDCCLXXV.* Obstupui, dum vidi Carolum Ludovicum Richard, Dominicanum & S. Theologiæ professorem, in eo libello textum evangelii *Nolite possidere &c.* eodem fere, quo jam exposui modo, interpretari pag. 66. 67. 68. & 69. Ait enim : " Ces paroles de Jesus Christ ne regardent que la personne même des Apôtres, tres auxquels il parloit alors, & encore relativement à la mission particuliere, qu'il leur ordonnoit pour le moment..... Ces paroles ne doivent pas se prendre à la lettre..... même à l'égard de la personne des Apôtres, auxquelles elles s'adressent immédiatement. ,, Hæc quomodo subsistere possint cum iis, quæ in Judaico hoc scripto effutiit, vix capio : ita enim pag. 183. & 184. (LXV.) scribit : " Jesus-Christ défend expressément dans l'évangile à ses Apôtres de posséder ni or, ni argent, ni aucun bien temporel, nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris &c. " La déense est, ou ne peut pas plus formelle..... Voilà... un texte très-clair & très-precis de l'évangile, qui défend à l'église de posséder aucun bien temporel. ,, Suspicio eum hæc scripsisse, ut & in Belgio libellum suum *l'accord des loix divines &c.* commendaret, ut ita, per ejus distractionem, auri alicujus vel argenti possessionem adipisceretur : suspicionem hanc injiciunt varii hujus Dominicani proxenetæ, libellum hunc cum variis aliis ejusdem hominis scriptis, spe philanthropii indubie inescati, undique circumferentes & laudantes. Forte nec aberraret, qui diceret auctorem libelli fingere Dominicanum & sacræ theologiæ professorem : in hoc autem, de quo agitur, scripto, prodere se Judæum, Pharisaica sua commenta sine allo pudore obtrudentem.

\* pag. 38. (xv.) & seqq. se demonstrasse dicit, \* Origenem, Basilium, Epiphanium, Asterium & Lactantium, credidisse per adulterium solvi vinculum matrimonii, praxin hanc etiam in ecclesia occidentali fuisse vulgatissimam. Ast nonne sentit id nihil ferire, quem impetit adversarium? Quidcunque enim sit de quæstione, an propter adulterium solvi possit matrimonii vinculum, id casum Apostoli non attinet: sufficiat eos, qui ita crediderint, id censuisse, quia existimabant hanc exceptionem verbis legis, *excepta causa fornicationis*, expressam esse, qui quidem sensus, si Judæi nostri doctrinæ inhæreamus, est magis proprius & solus admittendus: \* itaque suis feratiunculis subvertit, ratiocinium instituens a casu verbis legis, ut vult, excepto, ad casum non exceptum.

Reliquos, qui sparsim in hoc scripto occurrunt, errores, lubens prætereo, contentus observasse omnes hos falso supposito, ut ajunt, \* pag. 190. (Lxvii) subnixos esse: sic \* fingit impedimentum matrimonium dirimens, quod *cultus disparitatem* vocant, lege aliqua ecclesiastica stabilitum, quod quidem falsum esse, vel ex ipsa dissertatione historico-canonica eruere potuisset. \* Id si non credat, adferat legem ecclesiæ, quæ hoc impedimentum statuat.

\* pag. 31. (XIII) Straminea sunt, quæ alibi attulerat \* ex concilio Eliberitano: si scientiis ecclesiasticis auctor analysi conciliorum apprimè fuisset imbutus, novisset inter eruditos controversi, an genuinum sit concilium Eliberitanum, novisset plures id negare: & si vel præfationem præmissam commentario celeberrimi Espenii in jus novum canonicum, Lovanii anno 1777. edit. inspexisset, rationes reperisset, hujus concilii

suppositionem indicantes : at crisin hanc frustra ab homine nullius iudicii expectes.

Nihil magis ridiculum, quam quod ait: \* ref- \* pag.  
ponsum viri clarissimi exim. P. Maugis datum, <sup>187.</sup>  
*idem respondent hæretici, dum negant divortii* (LXVI)  
*propter adulterium auctores esse homines, theolo-*  
*gos catholicos calumniari: eo quod hæretici,*  
*inquit, ex proprio spiritu ad divinam aucto-*  
*ritatem recurrant, cum hi fundamentum quæ-*  
*runt in patribus, pontificibus, scriptoribus ec-*  
*clesiasticis & praxi ecclesiæ. Oblitus certe erat*  
*eorum, quæ tam stolide quam temerarie scrip-*  
*serat, \* verba Christi Domini: \* Quicumque di- \* pag.*  
*mi erit uxorem suam, nisi ob fornicationem, &* <sup>45.</sup>  
*aliam duxerit, mæchatur, id velle, juxta plu-* (XVII)  
*rimos patres, concilia, pontifices, sacræ scrip-* \* Mat-  
*turæ interpretes, theologos, canonistas & ju-* th. XIX.  
*risconsultos, ut in casu adulterij liceat parti* \* 9.  
*innocenti ad alia vota migrare: quod plus est,*  
*hunc solum sensum esse naturalem, hunc so-*  
*lum huic textui attribui posse. Nescio profecto*  
*an Lutherus ipse vehementius quid adversus*  
*ecclesiæ doctrinam asserere potuisset: hæretici*  
*fane, admittis adversarii hujus assertis, facillime*  
*adferent se ad id sustinendum, non ex pro-*  
*prio spiritu ad auctoritatem divinam recurrere,*  
*niti se patribus, conciliis, pontificibus, sacræ*  
*scripturæ interpretibus, theologis, canoni-*  
*stis, jurisconsultis & praxi ecclesiæ: quin*  
*imo, hunc esse sensum naturalem verbo-*  
*rum Christi Domini, & hunc solum eis attri-*  
*bui posse. En quo vergant superciliosæ hujus*  
*hominis ineptiæ, & quomodo suis ipse se telis*  
*conficiat.*

Minus adhuc capio quid sibi velit ex conci- \* pag.  
liis Lateranensibus, Lugdunensi, Florentino <sup>124.</sup>  
& Tridentino, quasi hæc docuissent, in casibus, (XLIV)

de quibus agit decretalis Innocentii III. *cap. 7. de divort.*, vinculum matrimonii solvi. Velim e-  
go istorum hac in re conciliorum definitiones  
adferat, alioquin fateatur se fucum facere vo-  
luisse.

Ad reliqua, quæ adfert, jam diu responsum  
est in his, quas edimus dissertationibus: id  
unum addo, nec saniora esse, quæ de jure pa-  
tronatus in suo libello disputat, \*cujus juris  
non tantum originem, sed & prima, quæ vo-  
cant principia, se ignorare convincit.  
Tandem, quod certum esse ait, \*virum cla-  
rissimum Zegerum Bernardum van Espen quæ-  
tionem hanc serio examinasse in suo brevi com-  
mentario in decretum Gratiani *conf. 28.* (vult  
dicere *caus. 28.*) probatione indiget, neque enim  
textus Espenii ostendit virum hunc celeberrimum  
ferio in hac quæstione examen instituisse:  
multo minus verum est Espenium admittere  
distinctionem inter matrimonium *ratum* &  
*non ratum*, quasi apud antiquos patres aut theo-  
logos præsidium inveniret: verissima sunt, quæ  
de frivola & scholastica hac distinctione scrip-  
sit vir clarissimus §. XXXVI. suæ dissertationis  
historico-canonicæ, nec aliud de ea sensit Es-  
penius, dum ad *caus. 27.* ejusdem commentarii  
ita scribit: "Ex his haud difficile est intelli-  
gere, triplicem distinctionem illam, canonistis  
& theologis familiarem, sponsalium de futuro,  
*matrimonii rati*, sive sponsalium de præsentem,  
& matrimonii consummati, Gratiano notam  
fuisse; imo forsan primo a Gratiano expressa  
& impensa, ejusdem auctoritate a canonistis  
& theologis recepta fuit.", Espenius itaque  
suspicitur distinctionis hujus scholasticæ patrem  
esse Gratianum, hanc ipsam canonistas & theo-  
logos, auctoritate hujus monachi deceptos, cæ-

\* pag.

27.

(xxviii

&amp;

seqq.)


\* pag.

191.

(Lxvii)

co impetu fuisse amplexos : cæterum, veteribus hæc frivola fuisse ignota. Adjiciam, me viri hujus hac in re suspensionem pro veritate habere, cui opinioni inhærerere licebit, donec vel adversarius, vel quisquam alius docuerit, hanc distinctionem ante Gratianum & ante natas quisquilias scholasticas notam fuisse : nec magis in sacra antiquitate eam fundatam esse crediderim, quam publicæ honestatis impedimentum, quod ex sponsalibus consanguineorum, aut quod sponsalia subsequitur matrimonio, ut vocant rato, oritur : quod, uti & hæc, in palæstris theologorum & canonistarum originem accepit, postquam, pacatis Longobardorum animis, scholasticus pulvis cœpit agitari. \* Dum itaque Innocentius III. in cap. 7. \*Vide  
 § de divort. eadem distinctione utitur, ve- præfat.  
 rissime asseritur, quod & observavit illustris- Le  
 mus Gervasius, Innocentium III. ab hoc impu- Plat in  
 ro fonte ( Gratiano ) deceptum bibisse : ne- Esp.  
 que, ut id everteretur, moderni, sed antiqui scri- com-  
 ptores fuissent adferendi : ex ipso quoque Es- in Gra-  
 penii opere, si vel unum aliudve folium præ- tian-  
 cedens maturo examini subjecisset adversarius, pag-  
 suspensionem recentioris doctrinæ haurire potuis- cxvii.  
 set : sed mirum videri non debet, si hujusmo- not.  
 di scriptor tam leviter procedat ; diceres eum ( t )  
 huic scribendi generi esse assuetum, inde lucrum  
 venari, quod eo liquidius est, quo citius aliquot  
 pagellas conspurcaverit.

*On ne peut trop déplorer l'abus, qui fait qu'on  
 ne craint pas d'ériger en dogmes de foi ses opi-  
 nions particulieres. Rec. de piec. interess. sur  
 les deux quest. celeb. pag. 137. (xlix)*



# LOVANIÏ

IN PUBLICO JURIIUM AUDITORIO,

die 6. Julii 1770.

propugnata fuit sequens positio :

*Ad epist. 1. ad Corinth. cap. 7. v. 15. junct.  
cap. 7. 8. § de divort. & can. 2. quæst. 2. caus. 28.*

Ex historia concilii Tridentini constat, acerrime ibidem agitatam fuisse quæstionem, utrum in casu, quem communiter casum Apostoli vocant theologi, parti conversæ liberum sit ad secunda vota migrare? Negavit id ex celeberrimis in eo concilio theologis Petrus Soto. Hujus sententiam, ut verriorem, amplectimur.

Propugnata quoque fuit in eodem auditorio die 19. Octobris 1770.  
sequens assertio :

*Ad 1. ad Corinth. cap. 7. v. 15. D. August. lib. 2.  
cap. 5. de adult. conjug. junct. caus. 28. quæst. 2.  
can. 1. & cap. 7. & 8. § de divort.*

In casu, quem Apostoli vocant, plurimum est sententia, parti conversæ liberum esse ad alia vota migrare, qui de hoc dumtaxat disputandum esse credunt, quo tempore prius matrimonium solvatur, an statim ac conjux ad fidem convertitur, an tantum quando infidelis monitus renuit legitime cohabitare, an vero tunc tantum, quando fidelis ad alias nuptias transit? Posteriores sententiam tot sequuntur, ut ea facile numero interpretum vincat. Inter hos est Sanchez *lib. VIII. disp. 75. de matrim.* At is, ut & plures alii, recte sibi objiciunt: *posterius matrimonium iniri, priorè permanente non posse.* Respondent autem: *satis*

A

*esse prius natura dissolvi prius matrimonium in genere causæ materialis, in quantum ea dissolutio est dispositio requisita ad valorem posterioris matrimonii : at posterius natura in genere causæ efficientis, quatenus illa dissolutio est posterioris matrimonii effectus : sicut contingit in generatione unius, expulsiōneque formæ contrariæ. At hæc ratio inepta admodum & ridicula nobis adparet, talis certe, ut absurdum foret dicere de ea vel cogitasse Apostolum. Unde cum ex D. Augustino doceamur, quod nullius viri posterioris mulier uxor esse incipiat, nisi prioris esse desierit, & exceptio contra indissolubile matrimonii vinculum ex verbis Apostoli non possit erui, consequens est, ut hoc casu vinculum matrimonii dissolvi negemus.*

Adversus has positiones, circa finem mensis Novembris ejusdem anni, prodiit

## D I S S E R T A T I O T H E O L O G O - C A N O N I C A

Utrum in casu Apostoli i. ad Cor. 7.  
parti conversæ liberum sit ad  
secunda vota transire ?

P E R

F. JOSEPHUM MAUGIS

Ord. erem. S. P. Augustini, in alma  
universitate Lovanienfi  
S. T. D. R. &c.

*Nihil innovetur.* S. Steph. ad S. Cyp.





## PROÆMIUM.

Uam sit periculofum, multosque  
infaustos exitus habere natum,  
Q contra Romane ecclefie fenfum  
& praxim novitias opiniones id-  
troducere, cuncta retro ſacula triſti  
nimis experimento comprobant.

Ex multis exemplis unum domtaxat, preſenti  
rei non importunum, cunctisque notum, refe-  
ram. Ab hæreſi ad fidem catholicam reverten-  
tes abſque baptiſmatis reiteratione ſuſcipiebat  
S. mater eccleſia. Inceperunt nonnulli, & max-  
ime in oriente, ex bono quidem zelo, ſed non  
*ſecundum ſcientiam*, novam praxim inducere, &  
contra communem eccleſie morem, dictos hæ-  
reticos ad eccleſiam redeuntes rebaptizare; bre-  
vique tempore malum hoc, ceu febris quadam  
peſtilens, ex oriente ſerpiſit in Africam, viroſ-  
que non paucos, ſanctitate & doctrina celeberrim-  
os, invaſit. Quantas autem iſta novitas excita-  
verit in eccleſia turbas, & quam infelices fue-  
rint illius exitus, nemo eſt, qui ignoret; unde  
illis recensendis ſuperſedeo.

Res non multum abſimilis contingit in diebus  
noſtris. Communis ſemper fuit eccleſie Romane  
ſenſus, poſſe partem, ab infidelitate ad fi-  
dem converſam, ad alias nuptias tranſire, dum  
pars altera in infidelitate remanens, renuebat ei  
cohabitare; &, ubi caſus contigit, a ſecundis  
nuptiis dictam partem converſam eccleſia non


repulit. Incipiunt interim nonnulli opinionem novam inculcare, quam non noverunt patres nostri, afferentes in casu Apostoli, liberum non esse parti conversæ ad secunda vota migrare: & utinam iis dumtaxat in locis permanisset illa novitas, in quibus primum exorta est. Sed, proh dolor! Nostra etiam pervasit, illaque nonnulli, velut recentioribus quibusdam delicatioribusque fructibus, mox delectati sunt. Cum autem hæc illorum opinio graves cum in ecclesia, tum in republica possit habere sequelas & excitare turbas, illam non tam inquirendam, quam stabiliendam veritatis gratia discutere mihi est animus.





## PROPOSITÆ QUÆSTIONIS RESOLUTIO.

Certum est in casu Apostoli, I. ad Cor. VII.  
parti conversæ liberum esse ad secunda  
vota migrare.

I.  Um certum dico in casu  
Apostoli, parti conversæ li-  
citur esse ad secunda vota  
migrare, non ideo certum  
asserō, per conversionem  
alterutrius partis, aut Bap-  
tismi susceptionem, altera  
nolente illi cohabitare, conjugium solvi. Alia  
siquidem est quæstio, utrum in casu possit pars  
conversa aliud matrimonium contrahere, &  
utrum per conversionem ad catholicam fidem,  
aut baptismi susceptionem, parte altera disce-  
dente, matrimonium solvatur: de prima non est  
dubium, de secunda fuit aliquando disputatum.

II. Audiri hac super re meretur Benedictus XIV.  
pont. max. in præclaro opere de synodo lib. VI.  
„ cap. 4. „ Sed alia, inquit, hinc oritur contro-  
„ versia de temporis momento, quo rescindatur  
„ foedus connubii, de quo est sermo. Plerique  
„ doctores sentiunt, interpellato conjuge infi-  
„ deli, eoque aut expresse abnuente legitime

„cohabitare cum fidei, aut intra terminum,  
 „sibi in interpellatione præfixum, nihil respon-  
 „dente, dissolutum statim censei vinculum  
 „conjugii, quo erant ambo conficti. Alii ar-  
 „bitrantur, tunc primum dirimi, cum conjux  
 „conversus alteras nuptias contrahit. „ Et qui-  
 „busdam interjectis, relatoque, quod anno 1726.  
 Florentiæ casus contigerit, cujus enodatio ab  
 illius quæstionis decisione pendeat, subdit:  
 „Nos pro nostro, quod tunc gerebamus, se-  
 „cretarii munere, dissertationem elucubravimus,  
 „qua luculenter ostendimus, ex enuntiatis sen-  
 „tentiis, posteriorem esse tam inter antiquos,  
 „quam inter recentiores theologos & canoni-  
 „stas fere communiter receptam. „ Et hæc etiam  
 est sententia S. Thomæ, cui adhæreo.

III. At, inquis, si per conversionem unius  
 partis, altera discedente, non solvatur matrimo-  
 nium, ergo pars conversa non est libera. Quo-  
 modo igitur fieri potest, ut, qui nullo instanti  
 liber est, validum possit inire matrimonium?

R. Latet hic æquivocatio, qua detecta, nihil  
 supererit difficultatis. Dico itaque, fieri quidem  
 non posse, ut, qui nullo modo liber est, vali-  
 dum possit inire matrimonium, at fieri potest,  
 & fit, ut qui nullo instanti liber est a matri-  
 monio ante contracto, liber tamen sit a servi-  
 tute matrimonii, seu ab obligatione permanendi  
 in contracto primitus matrimonio, quo posito,  
 validum, in casu Apostoli, poterit inire matri-  
 monium.

IV. Possè autem quempiam a matrimonio non  
 esse liberum, & tamen liberum esse ab obliga-  
 tione in eodem permanendi, evidens est in ma-  
 trimonio, etiam inter fideles inito, quod, si  
 non fuerit consummatum, per solemnem in re-  
 ligione approbata professionem dissolvitur; quo

casu fidelis non est liber a matrimonio, cum fit matrimonio junctus, est tamen liber a servitute matrimonii, seu ab obligatione perpetuo manendi in matrimonio, quandoquidem primo bimestri possit, invita etiam comparte, religionem ingredi, & per solemnem in ea professionem matrimonii antea legitime contracti, sed nondum consummati, vinculum solvatur.

V. Dices cum quibusdam: saltem in casu, quo pars conversa, discedente infideli, transit ad secundas nuptias, idem temporis punctum uniet primum & secundum contractum, quod est impossibile.

R. Non ita est: sed uno & eodem temporis puncto perficietur secundus, & dissolvetur primus. An forte unum & idem temporis punctum unit, seu confociat matrimonium ratum & solemnem professionem in religione approbata emissam? Minime.

VI. Considerent ergo, qui ista objiciunt, quod, sicut eodem temporis puncto, quo perficitur solemnis professio, dissolvitur matrimonium ratum, ita ut simul numquam existant matrimonium ratum & professio solemnis, ita eodem temporis puncto, quo perficitur in casu Apostoli secundus contractus, dissolvi possit primus, ita ut simul numquam existant primus & secundus. His præmissis pro enodanda difficultate, quæ ipso in limine mox videbatur occurrere, & quæ a nonnullis sat serio objicitur, ad quæstionis resolutionem stabiliendam progrediamur. Itaque

VII. Probatur 1.<sup>o</sup> ex Apostolo primæ ad Cor. 7. v. 15. *Quod si infidelis discedit, discedat, non enim servituti subiectus est frater aut soror in hujusmodi.* Atqui maxime foret subiectus servituti, quam matrimonium inducit, si, comparte infi-

deli discedente, non liceret ei aliud matrimonium inire, ut per se patet; ergo &c.

VIII. Respondent adversarii: Apostolum ibidem de illa dumtaxat agere servitute, qua tenetur uxori vir debitum reddere, & uxor viro, alterque alteri cohabitare, ita ut naturalis verborum istorum sensus sit: *Si infidelis discedit, discedat, in isto casu matrimonii debitum cessat, nec tunc debet fidelis cohabitare infideli.* At non uno ex capite vitiosa est ista responsio.

IX. Primo vitiosa est juxta ipsamet adversariorum principia, secundum quæ, in verbis scripturæ sacræ generaliter prolatis, non est facienda exceptio, quam ipsamet scriptura non fecerit. Ita siquidem illi ratiocinantur. „ Juxta Apostolum ad Rom. 7. ” quæ sub viro est mulier, vivente viro, alligata est legi; si autem mortuus fuerit vir ejus, soluta est a lege viri. Igitur vivente viro, vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro: si autem mortuus fuerit vir ejus, liberata est a lege viri. „ Hic, inquit, nulla est exceptio, generale est essatum, mulier iis catenis alligata est viro, quas sola potest mors rumpere. Quocumque casu, si fuerit cum alio viro, vocabitur adultera. Ita, inquam, illi discurrunt, ut probent, in casu, de quo agitur, non posse partem conversam ad secundas nuptias transire, quia nimirum generaliter & sine exceptione dixit Apostolus: *Vivente viro, vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro.*

X. Retorqueo itaque argumentum, & secundum principia ista, quibus nostri utuntur adversarii, ita discorro. In verbis scripturæ sacræ generaliter prolatis, non est facienda exceptio, quam ipsamet scriptura non fecerit: atqui generaliter & sine ulla exceptione pronuntiat Apostolus, seu per eum Spiritus Sanctus, quod, si in-

fidelis discedit, servituti, utique matrimoniali, subjectus non fit frater aut soror in hujusmodi; ergo generaliter & sine ulla exceptione verum est, quod pars conversa ab omni servitute matrimoniali fit libera: nulla siquidem est exceptio, generale est effatum, absolute & simpliciter dicitur, quod non fit servituti subjectus frater aut soror in hujusmodi. Sua proinde principia vel deserunt adversarii, vel si non deserant, fateri debent quod, illa sequendo, vitiosa fit data responsio, quandoquidem dictum Apostoli textum ad aliquam restringant servitutis speciem, ubi tamen Apostolus non de aliqua tantum servitutis specie locutus est, sed generaliter & sine ulla exceptione dixit: *Non enim servituti subjectus est frater aut soror in hujusmodi.*

XI. Frustra reponunt, quod per particulas *in hujusmodi* restringat Apostolus propositionem suam, velitque tantum docere, non esse obligationem in isto casu reddendi debiti, de qua obligatione fuerat locutus v. 3. Hoc, inquam, frustra reponunt: nam præterquam quod inter v. 3. & 15. nulla fit connexio, nulla unius ad alterum relatio, certum est, & in hoc consentiunt omnes scripturæ interpretes, quod particulae *in hujusmodi*, non designent aliquam servitutis speciem, a qua libera fit pars conversa, sed tantum determinent casum, in quo soror aut frater matrimoniali servituti non est subjectus, nempe, quando *infidelis discedit*; & in hujusmodi, seu in isto casu, teste Apostolo, generaliter & sine ulla exceptione a servitute liber est frater aut soror, & consequenter ad alias potest transire nuptias. Mirum sane, quod tam inauditam sacræ scripturæ interpretationem non vereantur aliqui tamquam genuinum scripturæ sensum proferre.

XII. Secundo, quando de sola habitationis se-

paratione agit Apostolus, sedulo monet, quod, si a marito discesserit mulier, manere debeat innupta, ut patet ex *v. 11.*: ergo si de eadem egisset *v. 15.*, eadem illi cura fuisset monendi partem conversam, ut similiter innupta maneret, & procul dubio explicasset de qua servitute ageret, dum dicebat, quod, discedente infideli, non esset servituti subiectus frater aut soror eiusmodi; explicasset, inquam, quod, licet non foret in isto casu pars conversa servituti illi subiecta, qua tenetur mulier viro, & vir uxori debitum reddere, illique cohabitare, ab illa tamen matrimoniali servitute non esset libera, qua tenetur uterque conjux, alterutro vivente, ad alias nuptias non transire, & consequenter quod, discedente infideli, deberet pars conversa manere innupta, maxime cum multo major esset ratio hoc monitum dandi *v. 15.*, quam *v. 11.*

XIII. Probatur hoc posterius. Versu 11. non dixerat Apostolus, mulierem a viro discedentem, servituti non esse subiectam, quod tamen dixerat *v. 15.*, & consequenter in versu 11. nihil erat, quod vel minimam potuisset præbere occasionem existimandi, mulierem a viro discedentem esse liberam, & posse ad alias nuptias transire. Hoc tamen non obstante, seu quamvis nullam rei istius existimandæ occasionem præbuisset, monendam duxit mulierem, a viro recedentem, ut maneret innupta; ergo a fortiori idem monitum dare debuisset *v. 15.*, quandoquidem dicendo simpliciter & sine addito partem conversam, infideli discedente, servituti non esse subiectam, occasionem quam maximam dedisset existimandi, partem illam esse omnino liberam, & ad secunda posse vota migrare.

XIV. Profecto, qui simpliciter & absolute dicit, aliquem servituti matrimoniali non esse sub-



jectum, simpliciter & absolute dicit, illum esse liberum, cum nihil aliud sit esse liberum, quam servituti non subjectum: dixerat autem Apostolus simpliciter & absolute, partem conversam, discedente infideli, servituti non esse subjectam; ergo simpliciter & absolute pronuntiaverat eam esse liberam, & consequenter de omnimoda libertate a matrimoniali servitute egerat, quia, si de illa non egisset, necessario debuisset propositionis suæ generalitatem restringere, explicando de qua libertate ageret, quandoquidem hoc non explicando, & suæ propositionis generalitatem non restringendo, ansam præberet existimandi, accipienda esse verba, prout sonant, & consequenter ab omnimoda servitute matrimoniali liberam esse partem conversam, seu ad secundas posse nuptias transire: atqui tamen hoc non fecit Apostolus, & quod tam serio monuit v. 11. non amplius monet v. 15., non dicit, quod pars conversa, discedente infideli, manere debeat in nupta, sed simpliciter & absolute asserit, quod, *in hujusmodi*, seu in casu, quo infidelis discedit a fidei, non sit servituti subjectus frater aut soror; ergo de illa servitute agit, qua tenetur uterque conjux, altero vivente, ad secundas nuptias non transire, & cui partem conversam declarat non esse subjectam.

XV. Præterea v. 11. agit Apostolus de muliere virum deserente: *Quod si discesserit, manere in nupta*, & quidem interdum deserente culpabiliter, cum, ut reor, nemo dicturus sit, quod mulieres viros suos deserentes, semper sint innocentes. Versu autem 15. agit de muliere vel viro, qui sine ulla culpa deseritur a comparte infideli. Dico *sine ulla culpa*, quia certum est, quod fides suscepta fidelem non reddat culpabilem, adeoque infideli justam non præbeat causam de-

ferendi fidelem. Certum est autem, quod a muliere virum suum deserente, & quidem interdum culpabiliter, per se & generaliter non fit ducenda paritas ad mulierem fidelem, quæ virum non deserit, sed ab ipso deseritur, & quidem sine ulla ipsius culpa: ergo ex eo, quod mulier virum suum deserens, & quidem interdum culpabiliter, manere deberet innupta, per se loquendo non sequebatur, quod pars conversa, quæ non deserebat, sed deserebatur, & quidem sine ulla ipsius culpa, etiam manere deberet innupta: ergo iterum ex hoc capite multo major erat ratio partem conversam monendi §. 15., quod, discedente infideli, manere deberet innupta, quam simile monitum dandi §. 11., quandoquidem per se & generaliter loquendo non fit nec debeat esse eadem conditio illius, qui deseritur, & qui deserit, illius, qui est sine culpa, & qui est culpabilis. Hoc tamen non fecit Apostolus; ergo &c.

XVI. Quid ergo, inquires, dicendum ad textum Apostoli ad Rom. 7., ubi generaliter & sine exceptione loquitur, dum dicit: *Quæ sub viro est mulier, vivente viro, alligata est legi; si autem mortuus fuerit vir ejus, soluta est a lege viri. Igitur, vivente viro, vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro?*

R. Quod contra nos inutiliter urgeatur, quia in casu, de quo agimus, pars conversa, vivente viro, non est cum alio viro. Vivit quidem, qui ante fuit vir ejus, sed non amplius vivit vir ejus, sive qui ante fuit vir ejus, non est amplius vir ejus, matrimonio ejus per subsequens partis conversæ coniugium dissoluto.

XVII. Sic v. g., si qua mulier post matrimonium ratum, sed non consummatum, in religione approbata solemniter profiteatur, emissa solemnique professione, non amplius vivet vir ejus, sed

tantum vivet ille, qui vir ejus ante fuit: & si postmodum gravi admodum de causa cum dicta muliere in voto solemni dispensaretur, posset cum alio matrimonium inire, etiam illo vivente, qui vir ejus ante fuit, sicut etiam posset alia mulier, quæ naturaliter fuisset mortua, & postmodum miraculose suscitata. Hoc in casu manifestum est, quod mulier, vivente viro, non esset cum alio viro, licet cum alio viro esset, vivente illo, qui vir ejus antea fuisset. Cum ergo hoc unum velit Apostolus ad Rom. 7. quod, nullo umquam casu, licitum sit mulieri duos habere viros, seu vivente viro numquam ipsi licitum sit alteri viro adhærere, frustra textus ille adfertur contra nostram, seu potius ecclesiæ sententiam, secundum quam utique sine ulla exceptione verum est, quod ad Rom. 7. dicit Apostolus. Si quis interim absolute contendat, quod verificari non possit communis ecclesiæ sensus, nisi ab illa sententia, quam ad Rom. 7. protulit Apostolus, ostendatur aliqua exceptio, exceptionem illam habet apud eundem Apostolum, ad Cor. 7., prout ostendi.

XVIII. Si respondeant adversarii, quod non adeo clarus sit Apostoli textus ad Cor. 7., & quod in eo difficultas aliqua aut ambiguitas lateat, audiant, velim, hoc Spiritus Sancti monitum Deut. 17. *Si difficile & ambiguum apud te iudicium esse perspexeris inter sanguinem & sanguinem, causam & causam, lepram & lepram, & iudicium intra portas tuas videris verba variari, surge & ascende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus, veniesque ad sacerdotes Levitici generis, & ad iudicem, qui fuerit illo tempore; quæresque ab eis, qui indicabunt tibi iudicii veritatem. Et facies, quodcumque dixerint, qui præsunt loco, quem elegerit Dominus, & docuerint te juxta*

*legem ejus ; sequerisque sententiam eorum, nec declinabis ad dexteram, neque ad sinistram.*

XIX. Loco sacerdotum Levitici generis, habemus in hac lege successorem Petri & vicarium Christi, seu Romanum pontificem. Habemus ecclesiam, non tantum sacrarum scripturarum, sed & genuini earum sensus depositariam. Cum ergo a recta & legitima sacræ scripturæ interpretatione quæstionis propositæ totaliter dependeat genuina solutio, ad quos ibimus, ut rectam illam & legitimam S. scripturæ interpretationem habeamus, nisi ad eos, quibus Christus *aperuit sensum, ut intelligerent scripturas?*

XX. Sane, ut ait Apostolorum princeps epist. 2. cap. 1. *Omnis prophetia scripturæ propria interpretatione non fit.* Si qua igitur in textu Apostoli Pauli difficultas, si qua sit ambiguitas, ut recta illius legitimaque habeatur interpretatio, illi sunt consulendi, quibus ex officio incumbit S. scripturæ sensum fideles docere. Consulendi sunt episcopi, quos *posuit Spiritus Sanctus regere ecclesiam Dei.* Si inter se illi discrepent, vel ipsi etiam SS. patres inter se non conveniant, seu *si judicum intra portas tuas videris verba variari,* consulenda est sedes apostolica, ad quam majores causas referre mos est, cuique, ut verbis utar illustrissimi Bossuet in communitorio expositioni doctrinæ catholicæ præfixo pag. mihi 27., *ab exordio Christianismi universa ecclesia reverenter auscultavit,* illa, inquam, consulenda est, ad cujus autoritatem teste D. Th. 2. 2. q. 1. a. 10. corp. *pertinet finaliter determinare,* quis sit verus & legitimus, sacræ scripturæ sensus, sacerdotisque, seu summi pontificis iudicio standum: nam, ut ait S. Cyprianus lib. 1. epist. 3. ad Cornelium: *Non aliunde hæreses*

*obortæ sunt, aut nata sunt schismata, quam inde, quod sacerdoti Dei non obtemperatur.* Hoc si attente consideraretur, quod, ut debita cum prudentia procedatur, Spiritus Sanctus monet faciendum, tot non essent, qui illos vellent corrigere, a quibus debent corrigi; tot non essent, qui illos vellent sacras scripturas docere, a quibus debent sacrarum scripturarum doctrinam & sensum accipere; verbo, tot non essent, qui sapere vellent, supra id quod oportet. Itaque propositæ quæstionis resolutio

XXI. Probatur 2<sup>o</sup>. ex S. Ambrosio, cujus non tantum apud catholicos, sed etiam apud hæreticos tanta autoritas & veneratio fuit, ut ipsemet Pelagius hærefiarcha de ipso loquens, dicere non dubitaverit: *Cujus fidem & purissimum in scripturis sensum ne inimicus quidem ausus est reprehendere*, prout videre est in Aug. lib. 1. con. Jul. num. XLVII., qui ibidem dicit: *Hoc Pelagius de Ambrosio judicavit.* Cujus ergo purissimum in scripturis sensum ne inimicus quidem ausus est reprehendere, hunc ego ab amicis non arbitror reprehendendum, unde illum incunctanter produco, tamquam verum sensum Apostoli assecutum.

XXII. Lib. 8. in Lucam scribens in hæc verba: *Omnis, qui dimittit uxorem suam, & ducit alteram, mœchatur, & qui dimissam a viro duxerit mœchatur*, ita commentatur: "Prius dicendum, arbitror de lege conjugii, ut postea de prohibendo divortio disputemus. Quidam enim, putant omne conjugium a Deo esse, maxime, quia scriptum est: *Quæ Deus conjunxit, homo non separet.* Ergo si omne conjugium a Deo est, omne conjugium non licet solvere; & quomodo Apostolus dixit: *Quod si infidelis discedit, discedat.*

XXIII. Ecce in terminis, ut aiunt, docet Ambrosius, dari aliquod conjugium, quod *licet solvere*, nempe, dum a parte conversa infidelis discedit. Quod autem hic non agatur de solutione quadam improprie dicta, seu, quæ consistit in separatione habitationis & tori, sed de ipsa solutione matrimonialis vinculi, clarius est, quam ut probari debeat: cum enim ostendere ibidem velit Ambrosius, dari aliquod matrimonium, quod non est a Deo, quia matrimonium aliquod solvere licet, nempe, dum in casu Apostoli discedit infidelis a fidei, si de illa dumtaxat ageret matrimonii solutione, quæ consistit in separatione habitationis & tori, jam non tantum probaret, quod matrimonium aliquod non sit a Deo, sed contra suum intentum probaret, quod nullum matrimonium a Deo sit, quia nullum est matrimonium, quod, certis de causis, solvi non possit quoad habitationem & torum. Proinde certum est, quod de solutione matrimonialis vinculi loquatur, dum asserit, quod in casu Apostoli, dum discedit infidelis a fidei, matrimonium possit dissolvi.

XXIV. Dices cum quodam jurisperito: Ad quæstionem nostram impertinens est locus iste: non agitur in textu citato de matrimonio infidelium inter se, sed Christianorum cum infidelibus inito, & quod consequenter nullum est. Probat hanc suam assertionem ex traductione verborum S. Ambrosii, quam fecit D. Gibert, & quæ est hujusmodi: *Si tout mariage vient de Dieu, il n'y a point de mariage, qui ne soit indissoluble, & néanmoins selon St. Paul le mariage d'un fidèle avec un infidèle est dissoluble, puisque l'Apotre dit: Si infidelis discedit, discedat. Il faut donc, que ce mariage, qui est dissoluble, ne vienne pas de Dieu, aussi la loi du Seigneur le defend.*

XXV.

XXV. R. Inprimis libenter quærerem ex isto advocato, ubinam didicerit, quod, tempore S. Ambrosii, matrimonium Christianorum cum infidelibus esset nullum? An forte nullum fuit S. Monicæ cum Patritio conjugium? Christiana tamen erat illa, & hic infidelis, ut patet ex Augustino lib. 9. Confess. cap. 9., ubi de matre sua loquens, ait: *nec in eo (scilicet viro suo) jam fideli planxit, quod in nondum fideli toleraverat.* Profecto a nostris temporibus ad tempora S. Ambrosii, pro nullitate matrimonii Christianum inter & infidelem contracti, velle argumentari, error est in viro docto intolerabilis.

XXVI. Proinde certum manet, quod, dum aliquod matrimonium solvi posse docet Ambrosius, de matrimonio agat inter infideles contracto, cum referat se ad locum Apostoli, quem constat ibidem de ejusmodi matrimonio agere. Deinde, si de matrimonio Christianum inter & infidelem contracto locutus fuisset Ambrosius, & illud censuisset esse nullum, quomodo potuisset dicere, quod matrimonium illud in casu Apostoli liceat solvere? An forte solvitur matrimonium, quod non existit? An non prærequiritur valor, seu existentia matrimonii, ut possit dissolvi? Profecto perinde fuisset, ac si dixisset Ambrosius, quod, in aliquo casu, liceat mulieri a viro non suo recedere, qui discursus non tantum fuisset tanto viro indignus, sed omnino ridiculus, quandoquidem non in aliquo tantum, sed in omni prorsus casu, debeat mulier ab illo recedere, cui invalide conjuncta est, seu qui vir ejus non est.

XXVII. Nec quemquam moveat verborum S. Ambrosii Gallica traductio, quam dedit D. Gilbert, & quam supra retuli: est siquidem illa traductio prorsus infidelis, & in textum Ambrosii illud intrudit, quod in eo non habetur, prout

conferenti textum cum traductione prima fronte apparebit. Intrusa, inquam, sunt illa verba: *Et néanmoins selon St. Paul, le mariage d'un fidèle avec un infidèle est dissoluble*; quæ in textu Ambrosii non habentur.

XXVIII. At, si hæc ita sint, si de matrimonio inter infideles contracto agat Ambrosius, quare ergo subtexit: *In quo & mirabiliter noluit apud Christianos causam residere divortii, & ostendit, non a Deo omne conjugium, neque enim Christianæ gentilibus judicio Dei copulantur, cum lex prohibeat?* R. Quia ab infidelibus transibat ad fideles, quos avertere volebat a ducendo jugo cum infidelibus, utpote cum ejusmodi matrimonia etiam non sint a Deo, quandoquidem illa Deus prohibeat, & propter cultus disparitatem nata sint infaustos exitus habere, rixas procreare, & divortii causam dare.

XXIX. Sed forte non deerit, qui reponat: „ Si  
 „ agat Ambrosius de solutione matrimonii quoad  
 „ vinculum, ergo, juxta ipsum, omne matri-  
 „ monium, quod a Deo non est, quoad vincu-  
 „ lum dissolvi potest. Constat autem multa esse  
 „ matrimonia, quæ a Deo non sunt, puta, quia  
 „ contra ejus præceptum fiunt, & quæ tamen  
 „ taliter dissolvi non possunt. Ergo necessario  
 „ intelligendus est Ambrosius de solutione ma-  
 „ trimonii quoad habitationem & torum, ut  
 „ subsistat ejus ratiocinium. „

Sed hanc sequelam nullatenus subsistere, luce meridiana clarius est. Ratio est, quia non probat Ambrosius aliquod matrimonium posse dissolvi, quia matrimonium aliquod non est a Deo, sed probat aliquod matrimonium non esse a Deo, quia aliquod matrimonium potest dissolvi, nempe, dum in casu Apostoli discedit infidelis a fide-  
 li. Ambrosii proinde ratiocinatio est hujusmodi:



*Si omne conjugium a Deo est, omne conjugium non licet solvere: atqui tamen aliquod conjugium solvere licet, nempe, dum a fidei discedit infidelis; ergo non omne conjugium a Deo est. Ex qua ratiocinatione, ut nemo non videt, inferri non potest: Ergo illud matrimonium, quod à Deo non est, quoad vinculum solvi potest; sed hoc unum dumtaxat: ergo illud matrimonium, quod, in casu Apostoli, quoad vinculum solvi potest, a Deo non est; quia licet ex antecedente inferatur consequens, ex consequente tamen non inferatur antecedens.*

XXX. Prob. 3<sup>o</sup>. ex S. Chrysoftomo hom. 22. in epist. ad Rom. ubi tam claris verbis asserit, in casu Apostoli matrimonium dissolvi, ut clarioribus dicere id nequeat. *Quid miraris, inquit, si inter alienos homines hoc non ubique fieri possit (ut nempe cum omnibus pacem habeamus) quandoquidem, etiam inter virum & mulierem, necessitatem illam & vinculum pacis dissolvat, cum dicit: Si vero infidelis abscedit, abscedat.* Agit ibidem Chrysoftomus de tristi illa necessitate, quam sæpe mortales experiuntur, & qua fit, ut cum omnibus pacem habere nequeant, & quæ non inter alienos dumtaxat, sed etiam inter virum & mulierem interdum reperitur, asseritque, quod dum dicit Apostolus: *Si vero infidelis abscedit, abscedat*, non tantum necessitatem illam tollat, quam pateretur pars fidelis, dum cum infideli, qui eam v. g. ad peccatum pertraheret, vivere non posset in pace, quod utique fieri potuisset per solam habitationis separationem, sed etiam *vinculum pacis dissolvat*. Quodnam est vinculum, quod virum & mulierem ligat, nisi vinculum matrimoniale, quod eodem jure vocatur *vinculum pacis*, quo contractus matrimonialis dicitur *contractus amoris*?

Hoc tamen vinculum, teste Chrysoftamo, dissolvit Apostolus, seu autoritate divina solutum, aut, si mavis, solubile pronuntiat, dum dicit: *Si infidelis abscedit, abscedat; ergo &c.*

XXXI. Dicit forte nonnullus, quod etiam docuerit Chrysoftomus, per adulterium dirimi matrimonium, & consequenter quod, sicut erravit in hoc casu, ita etiam erraverit in alio. At, præterquam quod hoc nullatenus sequatur: *erravit in uno, ergo & in alio*, non quaeritur hic, an bene vel male docuerit Chrysoftomus, in casu Apostoli, matrimonium posse dirimi, sed utrum ipsa illud docuerit? Negant adversarii, ego autem affirmo. Deinde inter utrumque casum magna est disparitas. Quod erraverit in primo, si nempe illud docuerit, quod prætendit objectio, & quod discutere non est hujus loci, quod inquam, in eo erraverit, scimus aliunde; ipsum autem errasse in secundo, nullo ex capite probatur, imo potius ipsum non errasse, novimus ex communi sensu ecclesiæ, cui in hac parte adhæret Chrysoftomus: novimus ex SS. pontificum decretalibus, ex particularium ecclesiarum ritualibus, ex S. scripturæ interpretum, theologorum & canonistarum toto orbe dispersorum unanimi consensu. Afferere autem omnes illos in errore versari, & penes pauculos quosdam, *heri* exortos, residere veritatem, videtur, ut mitissime loquar, valde temerarium.

XXXII. Dices: tantum abest, ut S. Chrysoftomus infidelitatem alterutrius partis habuerit tamquam legitimam causam dissolutionis nodi matrimonialis, ut in terminis asseruerit, quod infidelem non liceat expellere, sicut expellere licet fornicariam, quodque crimen fit venia indignum, quod quispiam a conjuge se separet,

*cui non nisi sua infidelitas potest exprobari. Ita siquidem scribit in cap. 3. Isaiæ: Permissit (Christus) ut is, qui fornicariam habet uxorem, illam expelleret, gentilem vero uxorem secus. Et hom. 63. tom. 8. Adeo grave, adeo venia indignum est hoc peccatum, ut, si uxor invito conjuge, etiam indololatra, ab illo separetur, a Deo puniatur, si ab adultero, minime.*

ꝛ. Hic sibi triumphare videntur adversarii, sed non reflectunt, quod ista omnia præsentem questionem ne attingant quidem, quod, inquam, non attingant casum Apostoli, de quo hic agimus.

XXXIII. Agit Apostolus de casu, quo a parte fideli discedit infidelis, eique cohahitare renuit, & super hoc nostra quæstio versatur. Agit autem Chrysostomus in utroque textu de casu proflus disparato, sive agit de casu, non quo a parte fideli discedit infidelis, sed quo a parte infideli discedit fidelis, & ab ipsa invita separatur, ut patet ex verbis ejus; qui casus tantum distat a casu Apostoli, quantum distat cælum a terra, ut per se patet. Ut quid ergo talia objiciunt? Sane si præjudiciis suis nimium non indulgerent, si vel propria dumtaxat verba attente considerarent, ex illis convinceretur, quod extra casum Apostoli vagentur, cum expresse agant de fideli deserente infidelem, *cui sua tantum potest infidelitas exprobari.* Estne ibi casus Apostoli? Profecto, dum in casu isto mulier conversa ad secundas transit nuptias, non illum deserit, *cui sua tantum potest infidelitas exprobari*, sed illum, cui, præter infidelitatem, jure merito possit illud exprobrare, quod cum ipsa nolit habitare.

XXXIV. Varia in decursu occurrent adversariorum argumenta, quæ eodem vitio laborant, ut mirum sit, viros præclaro ingenio pollentes,

scientiaque non vulgari præditos, ad hoc non reflexisse, non, inquam, reflexisse, quod, volentes probare in [casu Apostoli licitum non esse parti conversæ ad secundas nuptias transire, argumenta proferrent, quæ ad casum Apostoli nullatenus spectarent.

XXXV. Prob. 4. ex Hugone a S. Victore, viro, teste Moreri, eminentis adeo doctrinæ, ut secundus Augustinus appellaretur. Hic porro lib. 2. de Sacramentis p. 11. num. 13. ita resolvit: „ Si infidelis, inquit, discedit, discedat, non est subditus servituti frater in ejusmodi... nihil illi debet... liber est, ut faciat quod vult, tantum in Domino. Ducat uxorem, si vir ille est; si femina, nubat; quam vult societatem eligat, jam non tenetur debito prioris societatis, cujus jus solutum est, propter injuriam Creatoris. Doctrinam hanc ex Gratiano haurire non potuit Hugo, utpote qui diu ante sit mortuus, quam decretum suum edidisset Gratianus. Ille siquidem obiit anno 1139. & decretum suum hic non edidit nisi circa annum 1151.

XXXVI. Hugonis doctrinam similiter tradit Petrus Lombardus, lib. 4. dist. 39. *Cum, inquit, liceat dimittere volentem cohabitare, non tamen, ea vivente, aliam ducere licet. Discedentem vero sequi non oportet, & ea vivente, aliam ducere licet.* Sed tempus est, ut progrediamur ad S. Thomam, cujus autoritatem non respuunt adversarii; sed sibi potius favere contendunt, asserentes, S. Thomam matrimonii indissolubilitatem constanter asseruisse. Videamus itaque quomodo ipsis faveat.

XXXVII. S. Th. non transeunter, ut aiunt, nec aliud agens, sed ex professo locum Apostoli ad Cor. 7. explicans, dicit: *Superius ostendit (scilicet Apostolus) quod fidelis non debet dimittere*

*infidelem cohabitare volentem; hic autem dicit quod, si non vult cohabitare, non tenetur fidelis eum sequi, sed potest alteri nubere; ... primum enim matrimonium dissolubile erat, quia nunquam fuit ratum.*

XXXVIII. Nec ibi dumtaxat, sed etiam sup-  
pl. q. 59. art. 5. idem docet. „Dicendum, quod,  
„ quando alter conjugum ad fidem convertitur,  
„ altero in infidelitate manente, distinguendum  
„ est: quia si infidelis vult cohabitare sine con-  
„ tumelia Salvatoris, id est sine hoc, quod ad  
„ infidelitatem inducat, potest fidelis libere dis-  
„ cedere, sed discedens non potest alteri nube-  
„ re; si autem infidelis non velit cohabitare sine  
„ contumelia Creatoris, in verba blasphemiae  
„ prorumpens, ... vir fidelis discedens, po-  
„ test alteri per matrimonium copulari. „ Quan-  
„ donam autem solvatur prius matrimonium, seu  
„ in infidelitate contractum, docet ibid. ad 3. di-  
„ cens: *matrimonium, quod post in fide Christi*  
*contrahitur, solvit matrimonium, quod prius in in-*  
*fidelitate contractum fuerat.*

XXXIX. Si tantus vir, si scholæ angelus  
sententiam hanc tam constanter & sine ulla hæsi-  
tatione propugnet, quomodo aliqui asserere non  
erubescunt, illam esse erroneam, SS. patribus  
adversam, & Ecclesiæ traditioni contrariam?  
An forte propter Gratiani auctoritatem deseruisset  
ecclesiæ traditionem & SS. patres, & non  
potius, propter ecclesiæ traditionem sancto-  
rumque patrum auctoritatem deseruisset Grati-  
anum, si, quam hic tradebat, doctrina fuisset doctrina  
ecclesiæ traditioni & SS. patribus contraria?

XL. Profecto, juxta S. Th. 2. 2. q. 10. a. 12.  
*maximam habet auctoritatem ecclesiæ consuetudo,*  
*quæ semper est in omnibus æmulanda.* Faxit Deus,  
ut principium hoc præ oculis omnes semper ha-

beant, & tam multi non reperientur, quos delectabit novitas, & qui sibi mox videbuntur esse docti, ubi aliquid protulerint novi. Principium hoc, quod aliis tradebat S. Th., procul dubio ipsemet secutus est, cum non esset de numero eorum, qui *dicunt & non faciunt*, & consequenter ecclesiæ consuetudinem est æmulatus. Si ergo, tempore Gratiani, fuisset ecclesiæ consuetudo contraria iis, quæ super hac quæstione Gratianus tradebat, prout nonnulli insinuant, consuetudinem illam novisset S. Th., nec umquam fuisset secutus novam Gratiani opinionem, sed per ecclesiæ consuetudinem, quam maxime æmularatur, & quæ maximam habet authoritatem, refutasset Gratiani novitatem.

XLII. Nec dicas, quod S. Th. adhæserit Gratiano, quia ejus tempore jam invaluerat ipsius opinio, & per eam introducta erat in ecclesiam nova consuetudo: Quia, quod Gratiani, vel cujuscumque alterius opinio contra ecclesiæ consuetudinem & SS. patrum authoritatem nec invaluerit, nec potuerit invalescere, infra demonstrabo.

XLIII. Probatum 5<sup>o</sup>. ex Innocentio III. cap. *Quanto de divortiiis*. Si, inquit pontifex, *alter infidelium conjugum ad fidem catholicam convertatur, altero vel nullo modo, vel non sine blasphemia divini nominis, vel ut eum pertrahat ad mortale peccatum, ei cohabitare volente, qui relinquitur, ad secunda, si voluerit, vota transibit; & in hoc casu intelligimus, quod ait Apostolus: Si infidelis discedit, discedat. Idem videre est cap. Gaudemus.*

XLIII. At, inquires, non est decretalis illa definitio *ex cathedra*, non est in hujusmodi pontifex infallibilis.

R. 1<sup>o</sup> Etiam definitio *ex cathedra* non fuit responsum S. Stephani ad S. Cyprianum, & ta-

men, hoc non obstante, non licebat contra morem ecclesiæ baptizatos ab hæreticis rebaptizare: ergo pariter non licet in casu Apostoli partem conversam, nubere volentem, a nuptiis repellere contra morem ecclesiæ.

XLIV. R. 2. Si in suis decretalibus infallibiles non sint pontifices, multo minus infallibiles sunt, qui illis adversantur. Quid igitur juris? An in quæstione, cujus, ut ante dixi, genuina solutio pendet a recta & legitima sacrarum litterarum interpretatione, licebit deserere summi pontificis interpretationem, sub eo prætextu, quod non sit infallibilis, ut eam sequamur, quam recentiores quidam advocati dederint, & qui certo etiam non sunt infallibiles, quorumque officium non est interpretari scripturas, imo qui sæpe eas vel a longe vix salutaverunt? Non videtur. Profecto aliud est S. pontificem in aliquo responso non esse infallibilem, & aliud, ipsum in eo errasse. Hoc ut asseratur, & ab ejus autoritate recedatur, graviora requiruntur motiva, quam huc usque adversarii protulerint. Deinde, illa Innocentii III. decretalis est communi ecclesiæ sensu praxique firmata; quid ergo ultra requiritur, ut omni veneratione digna habeatur, illique incunctanter adhæreatur?

XLV. Dices: secutus est Innocentius Gratianum errantem; ergo erravit.

R. Hanc esse meram petitionem principii; prius enim, quam dicatur, quod errantem sit secutus, probari debet, quod erraverit Gratianus. Ipsum autem non errasse, præter ante dicta, probatur hoc ratiocinio. Si Gratiani sententia fuerit antiquæ traditioni, ecclesiæ consuetudini & patrum sensui contraria, qualis esse debuit, si vera sint, quæ nonnulli asserunt, quomodo fieri potuit, ut theologi, interpretes & canonistæ om-

nes, qui ad Gratianum usque, in isto supposito, secuti fuerant doctrinam oppositam, ad vocem unius Gratiani, hominis privati, mutaverint sententiam, quam in & ab ecclesia didicerant, deseruerintque traditionem ac communem patrum & ecclesiae sensum? Quomodo potius adversus istum monachum non insurrexerunt, tamquam purum novatorem, & inaudita eouisque dogmata proferentem? Quomodo sine turbis potuit in ecclesiam introduci illa pestilens sententia, quae publica inducebat adulteria? Quomodo illam, utpote tam reipublicae, quam ecclesiae perniciosam, non damnarunt summi pontifices, quibus caeteroqui tanta cura fuit, tot propositiones minus perniciosas damnandi? Sed quid dico, *non damnarunt*? Quomodo illam secuti sunt, & positive approbarunt, & a saeculo 12. usque ad 18. ecclesiam tanto errore involverunt?

XLVI. Profecto, fierine potest, ut in re tam gravi, altum adeo obdormierint omnes episcopi, pastores & theologi, ut ne unus quidem fuerit repertus, cui curae fuerit acceptam a majoribus traditionem adversus novitatem propugnare, communem patrum & ecclesiae sensum & praxim defendere? Atqui tamen eorum inventus est nemo, nemo, inquam, est inventus, qui antiquam traditionem isti opinioni opponeret, aut illam, tamquam patrum sensui & ecclesiae praxi contrariam, argueret; nullas opinio ista excitavit in ecclesia turbas, quod procul dubio contigisset, si talis esset, qualem eam adversarii traducunt. Signum proinde evidens est, quod nec traditioni, nec patrum sensui, nec ecclesiae consuetudini contraria foret, sed potius traditionem, patrumque sensum ac ecclesiae consuetudinem exprimeret. Ad haec, velim, respondeant, qui Gratianum & S. sedem erroris infimulant.



XLVII. Prob. 6. Ab autoritate Benedicti XIV. nomine & re pontificis maximi, lib. 6. de synodo cap. 4. *Certum est, inquit, infidelium conjugium, ex privilegio in fidei favorem a Christo Domino concessio, & per Apostolum Paulum 1. ad Cor. 7. promulgato, dissolvi, cum conjugum alter Christianam fidem amplectitur, renuente altero, in sua infidelitate obdurato, cohabitare cum converso, aut cohabitare quidem volente, sed non sine contumelia Creatoris, hoc est, non sine periculo subversionis conjugis fidelis &c.*

XLVIII. Respondet quispiam, quod, si modo viveret illustis iste pontifex, ob fundamenta ex Aug. aliisque deprompta, mutaret sententiam. At, quid ob prædicta fundamenta faceret Benedictus XIV, si viveret, vix melius possumus scire, quam inquirendo, quid faceret Clemens XIV. Petri cathedram tanta pietate & doctrina exornans, si fundamenta ista ipsi exhiberentur. Perfecto Clementi XIV. minor non inest veritatis zelus, quam inerat Benedicto XIV., rationumque & autoritatum momenta non minus æqualiter ponderabit hic, quam ille. Exhibeant ergo, qui ita ratiocinantur, fundamenta sua tanto pontifici, & ab eo, quod, illis exhibitis, ipse facturus est, judicare debemus, quid faceret Benedictus XIV. si viveret, & prædicta fundamenta videret. Expectabimus eventum.

XLIX. Probatur denique ex clariss. D. Van Espen, quem tanto libentius cito, quanto apud adversarios majori in æstimatione est. Quam autem positive & absque ulla dubii specie author ille hanc nostram sententiam tradat, & decisioni Innocentii III. subscribat, vide, si lubet, p. 2. tit. XV. *De divortiiis & secundis nuptiis.* cap. I. Scio nonnullos reponere, quod Van Espen illam quæstionem non discussit, infi-

nuantes, quod a torrente abripi se passus fit, aliud dicturus, si rem funditus examinasset. At nihil magis frivolum, quam ejusmodi responsum. Ex quo enim capite asserunt, & unde sciunt, quod quæstionem illam non examinaverit? An forte, ut censeatur quispiam quæstionem aliquam examinasse, debet cum ipsis sentire? Sane, non alia de causa ipsum dicunt hanc quæstionem non discussisse, quam, quia ipsis adversatur, aliud dicturi, ejusque auctoritatem, prout in multis aliis, non parum jactaturi, si ipsis faveret. Interim quam solide, quam nervose & acute illam examinaverint, qui a nobis dissentiant, patebit ex solutione argumentorum, quæ proponunt.

#### SOLVUNTUR OBJECTIONES.

L. **O**Bj. i. Teste Trid. sess. 24. MATRIMONII PERPETUUM INDISSOLUBILEMQUE *nexum primus humani generis parens divini Spiritus instinctu pronuntiavit, cum dixit: hoc nunc os ex ossibus meis & caro de carne mea.* Cum ergo generaliter & sine ulla exceptione Tridentinum asserat esse perpetuum, indissolubilemque matrimonii nexum, qua veri specie dici potest, in casu Apostoli matrimonium dissolvi? Hoc argumentum tanti faciunt nonnulli, ut existiment non magis posse solvi, quam solvi possit illud ipsum matrimonium, de quo agitur.

Li. 8. Retorquendo argumentum. " Teste  
 " Trid. *matrimonii perpetuum indissolubilemque*  
 " *nexum primus humani generis parens divini*  
 " *Spiritus instinctu pronuntiavit, cum dixit:*  
 " *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne*  
 " *mea.* Cum ergo sine ulla exceptione Trid.  
 " asserat esse perpetuum indissolubilemque ma-  
 " trimonii nexum, qua veri specie dicere potuit  
 " idem Trid. anathema illis, qui matrimo-

„ nium ratum negant per solemnem professionem  
 „ in religione approbata emissam dissolvi, cum  
 „ non magis dissolvi illud possit, quod est in-  
 „ dissolubile, quam fieri possit, quod est impos-  
 „ sibile. Sicut ergo, juxta adversarios, errant,  
 „ qui dicunt, in casu Apostoli matrimonium  
 „ solvi, quia perpetuum indissolubilemque  
 „ matrimonii nexum asserit Trid., ita etiam er-  
 „ rat illud concilium, quia, quod indissolubile  
 „ dixit in uno loco, dissolvi asseruit in alio. „

LII. Defendat nunc, quicumque sit ille ju-  
 rista, qui supra dicto utitur argumento, ut pro-  
 bet nos errare, dum dicimus, in casu Apostoli  
 matrimonium solvi, defendat, inquam, con-  
 ciliū Tridentini auctoritatem, adversus eum, qui  
 eodem argumento utetur, ut probet errasse con-  
 ciliū istud, dum declaravit matrimonium ra-  
 tum per dictam in religione approbata profes-  
 sionem dirimi. Colligantur omnes in unum,  
 junctisque viribus laborent, & nullus erit, qui  
 taliter argumentantem possit ad veritatis sem-  
 tam reducere, nisi argumentum illud, quod tanti  
 facit, fateatur esse nullum, & ipsemet solvat,  
 quod insolubile dixit, aut putavit. Quidquid au-  
 tem dixerit, ad ostendendum non errasse Trid.,  
 dum definivit, in casu supra dicto matrimonium  
 dirimi, hoc de verbo ad verbum reponemus,  
 nec aliis, quam nostrorum adversariorum solu-  
 tionibus utemur, ut ostendamus nos similiter  
 non errare, dum, in casu Apostoli, asserimus ma-  
 trimonium dirimi, seu partem conversam, dis-  
 cedente infideli, aliud posse matrimonium inire.

LIII. §. 2<sup>o</sup>. Ex natura quidem sua perpetuus  
 est & indissolubilis matrimonii nexus, ita ut ge-  
 neraliter & sine ulla exceptione verum sit, quod  
 nec mutuo contrahentium consensu, nec ulla  
 auctoritate humana possit ullo unquam casu dis-

solvi. At, ideone tanta est ejus indissolubilitas, ut illud solvere non possit Deus? Nemo, ut arbitrator, catholicus hoc dixerit; quod enim ille conjunxit, licet solvere non possit homo, ipse tamen, quando vult, ubi vult, & quomodo vult, solvit. Si quid tamen probet supra dictum argumentum, hoc utique probat, quod matrimonium solvere non possit Deus; aut si hoc non probet, nihil probat, quia, in casu Apostoli, non dicimus per hominem, sed per Deum matrimonii vinculum solvi. Et sic magnum illud argumentum, vaporis instar, eo ipso dissipatur, quo profertur.

LIV. Instant interim adversarii, & dicunt hæc verba Christi: *Quod Deus conjunxit, homo non separet*, non minus infidelium, quam Christianorum matrimonia respicere, quod probant ex Innocentio I. *Ex quibus*, inquit, *inferimus, etiam matrimonia infidelium per conversionem unius non dissolvi quoad vinculum, etiamsi infidelis discedat.* ꝛ. Hic fateor, me nihil intelligere, vel potius hoc optime intelligo, quod talis discursus peccet contra primas dialecticæ regulas. Quænam est enim hæc sequæla? "Hæc Christi „ verba: *Quod Deus conjunxit, homo non separet*, omnia generaliter matrimonia respiciunt: ergo, in casu Apostoli, quoad vinculum „ non solvitur matrimonium „? Inferant, si legitime velint aliquid inferre: *ergo in casu Apostoli, quoad vinculum*, per hominem *non solvitur matrimonium*, cum aliud non contineat antecedens, & ex illo nihil possit inferri, quam quod in eo continetur. Sed quid inde tunc habebunt? Miror sane, quod tam boni philosophi non melius discurrant.

LV. Obj. 2<sup>o</sup>. Nata est hæc sententia infideles avertere a suscipienda fide catholica; ergo reci-

„ pi nullatenus potest. Prob. ant. „ Sit princeps  
 „ quispiam a viro quodam apostolico instruc-  
 „ tus, & de religionis veritate convictus, il-  
 „ liusque cultum in suo regno permittere para-  
 „ tus. Evangelium aperit, & in eo quid videt,  
 „ nisi inculcatam erga principes omnibus Chri-  
 „ stianis obedientiam, legum observantiam,  
 „ horrorem adulterii & perjurii, honorem in  
 „ parentes, in conventionibus fidelitatem? Lætitia  
 „ gestiens exclamat: *Sit deinceps lex Christi,*  
 „ *lex imperii mei.* At ipsum administer quidam  
 „ sistit: ita est princeps, hoc dixit evange-  
 „ lium, hoc docet legislator Christianorum. Sed  
 „ attende: ultimis hæc sæculis privati quidam  
 „ doctores ad legem istam addiderunt, & re-  
 „ gulæ adinstar habetur eorum opinio. Qui ex  
 „ tuis subditis baptismum susceperint, libere  
 „ poterunt nodos solvere, qui eos uxoribus suis  
 „ alligant, dum hæc ipsis cohabitare noluerint.  
 „ Ita princeps, uxor ipsa, quæ in tuo tecum se-  
 „ det solio, eo ipso, quo fueris regeneratus pri-  
 „ mo religionis illius sacramento, libere poterit  
 „ a te recedere. *Oui prince, la femme même as-  
 „ sise avec vous sur le throne, du moment que vous  
 „ aurez été regeneré par le premier sacrement de  
 „ cette religion, sera la maitressé de se retirer  
 „ d'aupres de vous.* Quam potens motivum ad  
 „ deterrendum hunc principem, ad evertenda,  
 „ quæ fuerat meditata consilia, omnesque apo-  
 „ stolici laboris fructus inpediendos! „ Ita quidam  
 Gallus, cujus verba Latine reddidi.

LVI. 82. Hujusmodi discursum sola potest ig-  
 norantia peperisse. Omnino falsum est, quod,  
 juxta hanc, quam propugno, sententiam, eo  
 ipso quo quispiam primo religionis nostræ sacra-  
 mento regeneratus est, possit pars infidelis libere  
 ab eo discedere, cum, juxta omnes, graviter peccet.

mulier, quæ a viro converso, ob solam ejus conversionem recedit. Ostendamus modo, quod hæc sententia non tantum a suscipienda fide infideles non avertat, sed ad eam capessendam potius inducat, & non minus reipublicæ, quam ecclesiæ faveat.

LVII. Suppono, quod ante suppositum est, nempe, principem quemdam a viro apostolico instructum, & de nostræ religionis veritate convictum, sese ad baptismum suscipiendum præparare. At, cum reginæ conjugis suæ adeo alienum a Christiana religione animum noverit, ut non dubitet, quin ab illa sit deserendus, si fidem catholicam susceperit, incipit titubare, apud semetipsum dicens: Quid faciam? Si fidem Christi amplectar, deseret me uxor mea, & mihi deinceps cohabitare nolet. Regni heredem non habeo, nec habebō umquam, si illa me deserat, cum multo me sit junior, adeoque nulla, moraliter loquendo, sit spes, quod aliam possim umquam ducere, si ante mortem ejus non liceat. Devolvetur itaque regnum ad extraneos; cumque multi sint, qui, me decedente sine prole, illud prævideantur invasuri, funesto nimis ac tristi bellorum tumultu omnia turbabuntur. Quid faciam?

LVIII. In hac sua anxietate recentiores illos consulit advocatos, qui sustinent, in casu Apostoli non posse matrimonii vinculum solvi, petitque ab eis, quid, discedente uxore, sit agendum, & quomodo tot & tantis, quas prævidet, calamitatibus sit obviandum? Quid, quæso, aliud quam hoc, aut simile quid illi respondebunt? *Habeto patientiam o princeps. In omni prorsus casu matrimonium est indissolubile. Si regnum ad extraneos sit devolvendum, & hoc non sine funestis ac tristibus bellis, habetō patientiam*

tiam. Et sic, per illam tristem, quam novi concionatores prædicabunt patientiam, vel rempublicam funestis bellis, saltem occasionaliter, involvent, vel principis animum a capeßenda religione catholica removebunt; qui utique tantis, quæ prævidet, malis perterritus, facile retrahet gradum. Quod dixi de principe supremo, facile applicari potest cuilibet privato, qui utique, si in casu, de quo agitur, manere debeat sine uxore, sæpe mansurus est sine vera religione, aut, si religionem præferat uxori, carebit respublica procreatione populi.

LIX. Sed quid nos, in isto casu, dicto principi respondebimus, quid, inquam, respondebimus nos, qui communem ecclesiæ sensum sequimur? Hæc utique erit responsio nostra, per quam & reipublicæ & fidei bono prospiciemus. " Noli  
 ,, timere o princeps: si tua te uxor ob fidem, a  
 ,, te susceptam, deserat, non ideo eris subjectus  
 ,, servituti, non ideo tuæ tibi deerit heres co-  
 ,, ronæ: non te talis timor, inquietus, a fi-  
 ,, de catholica removeat: hæc est enim sacra  
 ,, libertas, quam in gratiam fidei Christus con-  
 ,, cessit, & Apostolus Paulus promulgavit, ut,  
 ,, dum unus conjugum convertitur, & alter  
 ,, parti conversæ non vult cohabitare, possit  
 ,, conversus ad secundas nuptias transire. " Ex  
 dictis patet, quod nostra, seu potius ecclesiæ sen-  
 tentia, ad catholicam fidem amplectendam in-  
 ducat potius, quam deterreat, & nova quorum-  
 dam recentiorum opinio ab ea potius deterreat,  
 quam ad illam inducat.

LX. Obj. 3. " Ex historia Concilii Trident.  
 ,, constat, acerrime ibidem agitatum fuisse  
 ,, quæstionem, utrum in casu, quem communi-  
 ,, ter casum Apostoli vocant theologi, parti  
 ,, conversæ liberum sit, ad secunda vota transire?"

„ Negavit id ex celeberrimis in eo concilio  
 „ theologis Petrus Soto. „ Ita nonnullus Lov.

LXI. *R.* Tantum abest, ut ex historia concilii Trid. constet, *acerrime* ibidem, seu in isto concilio, agitatam fuisse quæstionem, utrum, in casu Apostoli, parti conversæ licitum sit ad secunda vota migrare, ut, si ex ea constare aliquid possit, circa factum, de quo agitur, potius constet oppositum. Consule, quisquis hoc asseris, omnes illos, qui concilii Tridentini historiam scripserunt; lege Pallavicinum, D. Fleury in historia ecclesiastica, & ipsum etiam, qui tibi videtur arridere, Fra-Paolo, & in nullo eorum invenies acerrimam illam, quam dicis, istius quæstionis agitationem. In re autem historica, & quæ meri est facti, omni jure nego illud contigisse, quod nullus historicus refert, & quod non nisi ab historicis potes didicisse. Imo ut certum haberi debet, quod tanti momenti factum non contigerit, quod a nullo refertur.

LXII. Sed numquid refert Fra-Paolo, in sua historia concilii Trid. patrem Soto in discursu, quem habuit coram patribus istius concilii, adoptasse illam sententiam, quæ, in casu Apostoli, sustinet matrimonii vinculum non dissolvi?

*R.* Aliud est, quod quidam theologus, in aliquo concilio, super hac aut ista quæstione opinionem suam exprimat, & aliud, quod illa quæstio fit in isto concilio acerrime agitata: Ac proinde, etiamsi verum foret, quod refert Fra-Paolo, adhuc equidem falsum foret, quod dicit adversarius, nempe, quod quæstio illa fuerit in concilio Tridentino acerrime agitata. Profecto, eodem jure posset asserere, quod, quotiescumque theologus aliquis in concilio aliquo, super hac aut ista quæstione opinionem suam protulit, toties quæstio illa, circa quam opinatus est,



fuerit quæstio in concilio isto acerrime agitata, quod tam falsum est, quam ridiculum, ut omnes norunt.

LXIII. Nec putet quispiam movere me hic velle quæstionem de nomine. De nomine non ago, sed de re. Nimium sane significat hæc expressio, quæ etiam fortasse non de nihilo adhibita est: *Ex historia concilii Tridentini constat, acerrime ibidem agitatam fuisse quæstionem* &c. Significat enim in concilio Trid. fuisse dubitatum, & vehementer dubitatum, utrum in sua decretali non errasset INNOCENTIUS III. Quod aperte falsum est, cum de illa quæstione nequidem actum fuerit in concil. Trid. Veniamus nunc ad Fra-Paolo.

LXIV. Inprimis nemo nescit, quod testimonium ejus, in iis, quæ ad historiam concilii Trid. spectant, merito possit repelli, prout videre est in Pallavicino. Elogium ejus vide, si lubet, apud illustrissimum D. Bossuet lib. 7 variat. pag. mihi 392. & videbis, quantæ sit autoritatis, quantumque fidem mereatur author ille, & quam prudenter in hanc rem ille citetur, qui, ut ait idem Bossuet, in commonitorio ante citato, pag. mihi 62. concilii Tridentini fuit *hostis declaratus*, potius quam ejusdem historiographus. Hic autem ipsum imposuisse publico, ad oculum demonstrabo. Certum est quod Soto, celeberrimus ille theologus, absolute & sine ulla dubitatione sustineret, in casu Apostoli, partem conversam posse ad alias nuptias transire, ut mox probabo. Qui igitur fieri potest, ut, qui sententiæ isti tam tenaciter adhæserat, & quam ab Apostolo aperte doceri sustinuerat, subita metamorphosi, sibi ipsi tam dissimilis factus sit, ut in discursu coram patribus concilii Trid. habito, oppositam adoptaverit, & propriam descru-

rit? profecto, talis assertio ne illarum quidem narrationum, quas vulgo *romans* vocamus, habet auctoritatem, in quibus utique aliqua saltem debet esse verisimilitudo. Quod autem absolute & sine ulla hæsitatione sustinuerit Petrus Soto, in casu Apostoli, matrimonium posse dissolvi,

LXV. Probatur ex tractatu *de institutione sacerdotum* lect. 12. de indissolubilitate matrimonii, ubi cum dixisset, esse licitum *dimittere infidelem, etiam pacifice volentem permanere*, variis interjectis, subdit: „ Ex quo etiam illud secundo, dum probatur, quod scilicet, discedente infideli, & nolente cohabitare, liceat fidei contrahere matrimonium; Paulus enim aperte hoc docet. „ Quid clarius? Quomodo igitur fieri potest, ut, in prætenso illo discursu coram Tridentinis patribus habito, aliam adoptaverit sententiam, quam Apostolo aperte contrariam tam asseveranter paulo ante sustinuerat?

LXVI. Dices: priorem suam sententiam deseruit Soto, ut se conformaret Cajetano, qui oppositam sustinebat.

ꝛ. En fabulam aliam multo pejorem priori. Quid! Petrus Soto, tantus Thomista, seu tanti faciens S. Thomæ doctrinam, deseruisset tam claram & apertam magistri sui sententiam, ut contrariis sui ab ea recedentis opinioni se conformaret! mirum sane, quod talia reagentes, prima fronte non videant, quam ridiculum sit, quod proferunt. Profecto, propter Cajetani opinionem S. Thomam non deseruisset Soto, sed potius, propter S. Thomæ sententiam & auctoritatem, a Cajetano recessisset, quem in isto supposito, seu in supposito, quod a S. Thoma recederet Cajetanus, jam ante deseruerat; illique debito modo exprobrasset, quod esset degener a ma-

gistro discipulus. Sed quid erit, si & ipsum Cajetanum offendam a nostra, seu communi ecclesie sententia, non deflexisse? Igitur & hoc tentemus probare, ut ex omni parte fabula concidat.

LXVII. Scribens in cap. 7. ad Corinth. ita Cajetanus discurrit. "*Quod si infidelis discedit, ... discedat, separetur. Non enim servituti subjectus est frater aut soror in hujusmodi.*" Hoc est, in ejusmodi eventu, non est servituti conjugii subjectus frater vel soror, hoc est, Christianus, seu Christiana conjux. *In hoc sensu communiter intelligit hæc Pauli verba, ecclesia:* hinc enim intelligit liberum esse tam Christianum, quam Christianam conjugem, si infidelis conjux separetur, ad contrahendum cum alio, seu cum alia conjugium. Hic in terminis asserit Cajetanus, esse communem ecclesie sensum, quod pars conversa, discedente infideli, aliud possit matrimonium inire. Hic tantisper reflectant adversarii, quod, dum Cajetanum inelamant, per Cajetanum convincantur, quod a communi sensu ecclesie recedant, quod, ut arbitror, cuilibet catholico recte sentienti debet sufficere, ut ab illa nova, quam nonnulli introducere conantur, sententia abhorreat: fieri enim non potest, ut illud verum sit, quod in re tam momentosa, a communi sensu ecclesie recedit.

LXVIII. Pergit Cajetanus. "Dico autem hoc, quia Paulus non aperte explicat talem libertatem, sed negat esse subjectum servituti in ejusmodi; quæ verba, si exacte discutiantur, solum significant, quod, in hujusmodi discessibus, ... infidelis a fidei... nullus frater aut soror... est subjectus servituti priori... Sed hinc non conficitur, quod sit solum vinculum con-

„jugale... & non solum miror, sed stupeo,  
 „quod Christo, clare excipiente causam forni-  
 „cationis, torrens doctorum non admittit illam  
 „mariti libertatem; Paulo autem, non *clare*  
 „dicente, interpretata sit solutio conjugii ex  
 „causa alia ab explicata a Christo, & sola ex-  
 „cepta. „

LXIX. Quid in hoc toto contextu sibi vult  
 Cajetanus? Quod in casu Apostoli pars conver-  
 sa aliud non possit inire matrimonium? Minime:  
 sed dumtaxat significat, quod clare & aperte, seu  
 conceptis verbis, non dicat Apostolus parti con-  
 versæ hoc licere, quodque, si verba ejus nude  
 & secundum se, seu independentem ab interpreta-  
 tione ecclesiæ accipiantur, ex iis clare non sequatur  
 solutum esse vinculum matrimoniale; quod  
 tamen hoc recte sequatur, si verba illa accipian-  
 tur, prout ecclesiæ interpretationi subjacent, &  
 quam interpretationem ipse approbat, dum sub-  
 jungit: „Qui tamen *antiquo usu* sensum com-  
 „munem textus hujus firmatum credo, & *tex-*  
 „tus capax est hujus sensus communis. „ Quæro,  
 quomodo potuerit Cajetanus asserere, textum  
 Apostoli capacem esse illius communis sensus,  
 in quo illum intelligebat ecclesia, si existimave-  
 rit, quod verba Apostoli communem illum ecclesiæ  
 sensum non continerent? Profecto asserere, quod  
 aliqua propositio hunc v. g. vel istum sensum  
 nullatenus contineat, & tamen quod hujus vel  
 istius sensus capax sit, seu, quod possit intelli-  
 gi in hoc vel isto sensu, est implicantia in termi-  
 nis: atqui tamen asseruit Cajetanus, quod tex-  
 tus Apostoli capax esset illius sensus, in quo il-  
 lum communiter intelligebat ecclesia, ergo  
 existimavit, quod communem illum ecclesiæ  
 sensum textus Apostoli contineret, licet, ut pu-  
 tabat, non tam clare.

LXX. Hæc est itaque indubitata mens Cajetani, quod, sicut in ecclesia communiter admittitur, in casu Apostoli matrimonium solvi, ita etiam admitti deberet, per fornicationem alterutrius conjugum dirimi, cum, ut ipse arbitratur, clara sint Christi verba, quibus in hoc casu matrimonium dissolvi pronuntiat, & tamen adeo clara non sint verba Apostoli, utpote, qui expressis terminis non dixit matrimonium solvi, sed tantum in hujusmodi non esse subjectum fratrem aut sororem servituti. Proinde a communi sententia non deflexit Cajetanus, sed eam potius stabilivit, sustinens textum Apostoli capacem esse illius communis sensus, qui *antiquo usu ecclesiæ* erat firmatus.

LXXI. Ex his deducitur omnino falsum esse, quod Petrus Soto suam & S. Thomæ sententiam deseruerit, ut sese Cajetano oppositam sustinenti conformaret, cum revera oppositam Cajetanus non doceret. Sed suppose tantisper, quod reipsa Cajetanus a communi ecclesiæ sensu recesserit. Putasne forsitan, quod Petrus Soto, quem adeo extollis, & celeberrimum dicis, communem ecclesiæ sensum & doctrinam voluisset deserere, ut singulari illius opinioni se conformaret? Hoc si putes, erroris te arguet ipsemet Soto, qui loco supra citato, seu lect. 12. expresse deserit Cajetanium, ut sequatur communem ecclesiæ sensum. Verba ejus sunt: *Quamquam Cajetanus probabile putet, papam dispensare posse, ut dissolvatur (scilicet matrimonium fidelium nondum consummatum) & aliud contrahatur, ... ecclesia tamen hoc non recipit, nec umquam consuetum est.* Quid ad hoc reponi possit, non video.

LXXII Alio etiam ex capite falsitatis convincitur Fra-Paolo, nempe, dum asserit, quod Petrus Soto a vulgata verborum Apostoli expositione re-

cesserit, *propter consuetudinem ecclesiæ*, cum certum sit, quod, saltem a tempore Gratiani, constans ecclesiæ consuetudo fuerit, ut, dum pars conversa, discedente infideli, aliud volebat matrimonium inire, si nihil aliunde obstabat, permitteretur illud contrahere: unde Cajetanus, ut supra vidimus, sensum illum, in quo verba Pauli intelligebat ecclesia, *antiquo usu* firmatum dicit.

LXXIII. Sed demus tantisper, quod Petrus Soto propriam sententiam deseruerit in Tridentino: quid inde, quæso, poterunt adversarii conficere? Ad autoritatem ejus recurrere non possunt, ut opinionem suam tueantur, quia, si de autoritate agatur, ut multos alios taceam, multo major est autoritas S. Thomæ, sententiam nostram propugnantis, quam autoritas Petri Soto. Multo minus recurrere possunt ad ejus rationes, cum nequidem eas noverint. Quid ergo, iterum peto, quid inferre poterunt, casu quo a divo Thomæ magistro suo recesserit Soto, & priorem sententiam mutaverit? Hoc unum habebunt, quod tunc non sint futuri præcise primi novæ illius opinionis assertores, sed unus eos præcesserit. Nonne ibi magna laus est, nonne magnum motivum, ad deferendum communem ecclesiæ sensum?

LXXIV. Obj. 4. In casu Apostoli matrimonium non solvi, tam aperte docet Augustinus, ut de mente ejus non relinquatur ambigendi locus. Siquidem libro 1. de adulterinis conjugis cap. 18., cum de illis fuisset locutus, quæ licent quidem, sed non expediunt, dicit: *Sicut est, unde jam diu loquimur discessio fidelis conjugis ab infideli, quam non prohibet Dominus præcepto legis, quia coram illo injusta non est, sed prohibet Apostolus consilio charitatis, quia infidelibus affert impedimentum salutis, non solum, quia perniciosissime,*

*scandalizantur offensi, verum, quia in alia conjugia cum ceciderint, viventibus eis, a quibus dimittuntur, ADULTERINIS NEXIBUS COLLIGATI, difficillime resolvuntur.*

LXXV. Quam autem constans in hac doctrina fuerit S. doctor, patet ex ejusdem libri cap. 25. *Propter quodlibet tamen, inquit, fornicationis genus, sive carnis, sive spiritus, ubi & infidelitas intelligitur, & dimisso viro non licet alteri nubere, & dimissa uxore, non licet alteram ducere, quoniam Dominus NULLA EXCEPTIONE FACTA dicit: SI UXOR DIMISERIT VIRUM, ET ALII NUPSERIT, MOECHATUR. Quid clarius?*

LXXVI. R. Nihil clarius, quam quod de casu Apostoli ibidem non loquatur Augustinus, effectque optandum, ut, qui tanta cum emphasi similia producant, Augustinum attente legissent; tunc enim labori meo perpercissent, vidissentque, quod cap. 18. ageret Augustinus de casu illo, quo (verba ipsius sunt) *unus aut una infidelis, cum fidei consentiret habitare.*

LXXVII. De illo similiter casu agit cap. 25., explicat siquidem eo in capite verba Apostoli: *Si quis frater habet uxorem infidelem, & hac consentit habitare cum illo, non dimittat illam &c.* Et quibusdam interjectis subdit: *Propter quodlibet tamen fornicationis genus, sive carnis, sive spiritus, .... & dimisso viro non licet alteri nubere, & dimissa uxore, non licet alteram ducere.* In quibus aperte vides, quod non agat Aug. de parte fidei, a qua, ob fidem, discedit infidelis, sed de parte fidei, quæ ob infidelitatem deserit partem cohabitare volentem, qui casus certissime non est casus Apostoli, de quo hic agimus.

LXXVIII. Dico igitur, quod mulier conversa, infidelem pacifice cohabitare volentem dimittens, non possit ad alias nuptias transire, & si,

vivente viro, alium duxerit, adultera erit, quia libertatem ad alias nuptias transeundi non concessit Christus, nisi dum pars infidelis discedit, seu parti conversæ pacifice, aut sine injuria Creatoris, non vult cohabitare, quod, in sensu ecclesiæ, est a parte conversa discedere. In casu autem, de quo agit Aug., non discedit infidelis a fidei, sed fidelis ab infideli, quod est extra casum Apostoli, qui non dixit; *Si fidelis*, sed, *si infidelis discedit* &c.

LXXIX. Hoc ipsum est quod, loco supra citato, eleganter exponit celeberrimus Soto, cujus autoritas magni apud adversarios est ponderis, „ Quod vero, inquit, secundo loco diximus, „ duo etiam continet, quod videlicet, quando „ volens permanere infidelis conjux, dimittitur, non possit aliud contrahi matrimonium; „ & quod si permanere non vult pacifice, & sine periculo, *aliud contrahi possit*. Horum itaque „ primum ita probatur: quia, cum matrimonium „ inter infideles legitimus fuerit contractus, non „ est cur infringi debeat, aut minus servari a fidei, cum alter nullam causam præbet non „ servandi., Ex dictis abunde patet, quod, dum hæc aut similia producunt adversarii, versentur extra casum Apostoli, quodque volentes probare, quod negamus, illud expresse probent, quod admittimus.

LXXX. Patiantur modo, qui Augustinum nobis objiciunt, ut eundem ipsis objiciamus. Juxta Aug. cap. 17. & 18. de adulter. conjug. item epist. 157. ad Hilarium, Apostolus dumtaxat consulit, ut fidelis, conjugem infidelem cohabitare volentem, non dimittat; ac proinde non tenetur fidelis cum illo remanere, sed potest eum quoad habitationem & torum deferere, quandoquidem consilium nullam imponat obligationem.



Ergo, juxta Augustinum, liberatio a servitute, de qua loquitur Apostolus, dum dicit servituti non esse subjectum fratrem aut sororem, & quam restringit ad casum, quo a parte fidei discedit infidelis, non intelligitur de servitute, qua tenetur uxor viro & vir uxori debitum reddere, illique cohabitare, sed de servitute, qua tenetur uterque conjux, altero vivente, aliud matrimonium non inire, & a qua servitute partem conversam, discedente infideli, Apostolus pronuntiat liberam.

LXXXI. Prob. conf. juxta Aug. liberationem a prima servitute, seu ab ea, qua tenetur uxor viro & vir uxori debitum reddere illique cohabitare, jam habet pars conversa, etiamsi non discedat infidelis, sed illi cohabitare consentiat, prout supra vidimus: ergo juxta Aug. dum Apostolus dicit, quod, discedente infideli, non fit servituti subjectus frater aut soror, de illa servitute non agit, a qua pars fidelis jam est libera, etiamsi non discedat infidelis, sed de alia, a qua demum liberatur, dum infidelis discedit.

LXXXII. Sane, necessario sequitur, quod illa liberatio a servitute, quam restringit Apostolus ad casum, quo a parte conversa discedit infidelis, non sit illa liberatio, quam pars conversa jam habet, etiamsi infidelis non discedat: ergo est alia liberatio, quam non habet, dum infidelis ei cohabitare consentit, & quam habet, si ab ea discedat. Quænam est autem, juxta Aug. ista liberatio, quam habet pars fidelis, dum ab ea discedit infidelis, & quam non habet, dum illi cohabitare consentit? Nulla sane alia est, quam liberatio ab illa servitute, qua tenentur conjuges, altero vivente, ad secundas nuptias non transire, quandoquidem liberationem ab alia servitute, qua tenetur uxor viro, & vir uxori debitum reddere, illique cohabitare, juxta Aug.

habeat pars fidelis independenter a discessu infidelis. Hac, ut arbitror, de mente Augustini nullum relinquunt ambigendi locum, seu manifeste ostendunt, quod textum Apostoli 1. ad Cor. 7. v. 15. intellexerit Aug. de liberatione ab illa fervitute, qua tenentur conjuges, altero vivente, aliud matrimonium non inire.

LXXXIII. Obj. 5. Juxta S. Hier. epist. ad Amandum: *Omnes igitur causationes Apostolus amputans, apertissime definivit, vivente viro, adulteram esse mulierem, si alteri nupsit.*

R. Verissimum esse, quod ait Hieronymus, sed iterum non agit de casu Apostoli, sed de casu, quo mulier virum dimittit adulterum & Sodomitam, illoque dimisso, alteri nubit; super hoc enim tantum consulebatur. Legatur Hier. & solutio infiliet in oculos.

LXXXIV. Nec dicas, quod, juxta S. Hier. *omnes causationes* Apostolus amputaverit, & consequenter, quod nullam reliquerit.

Respondeo enim: verba S. Hieronymi, licet generaliter prolata, pro subjecta tamen materia esse intelligenda. Cum ergo ipsum non interrogaverit Amandus, utrum posset fidelis conversus, discedente infideli, aliud matrimonium inire, sed dumtaxat utrum posset mulier virum adulterum & Sodomitam deserere, & alterum, ipso dimisso, accipere, respondit Hier., quod in hoc & cæteris hujusmodi casibus, *omnes causationes* amputaverit Apostolus, quod procul dubio verum est.

LXXXV. Quod si hanc ejus responfionem ad casus etiam non propositos velis extendere, seu ad subjectam materiam non restringere, quid ergo respondebis cuidam v. g. anabaptistæ, qui similiter generalia tibi verba S. Hieronymi in Matth. scribentis objiciet dicens: "Juxta S. Hier.

3. lib. 4. comment. in Matth. *Non... potest fieri, ut  
 „ corpus baptismi recipiat sacramentum, nisi ante  
 „ anima fidei susceperit veritatem, ergo &c.* „ Si  
 hac super re aliquid noveris, utique debes respon-  
 dere, quod pro subjecta quidem materia vera sint,  
 quæ ibidem dicit Hier., sed, quod ad aliam non  
 possint extendi, ergo similiter. Deinde, ut ante jam  
 dixi, etiam in omni casu & sine ulla exceptione  
 verum est, quod, vivente viro, adultera sit mu-  
 lier, quæ, vivente viro, fuerit cum alio viro, sive  
 quod nullo umquam casu liceat mulieri duos ha-  
 bere viros, quod unum ibidem docet Aposto-  
 lus, & post ipsum Hieronymus. Sed hoc præsen-  
 tem controversiam non afficit.

LXXXVI. De casu eodem agit Origenes tract.  
 7. in Matt. pag. mihi 75., dum ait: „ Scio quos-  
 „ dam, qui præstant ecclesiis, extra scripturam  
 „ permisisse aliquam nubere, viro priori viven-  
 „ te, & contra scripturam quidem fecerunt. „  
 Nihil enim ibidem aliud indicat, prout ex ver-  
 bis ipsis clare patet, quam, quod, vivente viro,  
 mulieri non liceat alteri nubere, seu duos viros  
 habere. Vide, si lubet, Petrum Soto lect. 13. de  
 indissolubilitate matrimonii, & invenies, quod,  
 juxta ipsum, agat Origenes de casu adulterii, in  
 quo multi olim episcopi permiserunt viris, *ut  
 contraherent secunda matrimonia.*

LXXXVII. Objiciunt sexto, quod venerabilis  
 Beda in cap. 10. Marci dicat: *una solummodo  
 causa est carnalis fornicatio, una spiritualis, ti-  
 mor Dei, ut uxor dimittatur, sicut multi religio-  
 nis causa fecisse dicuntur: nulla autem causa est,  
 DEI LEGE, ut vivente ea, quæ relicta est, alia du-  
 catur.* Sed ad hæc eadem est responsio, quæ fu-  
 pra. Si contendant adversarii, quod agat Beda  
 de infidelibus conjugibus, quorum unus conver-  
 titur & alter non, per me id licet: at iterum ibi

non est casus Apostoli; quandoquidem, ut ex verbis ejus videre est, de illo agat Beda, qui uxorem reliquit ( utique propter infidelitatem ) & cui, vivente ea, *quæ relicta est*, aliam ducere lex Dei vetat, quod omnino verum est.

LXXXVIII. Objiciunt 7. S. Basilium epist. 188. ad Amphil. Sed opus non est, ut ad ejusmodi objectionem respondeam, cum ipsimet loco mei respondeant, admittentes *certum esse*, quod ibidem agatur dumtaxat de adulterio, & non de infidelitate. Ad quid ergo tam inutilia objiciunt?

At, inquiunt, statuit S. Basilius, quod infidelitas non magis sit causa dirimendi matrimonium, quam ipsummet adulterium.

R. Idem & nos statuimus, dicentes, quod, propter solam infidelitatem compartis, non possit pars conversa ad aliud matrimonium transire, sed ad hoc requiratur, ut pars infidelis deserat fidelem, seu, quod idem est, nolit ei pacifice, aut non nisi cum injuria Salvatoris cohabitare. Et hæc quidem forsitan non sine aliquo lectorum tædio toties repeto, sed hoc mihi, velim, ignoscant: in eam necessitatem me conjiciunt tædiofa adversariorum argumenta, quæ illa semper probant, de quibus in præsentî quæstione non agitur, & casum Apostoli, quem deberent attingere, ne semel quidem attingunt.

LXXXIX. Obj. 8. Saltem Theophylactus, qui characteri episcopali doctrinam jungebat profundissimi theologi, agit de casu Apostoli, cujus doctrinam explicans, ait: *Quæ verba*, ( scilicet 1. ad Cor. 7. ) *si exacte discutiantur, solum significant quod in ejusmodi discessibus, seu separationibus, infidelis a fideli ( infidelis conjugis a fideli conjuge, infidelis patris a fideli filio, infidelis filii a fideli patre &c. nullus frater aut soror, hoc est nullus Christianus aut Christiana, est*

*subjectus servituti priori, puta, qua filius tenetur patri, & e converso, qua filia tenetur matri, & e converso, qua uxor marito, & e converso: Sed hinc non convincitur, quod sit SOLUTUM VINCULUM CONJUGALE, sicut non solvitur vinculum filiale aut paternum.* Ita Theophylactus in epist. 1. ad Cor. cap. 7.

XC. *¶.* Hic, fateor, habent adversarii authorem, qui agit de casu Apostoli, & quidem authorem tantum, quantum illi deprædicant. Sed, quod illis male cedit, ne verbum quidem habet Theophylactus ex iis, quæ referunt. Theophylactum legi & relegi in loco, quem citant, unaque non contentus editione, quæ est de anno 1554., antiquiorem consului, quæ est de anno 1545., & nec in hac, nec in illa, verbum reperi, ex illis, quæ citant adversarii. Hæc igitur sunt, quæ ibidem dicit Theophylactus. "*Quod si infidelis, discedit, discedat: Hoc est, si vir infidelis, uxori fideli injungat, ut secum sentiat, & particeps suæ fiat infidelitatis, dirimat potius matrimonium mulier, & a viro abscedat: fatius enim est connubium ipsum DISSOLVERE, quam pietatem & Dei cultum dimittere.*" Hæc, inquam, sunt, quæ dicit profundissimus ille theologus: ex quibus videre possunt adversarii, quantum ipsis faveat Theophylactus.

XCI. Reflectant jam, velim, qui nostram, seu potius ecclesiæ doctrinam, tam elato supercilio, tamquam erroneam & traditioni contrariam traducere non sunt veriti, reflectant, inquam, quomodo in asserti sui probatione oleum & operam omnino perdidierint, cum ne unum quidem ex SS. patribus potuerint citare, qui eorum faveret sententiæ. Hoc unum probaverunt, quod, nullo casu, liceat mulieri duos habere viros, aut quod, dum ex duobus infidelibus

unus convertitur, & alter non, parti conversæ non liceat aliud matrimonium inire, dum pars infidelis pacifice consentit cohabitare; aut, quod in casu adulterii matrimonii vinculum non solvatur; quæ omnia admittimus. Ad quid ergo, si aliud dicendum non habebant, tam inutiliter sese fatigarunt?

FINIS.

*AD MAJOREM DEI GLORIAM.*

CENSURA.

FRANC. JACOBI S. T. L. Ap. Reg. Lib.  
pro Germ. Inf. Vif. & Cenf.

PERMISSIO

REVERENDI ADMODUM

AC ERUDITISSIMI PATRIS MAGISTRI  
PROVINCIALIS.

**P**ermittimus, ut dissertatio theologo-cano-  
nica: utrum in casu Apostoli I. ad Cor. 7.  
parti conversæ ad secunda liceat vota mi-  
grare, per F. JOSEPHUM MAUGIS ord.  
erem. S. P. Augustini, in alma universitate  
Lovaniensi, S. T. D. R. ex nostra commissio-  
ne, per R. A. ac erud. patrem Joannem Chry-  
sostomum Leerse, in alma univ. Lov. S. T. L.  
& sacrarum litterarum professorem, nec non  
provinciae Flandro-Belgicae definitorem, ac R.  
A. & erud. P. Joannem sterck, in eadem univ.  
S. T. L. & professorem necnon studii theo-  
logici regentem, examinata & approbata typis  
mandetur. Dabamus Gandavi in conventu  
nostro ad S. Stephanum die 22. 7bris 1770.

Fr. JACOBUS VOLLAERT  
ord. erem. S. P. Augus-  
tini provinciae Flandro-  
Belgicae prior provincia-  
lis, in alma univ. Lov.  
S. T. L. & per foederatas  
Belgii provincias praefec-  
tus apostolicus &c.

D

**E**X commissione adm. rev. ac erud. patris  
magistri provincialis, legimus opusculum,  
cui titulus: *Dissertatio Theologo-Canonica :  
Utrum in casu Apostoli I. ad Cor. 7. parti con-  
versæ ad secunda liceat vota migrare, per F. JO-  
SEPHUM MAUGIS, ord. erem. S. P. Au-  
gustini, in alma universitate Lovanicæ S. T.  
D. R. in quo communem ecclesiæ sententiam  
invenimus solide stabilitam, & ab objectionibus  
quorundam recentiorum strenue vindicatam :  
quare idem valde utile, & prælo dignum judi-  
camus. Lovanii 26. Octobris 1770.*

Fr. JOANNES CHRYS. LEERSE  
ord. erem. S. P. Augustini,  
in alma univ. Lovaniensi S. T. L.  
provinciæ Flandro-Belgiæ de-  
finitor, ac SS. literar. prof.

Fr. JOANNES STERCK ejusdem  
voti, in alma univ. Lov. S. T. L.  
studii théol. regens & prof.

FR. JACOBUS VOLLBERT  
ord. erem. S. P. Augustini  
prior provincie Flandro-  
Belgicæ in alma univ. Lov.  
S. T. L. & per hanc  
Belgii provincie præf.  
susceptorus &c.



Adversus hanc eximii patris dissertationem prodiit hæc positio, quæ in scholis jurium propugnata fuit 15. Decembris 1770.

*Ad I. ad Corinth. cap. VII. v. 11. & 15. & cap. 7.  
de divort.*

Apostolus in hoc textu refert Dominum præcipere : *uxorem a viro non discedere : quod si discesserit, manere innuptam.* Ab hac sanctissima & inviolabili lege nonnulli existimant eundem Apostolum exceptionem facere, dum v. 15. ait : *quod si infidelis discedit, discedat, non enim servituti subiectus est frater aut soror in hujusmodi.* Et hoc casu, ut dicunt, vult Apostolus in arbitrio partis conversæ esse matrimonii vinculum solvere. Sed quam hoc a mente Apostoli alienum sit, ipse textus ostendit.

Et brevi post, præcedenti dissertationi opposita fuit, quæ subjungitur

DISSERTATIO  
HISTORICO-CANONICA


*In qua ostenditur in casu Apostoli I. ad Corinth. cap. 7. parti conversæ liberum non esse ad secunda vota transire.*

AUCTORE

CLARISSIMO VIRO DOMINO  
D. JUDOCO LE PLAT,

Juris utriusque in alma universitate Lovaniensi doctore & institutionum imperialium professore regio.

D



# DISSERTATIO

## HISTORICO - CANONICA

*In qua ostenditur in casu Apostoli 1. ad Corinth. cap. 7. parti conversæ liberum non esse ad secunda vota transire.*

Propo-  
nitur qua-  
estio.

I. **L**icet matrimonium suam obtinuerit insolubilitatem in ipso mundi principio ex jure naturali, divino & dein ex evangelico, non tamen operatur hæc insolubilitatis lex, quin in aliquo casu solvi possit: sed oportet ut hic casus sit expressus ab eo, qui matrimonii insolubile vinculum primus statuit, quique solus dicto juri derogare potest.

Cum vero ejus vinculi dissolubilitati solus favere videatur textus Apostoli 1. ad Corinth. 7. v. 15. in quo dicitur: *quod si infidelis discedit, discedat, non enim servituti subjectus est frater aut soror in hujusmodi, in pace autem vocavit nos Deus*, nonnulli contendunt Apostolum exceptionem a lege, quam Deus ab initio de fœdere conubii sanxit, ecclesiæ promulgasse; adeo, ut sentiant matrimonii vinculum eo casu esse dissolutum.

At cum opinio hæc nullo huc usque infallibili judicio sit definita, neque etiam ulla ecclesiæ doctoris interpretatione suffulta, sed sententia sit

tantummodo privatorum aliquorum doctorum, temerarium dici nequit, multo minus illicitum, examinare, an reipsa doctores illi genuinum apostolici textus sensum fuerint assecuti, & simul ostendere contrariam sententiam certis & ineluctabilibus rationibus esse subnixam.

II. Et quidem, ut exordiamur, octo prioribus ecclesiae seculis SS. patrum constans fuit doctrina, matrimonium, etiam infidelium, natura sua ac institutione divina esse insolubile, atque ratum ac firmum manere apud infideles, etiam post conversionem unius partis ad fidem: nullaque tunc in ecclesia invaluerat exceptio, quam infirmari credunt multi in textu supra adducto.

III. Tertullianus libro 2. ad uxorem, cap. 2. agens de textu Apostoli, *si quis fratrum habet uxorem &c.* ait: "manifestum est scripturam istam eos fideles designare, qui in matrimonio gentili inventi a Dei gratia fuerunt, secundum verba ipsa: *si quis fidelis uxorem habeat infidelem*, non dicit *uxorem ducit infidelem*, ostendit jam in matrimonio agentem mulieris infidelis, mox gratia Dei conversum, perseverare cum uxore debere. Scilicet propterea, ne quis fidem consecutus, putaret sibi divertendum esse ab aliena & extranea quodammodo femina. Adeo & rationem subjicit, *in pace nos vocari ad Dominum Deum & posse infidelem a fidele per usum matrimonii lucrì fieri*. Ipsa etiam clausula hoc ita intelligendum esse confirmat, *ut quisque*, ait, *vocatur a Domino, ita perseveret*. Vocantur autem gentiles, opinor, non fideles.

Deinde magnam esse differentiam ostendit inter fidelem, qui cum infideli nuptias init, & inter eum, qui matrimonio gentilis a Domino allegitur, cum ille a nuptiis infidelis arceatur, hic vero in his perseverare jubeatur. "Cur, si a gentili inqui-

Probatur ex constanti SS. P. P. aliorumque doctrina.

Ex Tertulliano, qui casum Apostoli ignoravit.

namur, non ille disjungitur, quemadmodum  
 „ ille non obligatur? Respondebo, si spiritus de-  
 „ derit, ante allegans Dominum magis ratum  
 „ habere matrimonium non contrahi quam omni-  
 „ no disjungi: denique divortium prohibet, nisi  
 „ stupri causa, continentiam vero commendat.  
 „ Habeat igitur ille perseverandi necessitatem, hic  
 „ porro etiam non nubendi potestatem.,

Censuit igitur Tertullianus matrimonium infidelis post conversionem ratum & firmum manere, atque partem conversam cum parte infideli in matrimonio perseverare debere: excepta fornicationis causa (sub qua, interprete Augustino, etiam infidelitas continetur) quo casu permittente Domino a fornicario separari licet, quod ad torum tantum attinet; cum Domino generaliter jubente, nullo casu aliam ducere liceat.

Ex S.  
 Hierony-  
 mo.

IV. S. Hieronymus *adversus Jovinianum lib. 1.* sat manifeste ostendit casum Apostoli solam separationem tori, non vero vinculi solutionem respicere: sic enim loquitur: *his autem, quos in matrimonio deprehendisset fides, hoc est si unus credidisset e duobus, præcipit ne credens repudiet non credentem. Caussisque expositis, quod candidatus fidei sit infidelis, si nolit a credente discedere. E contrario jubet, si infidelis repudiet fidelem propter fidem Christi, discedere debere credentem, ne conjugem præferat Christo, cui etiam anima postponenda est.*

Ex hoc loco certum est, quod & admittunt adversarii, solam unius fidem, altero in infidelitate manente, causam justæ dimissionis quoad vinculum non esse, cum Apostolus præcipiat, volentem cohabitare non esse dimittendum: quod si cohabitare nolit, juxta Hieronymum, sensus Apostoli est, discedere debere credentem, seu credenti fas esse, ut vicissim recedat, & hoc, ut

ait, *ne conjugem præferat Christo, cui etiam anima postponenda est:*

Hieronymus itaque hoc vult, sensum Apostoli esse, quod in casu quo infidelis reputatur fidelem propter fidem Christi, amplius non teneatur fidelis ea lege, qua ipsi præcipitur, ne dimittat non credentem, si nolit a credente discedere; quod quidem Dominus absolute non præceperat, sed Apostolus consuluerat tanquam a Domino convenienter præceptum: quia tunc alia lege tenetur, quæ præcipit conjugem Christo non esse præferendum, quem præferre censeatur, si conjugem infidelem, qui propter Christi fidem fidelem deferere vult, sequeretur.

Cum igitur in casu, quo infidelis parti conversæ cohabitare vult, separatio, quam hic prohibet Apostolus, fatentibus adversariis, unice respiciatur torum seu habitationem cum parte infideli; etiam separatio cum nolente cohabitare, quam jam præcipit Apostolus, ne pars fidelis conjugem Christo præferre videatur, S. Hieronymo interprete, torum tantum seu habitationem respicit.

V. Et vero, si infidelitas nequidem causa necessaria est separationis pro parte fidei quoad habitationem, quando pars infidelis cohabitare consentit, quomodo accedente hac singulari circumstantia, quod infidelis sese separet aut discedat, justa causa erit solvendi vinculum matrimonii? An ergo discessio partis infidelis a fidei tantæ virtutis erit, ut matrimonii vinculum, quod infidelitas non dissolvit, dissolvat? Sane si hoc Apostolus voluisset, claris verbis expressisset: legi enim claræ per verba ambigua non derogatur, & punctum hoc indubie apertius declarari merebatur.

Sed quod hic non satis mirari possumus, juxta adversarios, exceptionem, quam ipsi prædicant,

Fluctuans adversariorum doctrina expenditur.

Apostolus ecclesiae dimidiatae tantum clare promulgasset: nam & ipsi admittunt, momentum temporis, quo praetensa hujus vinculi solutio peragitur, adhuc incertum esse. Nonnulli enim docent matrimonii vinculum dissolvi statim ac infidelis renuit legitime cohabitare: alii docent illud non statim dissolvi, sed tunc solum, quando elapsus est terminus auctoritate ecclesiae infideli praefixus, ut se declaret, an velit cohabitare sine contumelia Creatoris; ceteri demum in ea sunt sententia, ut matrimonium tunc solum dissolvatur quoad vinculum, quando conjux fidelis aliud contrahit matrimonium: quas omnes sententias exponit *Glossu in cap. Gaudemus in verb. compellitur*; & de *divort.* & fusius prosequitur Sanchez *de matrim.* lib. 7. disp. 75.

Quidni etiam adversarii fateri debeant incertum quoque esse an matrimonium in casu Apostoli quoad vinculum solvatur? An forte traditio apostolica clara & certa erit hoc casu pro vinculi solutione, obscura autem quoad momentum temporis quo haec solutio perageretur? Hoc asserere, adparet nobis Apostolum ludibrio exponere.

Altera  
probatio  
ex duobus  
S.  
Chryso-  
stomi lo-  
cis petita.

VI. S. Chrysostomus *Hom. 22. in epist. ad Roman.* eodem modo quo S. Hieronymus haec Apostoli verba exponit: nempe cum solummodo a parte fideli avertere voluisse periculum perversio- nis atque peccati, quod subesset, si pars fidelis habitaret cum parte infideli non sine contumelia Creatoris cohabitare volente. En ejus verba.

” Si infidelis discedit discedat. Id est, quae penes  
,, te sunt, praesta, & nemini des ansam belli &  
,, pugnae.... sicubi vero pietatem laedi videas,  
,, ne praeponas concordiam veritati, sed generose  
,, persistas usque ad mortem; ac ne sic ex ani-  
,, mo pugnes, neque ex voluntatis proposito ip-  
,, sum adverteris, sed in rebus tantummodo pug-

„Res, id enim significat illud, quod ex vobis est  
 „cum omnibus pacem habentes: & si ille pa-  
 „cem non servaverit, tu ne animum tuum tem-  
 „pestate repleas, sed ex proposito voluntatis  
 „amicus esto: uti dixi veritatem nusquam pro-  
 „das.“

Si sensus Apostoli fit ob similem discessum parti conversæ jus esse solvere vinculum matrimonii, quomodo eo in casu S. Chrysoftomus credit Apostolum præcipere, ut pars conversa persistat usque ad mortem, ut ex voluntatis proposito partem non adversetur, sed amica permaneat, neque contra illam ex animo pugnet, sed unice in quantum necesse est, ut a se periculum seductionis avertat, ubi tamen juxta adversarios pars conversa aliud animo non meditatur, quam in perpetuum tum a comparte, tum a propria familia separari, per secunda, ad quæ posset transire, vota; quæ omnino occluderent liberum ejus ad conjugem reditum, etiam pro casu quo infidelis se converteret & conjugi prius fideli cohabitare vellet; & cum in alia conjugia ceciderit, prout in similibus natum est fieri, adulterinis nexibus perpetuo colligata maneret, prout placuisse video novo adversarii nostri Augustino.

Nunquid saltem, si cum aliquibus aliis adversariis fingamus, per secunda partis conversæ vota infidelem liberari, ut perpetua in infideli parte adulteria, quæ Augustinus adeo exhorruit, evitentur, dum pars conversa facultate sibi concessa non uteretur, Apostolus, vel saltem pia MATER ECCLESIA, præfigere non debuisset certum tempus, quo restringeretur hæc libertas, quam fideli attribuunt, quemadmodum & in casu matrimonii rati tantum, quoad facultatem ingrediendi religionem, tempus bimestre præfixit ecclesia? Edisserant hoc adversarii.

Sed nec is solus locus est ubi S. Chrysoftomus

verba Apostoli ita interpretatur, ut unice separationem quo ad torum importent, nam alio adhuc in loco: nempe *Hom. 19. in epist. 1. ad Corinth.* ita loquitur: "quid sibi vult autem illud: si  
 „ *infidelis discedit discedat* aut separetur? Verbi  
 „ gratia, si te jubeat sacrificare, aut sociam impietatis esse propter connubium, vel discedere,  
 „ melius est dirumpi connubium, quam piam religionem. Quapropter subdit: *non enim servituti subiectus est frater aut soror in hujusmodi rebus*, si quotidie ea de causa pugnet, & bellum moveat, melius est separari. Hoc enim subindicat, cum dicit; *in pace autem vocavit nos Dominus*. Ille enim causam præbuit, ut is qui fornicatus est., Quam alienum sit a mente Chrysofomi Apostolum dicto loco voluisse in potestate partis fidelis esse matrimonii vinculum solvere vel non, vel ex hoc solo patet, quod illo in supposito verba ejus commodo sensu carerent: etenim negari nequit, cum ad verba Apostoli, etiam in omni rigore intellecta, aliud non docere quam hoc, *melius est separari*: & ratio, inquit, latet in his Apostoli verbis: *in pace vocavit nos Deus*: quæ verba profecto per se non important vinculi solutionem.

Aliud enim si Chrysofomus voluisset, hoc esset ejus ratiocinium: si conjux infidelis consentit habitare cum illa, ne dimittat illam, neque infidelitas impedit connubium, neque fides Christi causa est dissidii, & quisque in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat; quid enim scis mulier si virum salvum facias? Si autem infidelis discedat, seu sine periculo perversionis cohabitare nolit, tunc oportet potius dirumpere vinculum matrimonii, quam amittere piam religionem.

An ergo in arbitrio partis fidelis est dirumpere matrimonii vinculum, vel in eo, si malit, per-



manere? Hoc tamen sequeretur, si hunc Chry-  
stomo affingamus sensum; & quomodo tunc ve-  
rum esset hoc CHRISTI DOMINI dictum: *quod  
Deus conjunxit, homo non separet?*

VII. At dicit adversarius, insolubilitatem matri-  
monii tantam non esse, ut illud solvere non possit  
Deus, quando vult, ubi vult, & quomodo vult;  
jam vero, ait, in casu Apostoli, non dicimus per  
hominem, sed per Deum matrimonii vinculum solvi.

Ad argu-  
mentum  
adversarii  
hac occa-  
sione ref-  
ponde-  
tur.

Idem præcise respondent hæretici, dum quæ-  
ritur, utrum matrimonii vinculum per adulte-  
rium dissolvatur? Negant & illi hujus divortii  
propter adulterium auctores esse homines, sed  
Deum, qui jam, ut aiunt, olim adeo expresse  
voluit adulterio matrimonia dissolvi, ut etiam a-  
dulteros morte punierit; simulque asserunt non  
amplius esse virum ipsius, etsi adhuc is est super-  
stes, qui vir ipsius fuit, quod & Pollentius Au-  
gustino objiciebat.

Sed sicut hæretici merito rejiciuntur, quia sup-  
ponunt, quod est in quæstione, ita & adversarius  
merito rejicitur, quia supponit de quo quæritur.

Et vero verba illa: *melius est disrumpi con-  
nubium, melius est separari*, vera sunt, licet de  
separatione tantum quo ad torum sermo sit.

Nonne idem recte dicere potuisset Chryso-  
stomus de parte fideli juncta parti infideli, abstra-  
hendo an matrimonium hoc conversionem unius  
præcessisset vel contra? Et licet, interprete Ter-  
tulliano, de hoc casu non agat Apostolus, quia,  
ut ille ait, Apostolus non dicit, *si quis fidelis  
ducit uxorem infidelem, sed, si quis fidelis ha-  
beat uxorem infidelem*, attamen Apostolus ca-  
sum non excludit de duobus infidelibus matrimo-  
nio junctis, qui uterque converteretur ad fidem, ubi  
alter denuo, quod in talibus non raro contingit,  
rediret ad gentilismum vel Judaismum, quique  
deinceps non nisi cum injuria Creatoris cohabitare

vellet. Quis tali casu, nisi cum hæreticis sentiat; dicet matrimoni vinculum solvi? Et tamen verba præcitata Chrysofomi, *melius est dirumpi connubium, melius est separari*, immo & verba Apostoli, *non est subiectus frater aut soror in huiusmodi*, huic & illi casui adplicari possent.

Certe Paulus, cujus auctoritati standum nobis est, etsi de matrimoniis jam contractis agat, in genere tamen loquitur de fideli, quem infidelis deseruit, nullo facto discrimine, eone tempore, quo initum fuit conjugium, uterque esset infidelis, an vero alter tantum: neque etiam eum, qui nunquam alius quam infidelis fuerit, ab apostata discernens. Atque etiam par in hac & illa specie fit desertio, & apostatae desertori minus, quam cuiuspiam veram religionem nunquam amplexo, fit indulgendum.

Quid multis? Verba illa, *melius est dirumpi connubium, melius est separari*, intellecta sensu adversariorum, significarent, minus esse malum dirumpi connubii vinculum, quam deserere piam religionem: inter quæ profecto nulla comparatio institui potest: quisquis enim sibi sufficit, ut religionem deserat; ac in potestate nullius conjugum est dirumpere matrimonii vinculum, vel ab eo semel legitime contracto sese absolvere: itaque velle talem esse Chrysofomi sensum, nihil minus est quam velle ipsum sine sensu esse loquutum: ubi in nostra sententia, quæ dixit, optima ratione dixit. Sano siquidem sensu quis dicat; melius est a conjugè quoad habitationem separari; quam separationem, juxta quod docet Apostolus in casu malitiosæ desertionis, pars conversa absque omni culpa facere potest, quam se exponere periculo perversionis.

VIII. Sed dicet hic aliquis: nunquid pars conversa sese quoad habitationem separare potest a par-

Respon-  
sio ad  
aliud ar-  
gumen-  
tum ex  
textu  
Apostoli  
petitum.

te infideli ex hoc solo, quod altera pars maneat infidelis, etiam in casu quo cohabitare vellet? Ergo dum Apostolus dicit, quod discedente infideli, non sit servituti subjectus frater aut soror, de illa servitute non agit a qua pars fidelis jam est libera, etiam si non discedat infidelis, sed de alia, a qua demum liberatur, dum infidelis discedit.

Immo vero de eadem agit Apostolus, de qua dixerat, "ego dico non Dominus: si quis frater uxorem habeat infidelem & hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam."

De illa proinde servitute agit, quam quidem Dominus non præceperat, sed quam ipse Dei spiritu inspirante convenienter consuluerat. Itaque totum, quod hic Apostolus velit, est, partem fidelem, dum conjux infidelis discedit, liberam esse a consilio seu præcepto quod ipse dederat, adeoque ab alia servitute, respectu habito ad præceptum Apostoli, a qua demum liberatur dum infidelis discedit, licet de eadem, respectu habito ad præceptum Domini, jam ante esset libera, utpote quod tali casu non adesse adseruisset Apostolus.

IX. Videamus nunc an D. Ambrosii sententia opinioni adversariorum faveat; vult enim nonnullus eum cum ipso sensisse *Lib. 8. in Luc.*, quo loco ait: „quidam enim putant esse omne conjugium a Deo, maxime quia scriptum est; *quæ Deus conjunxit homo non separet.* Ergo si omne conjugium a Deo est, omne conjugium non licet solvi, & quomodo Apostolus dixit: *si infidelis discedit discedat?* in quo & mirabiliter noluit apud Christianos causam residere divortii, & ostendit non a Deo omne conjugium, neque enim Christianæ gentilibus iudicio Dei copulantur, cum lex prohibeat.

Fatemur Ambrosium dicto loco agere de vin-

Locus  
Ambrosii  
*lib. 8. in  
Luc* addu-  
citur, si  
mulque  
ostendi-  
tur eum  
expresse  
nostram  
causam  
agre.

culo matrimonii, quod vinculum ipse legem connubii vocat: etenim proponit sibi prius dicere de lege connubii, ut postea, inquit, de prohibendo divortio disputemus; de divortio scilicet quoad vinculum.

Num ideo ex hoc loco habetur ipsam existimasse Apostolum in verbis *si infidelis discedit, discedat*, etiam de vinculi solutione egisse? Minime.

Nam, ut phrasi dissertatoris utamur, luce meridiana clarius legenti adparebit, Ambrosium dicto loco verba Apostoli citare per modum objectionis ad illud, quod dixerat; conjugium omne (scilicet legitime contractum) cum a Deo sit, omne conjugium non licet solvi.

Sed cum verba Apostoli divortium potius respicerent, de quo modo non agebat Ambrosius, quam conjugii legem, ideo eorundem explanationem retulit *ad num. 8. ejusd. lib. pag. mihi 1472. edit. Benedic. Sti Mauri.*

De divortio prohibendo disputare cœperat *num. 4.*, ubi generaliter & sine ulla exceptione docet conjugium semel legitime contractum nullum admittere divortium, etiam in casibus ubi lex humana id permittit, seu potius non prohibet, *quia, inquit, lex Divina prohibet.*

Num. 7. autem ejusdem libri objicit sibi: *quomodo ergo Moyses mandavit dari librum repudii & dimittere uxorem?*

Respondet Ambrosius: „ qui hoc dicit, Judæus  
 „ est: qui hoc dicit, Christianus non est.....  
 „ Moyses permisit, inquit Dominus, non Deus  
 „ jussit: ab initio autem Dei lex est: *relinquit*  
 „ *homo patrem & matrem & adhærebit uxori*  
 „ *suae, & erunt ambo in carne una: ergo qui*  
 „ *dimisit uxorem carnem suam scindit & dividit*  
 „ *corpus.*”



rem fidei parti conversæ concederetur facultas ad secundas nuptias provolandi? Cum Ambrosius evidenter asserat Apostolum prædictis verbis negasse legis esse Divinæ, ut conjugium quaecunque solvatur?

Itaque quod hic vult Ambrosius, est; doctrinæ, quam præmiserat de absoluta insolubilitate matrimonii legitime contracti, neque obitare, quod Moyses dixit de libro repudii, neque etiam illa, quæ dixit Apostolus de matrimonio impari, ubi infidelis sponte a fidei discedit, seu his casibus matrimonii vinculum non solvi. Ait Ambrosius: se dixisse hæc moraliter. Super quo omni responsum adversarii expectabimus.

An matrimonia Christianos inter & infideles tempore Ambrosii fuerint nulla, obiter examinatur.

X. Diximus matrimonii legitime contracti: nam quæri hic posset, licet extra thesin, an tale sit juxta Ambrosium matrimonium, quod fidelis init cum infidei, seu Judæo? De quo, ut placuisse videtur adversario, Ambrosius saltem transeundo agit.

Quod hoc attinet, certum est Ambrosium cum antiquis patribus connubia inter fidelem & infidelem nunquam non improbasse: an vero contracta ea dissolvi voluerit, lis est veteres inter ac recentiores theologos. Adfirmantem opinionem defendunt Gratianus, P. Lombardus, atque alii: a negante autem stant Estius, Bellarminus &c. Ità Benedictini operum divi Ambrosii editores in nota ad epist. Ambrosii ad Vigil. num. 34.

Fatentur quidem ibidem non tam perspicue loquutum hac de re Ambrosium, ut nullus super sit dubii locus; attamen, ajunt, si testimonia ipsius, quæ ibidem indicant, penitus introspeciamus, omnia ejusmodi connubiorum genera ab eo sic prohiberi comperiemus, ut pro nullis habenda esse satis significet.

Si hoc ita sit, oportet ut extet lex aliqua, seu



„ Judæus accipiat, neque Judææ Christianus  
 „ conjugium fortiatur, nam si quis aliquid hu-  
 „ jusmodi admiserit, adulterii vicem commissi  
 „ hujusmodi crimen obtinebit: libertate in ac-  
 „ cusandum publicis quoque vocibus relaxata.  
 „ Dat. prid. id. Mart. Theſſal. Theodofio A. II.  
 „ & Cynegio conſl. „

Et hoc textu patet inductum fuiſſe impedi-  
 mentum, quod *cultus diſparitatem* jam vocant, anno Chriſti 388., cum ea lege non tantum hu-  
 jusmodi connubia prohibita fuerint, quod ad  
 impedimentum inducendum ſufficiebat, ſed &  
 adulterii, cujus pœna tum capitalis erat, vicem  
 obtinere juſſa ſint, libertate accuſandi unicuique  
 conceſſa.

Et licet illa lex tantum de Judæis loquatur, ta-  
 men, teſte Gothofredo *ad L. 11. Cod. Theod. de  
 nupt.*, eadem ea tempeſtate paganorum ratio  
 fuit, additque, ad hanc legem alludere Auguſti-  
 num epiſt. 234. ad Ruſticum his verbis: „ cum  
 „ certiffime noveris tradi a nobis Chriſtianam  
 „ niſi Chriſtiano non poſſe, nihil tamen mihi  
 „ tale de filio tuo, quem adhuc paganum au-  
 „ dio, promittere voluiſti. „

Figmen-  
 tum ad-  
 verſarii  
 diſcuti-  
 tur, ſi-  
 mulque  
 ad quaſ-  
 dam ejus  
 cavilla-  
 tiones  
 responde-  
 tur.

XI. Quidquid ſit de hac ſententia, prædicta,  
 quibus & plura alia addere poſſemus, ſufficiunt,  
 ut æquus lector videat, quam inconfiderate ad-  
 verſarius ſinſerit *advocatum quendam* argumen-  
 tari a noſtris temporibus ad tempora S. Ambro-  
 ſii pro nullitate matrimonii Chriſtianum inter  
 & infidelem contracti. „ Sed cum hoc ejus deli-  
 „ ctum non ex animo, ſed extra veniat, noxia  
 „ non committitur, „ \* ſiquidem vir ille in ſub-  
 „ tilitatibus ſcholæ magis, quam in re hiſto-  
 „ rica aut canonica ſit verſatus.

\* L. 1. C. ſi adv. delict.



Sed quid de S. Monicae cum Patritio conjugio? An forte id nullum fuit?

Pro quo notandum: natum esse Augustinum 13. Novembris anni 354. & Patritium jam obiisse anno 372. Itaque si, prout probabile est, lex Theodosii familia conjugia irrita declaraverit, praevis ante hanc legem, anno 388. tantum latam, inita matrimonia involvere non potuit.

Et, ut nihil ex disertatoris ad hunc locum Ambrosii ratiociniis omittamus, ponamus ipsum dicto loco transeunter, seu quasi extra quaestionem, docuisse matrimonium Christianum inter & infidelem initum nullum esse; petit adversarius, an hoc posito Ambrosius dicere potuisset, quod matrimonium illud solvere liceat? An forte, inquit, solvitur quod non existit? An non praerequiritur valor seu existentia matrimonii, ut possit dissolvi?

Profecto discursus ille Ambrosii non fuisset tanto viro indignus, neque etiam ridiculus, ut disertator vult, quod & ipse, qui alias rectius ratiocinari solet, sensisset, si ad illud, quod notissimum est, quodque scholares nostri non ignorant, advertisset, quod conjugium recte solvi dicatur, dum declaratur illud nulliter, seu cum impedimento dirimente, contractum fuisse: sic frequenter fatiscit, ut rescindi dicatur, quod nullum erat: eodemque sensu matrimonia per sententiam judicis rescindi vel solvi dicuntur, quae nulliter contracta esse declarantur.

XII. De cetero, non bene concipimus illud quorundam scholasticorum assertum, quo volunt, Apostolum hic promulgasse exceptionem a lege connubii, in favorem fidei, ut ajunt, propter quam concederetur facultas parti conversae alias nuptias ineundi. Hanc rationem nec Gratianus, nec Innocentius III., nec S. Thomas adducunt.

Frivola quorundam ratio, ex praeferentia fidei privilegio petita, notatur.

An forte pro parte, quæ convertitur, ipsa fides sufficiens favor non est, ut superaddi debuerit facultas ad secundas nuptias convolandi, quibus, ut volunt, primæ dissolverentur? (debuissent & dotem adjecisse) Qui hoc asserit, simul admittat necesse est, Apostolum per privilegium, quod eum hic concessisse dicunt, fictis & non sinceris conversionibus ansam dedisse, simulque voluisse, ut evangelium libidini ac voluptati deserviret: quo enim pacto credemus hominem illum erga religionem esse bene adfectum, qui erga legis naturalis obligationem male adfectus est, sicque sæpe destitueret senectutem illius, cujus defloraverat juventutem? Aut quo animo religionem Christianam amplectetur, quam videt suæ voluptati & delitiis obsequentem? Quæ omnia non raro contingerent in illis, quibus persuasum est secundas nuptias in aliquo casu a Deo esse institutas, quibus primas dissolverent.

Simile malum Ambrosius in *Psal.* 118. *serm.* 20. *num.* 48. deflet, dum asserit suo tempore plurimos fidem simulasse, ut uxorem Christianam, quæ a parentibus infideli negabatur, ducere possent. Verba ejus sunt: „namque uxoris ducendæ gratia, quæ gentili viro a Christianis parentibus negabatur, simulata ad tempus fide, plerique produntur, quod foris confessi sunt, intus negasse.„

Offenditur Augustinum hanc vinculi solutionem non admisisse.

XIII. Sed ad Augustinum properemus. Hic in duobus libris de adulterinis conjugiiis ad Pollentium scriptis, non tantum de exceptione a lege matrimonii a Deo facta & per Apostolum, ut volunt, promulgata, mentionem non facit, ubi, si unquam alibi, de illa mentio facienda erat, si eam agnovisset: sed contra, talia ponit principia, quæ simili exceptioni sociari non possunt.

Occasio horum librorum fuit, quod Pollentius

vellet matrimonii vinculum solvi per adulterium: item infidelitatem unius conjugis non esse causam justam parti fideli sese separandi ab infideli quoad torum & habitationem, quando pars infidelis cohabitare volebat.

S. Augustinus dictis libris multis offendit adulterium non solvere matrimonii vinculum, quamquam eo casu licita esset quoad torum separatio.

Deinde ex Apostolo probat, infidelitatem unius partis justam quoque causam esse separationis quoad habitationem, licet illa non expediat, dum pars infidelis cohabitare vult, monente seu præcipiente Apostolo.

Nam si propter fornicationem carnis permittitur conjugi separari, quanto magis in conjugis mentis fornicatio, id est infidelitas, detestanda est? Quia, inquit, *lib. 1. cap. 25.* „ justitia permittit a fornicante discedere, sed non semper expedit: manere autem cum illo, si habitare consentit, & licet & expedit. Propter quodlibet tamen fornicationis genus, sive carnis, sive spiritus, ubi & infidelitas intelligitur, & dimisso viro non licet alteri nubere, & dimissa uxore non licet alteram ducere; quoniam Dominus nulla exceptione facta dicit: *si uxor dimiserit virum suum, & alteri nupserit, mæchatur, & omnis, qui dimiserit uxorem, & alteram duxerit, mæchatur.* „

Igitur juxta Augustinum nec isto casu, ubi justa est separatio, unquam licet alteri nubere.

Si vero, dum pars infidelis legitime cohabitare nolit, solvatur matrimonii vinculum, potuissetne Augustinus simpliciter & generaliter dicere, verba Domini nullam pati exceptionem, eo in loco, ubi de infidelitate seu de spirituali fornicatione agit & textum Apostoli ex professo examinat, atque etiam pro eodem fumere, quod vin-

culi matrimonii solutionem attinet, fornicationem carnis & fornicationem spiritus, & asserere neutro casu, parte una recedente, sive quia fornicata est carne aut spiritu, alteri ad alia vota transire licere?

Si Pollentius credidisset parte infideli discedente, parti fideli jus esse aliud connubium ineundi, hoc ipsum non parum ejus causam juvasset, & Augustinus coactus fuisset rem hanc clarius enodare, & argumentum, quod Pollentius contra ipsum vel ex hac doctrina formare potuisset, solvere seu explicare debuisset: siquidem potuisset hic dicere Pollentius: juxta te propter fornicationem spiritus, dum pars infidelis cohabitare non vult, solvitur vinculum matrimonii, ergo etiam propter fornicationem carnis, dum pars eo fine fornicatur, ut non cohabitet, solvetur vinculum matrimonii.

Et tamen ad ejusmodi solutionem se non coactum sensit Augustinus, licet ipsemet illud secundum in quaestione posuisset, tanquam absurdum consequens, ex opinione, quam Pollentius de adulterio habebat.

Itaque male omnino confutasset Augustinus Pollentium, si in aliquo casu possibili matrimonii vinculum propter infidelitatem solvi posset. Cum ergo illius exceptionis mentionem non faciat, & rem hanc, quam cum Pollentio habebat, sic tractet, ut similis objectio ei proponi non posse supponat, atque asserat vinculum matrimonii perpetuo subsistere, solaque morte unius partis solvi, ut quid hic adhuc de mente Augustini dubium moveretur?

*Lib. 2. cap. 3. n. 4.* postquam rursus generaliter statuisset Augustinus matrimonium quoad vinculum non solvi, nisi morte alterutrius partis, his verbis: „ quam ob rem secundum doctrinam fa-



das nuptias, ut per has priores solveret, non credimus; nec enim id rationi aut menti ecclesie consentaneum videtur; nam sacri canones secundas fidelium nuptias certo sensu semper improbarunt, immo & secundo nubentibus penitentiam quandam imposuerunt, ut patet *ex can. 7. synodi Neo-Cæsariensis*, irregularitate digamos notantes. Ratio etiam simile quid non patitur. Quid? Sola voluntas secundas nuptias ineuntis sufficet, ut primas difrumpat, & actus similis, qui contractum illum naturalem & sacrum efficit, etiam ille erit, per quem ejusdem contractus dissolutor quis constituetur? Profecto idem hoc est ac si quis diceret, rem constitui per illud, quod ejus essentiam destruit. Idem non est in casu ubi matrimonii rati vinculum solvitur per dispensationem ab ecclesia, occasione professionis religiosæ concessam: quidquid enim de hoc casu fit, hoc saltem fiet per actum alterius naturæ & ordinis quam fit contractus matrimonii.

Demonstratur Apostolum, interpretate Augustino, de vinculi solutione cogitasse quidem.

XV. Sed ad Augustinum redeamus. *Hic lib. de fide & operib.* rursus adstruit absolutam matrimonii insolubilitatem. Occasio erat objectio aliquorum, qui contendebant fidem sine operibus prodesse ad salutem, quam *cap. 16. n. 28.* sibi his verbis proponit, „quam ob rem ubi Apostolus dicit, *quod si infidelis discedit, discedat, non est enim servituti subjectus frater aut soror in hujusmodi*: id est, ut propter fidem Christi etiam ipsa uxor legitima societate conjuncta sine ulla culpa relinquatur, si cum viro Christiano, propter hoc quia Christianus est, permanere noluerit. „

Respondet Augustinus: „non attendunt *eo modo* illam rectissime dimitti, si viro suo dicat, non ero uxor tua, nisi mihi vel de latrocinio divitias congeras, aut nisi solita lenocinia, quibus nostram domum transigebas, etiam Chri-



hunc probare volentes, propter fidem Christi conjugem infidelem sine ulla culpa relinqui, si cum viro Christiano, quia Christianus est, manere noluerit.

Hac occasione  
questio  
dissertatori  
proponitur.

XVI. Liceat hic a dissertatore quærere, de qua desertione egerint illi, contra quos agit Augustinus, & quam existimabant parti conversæ fore licitam? An talis esset ista desertio, quæ simul esset vinculi solutio, an vero talis tantum esset, quæ partem fidelem liberam volebant ab obligatione tori & habitationis?

Si primum velit adversarius, fatendum est Augustini tempore hæreticos aliquos extitisse, sicut & modo existunt, qui cum ipso sentirent: sed tunc simul etiam fateri debebit, multiplices alias causas ab Augustino habitas fuisse, quæ matrimonii vinculum dissolverent: siquidem, quæ hic de casu Apostoli dicit Augustinus, *eo modo extendat ad casus omnes, ubi separatio conceditur, ita, ut velit præter adulterium, non modo idololatriam, verum etiam avaritiam, & qualibet alias concupiscentias intelligi. His certo casibus Augustinus non intellexit vinculum matrimonii solvi; sed, ut ait, membrum, quod ipsum scandalizat, fortiter amputat, seu ejus habitationem & torum deserat. Censuit itaque Apostolum dicto loco non plus indicare voluisse, quum asserat parem ubique debere esse recessum, seu a parte infideli, seu ab illa, quæ animam copore male utentem a Dei lege aberrare facit.*

Quod si adversarius velit hæreticos istos hanc tantum efficaciam fidei in Christum tribuisse, quæ parti fideli fas est vicissim recedere, seseque quoad habitationem a parte infideli separare, habemus quod volumus, nempe Augustini tempore nondum adversariam verborum Apostoli interpretationem in ecclesia invaluisse, immo nequidem in



ea notam fuisse. Ex quo ergo fonte haurient suam traditionem? Ex spurio indubie, prout in sequentibus latius demonstrabitur.

XVII. Rursus Augustinus *lib. cont. Adimant. cap. 3.* asserit; quod quamvis Dominus dederit uxorem viro, tamen ea relinquenda sit propter regnum cælorum, seu quoties virum ad peccatum trahit nec alias cohabitare velit. Pro quo confirmando adducit textum Apostoli dicens: “ si-  
 „ cut Apostolus dicit: *si quis fidelis habeat uxorem infidelem, & hæc consentit habitare cum illo, non dimittat eam.* Significat utique, quod  
 „ si non consentit habitare cum illo, id est  
 „ si execratur in illo fidem Christi, & non eum  
 „ patitur, quod Christianus est, relinquenda est  
 „ propter regnum cælorum: sicut idem Aposto-  
 „ lus in sequentibus dicit, *quod si infidelis discedit, discedat, non est enim servituti sub-  
 „ jectus frater aut soror in hujusmodi.* Si quis  
 „ ergo relinquit regnum cælorum, dum non  
 „ vult relinquere uxorem non ferentem Christia-  
 „ num virum, improbatur a Domino: & item:  
 „ si quis vir relinquit uxorem dato libello repu-  
 „ dii, cum causa non existit, aut fornicationis,  
 „ aut obtinendi regni cælorum, similiter impro-  
 „ batur a Domino. „

Alter  
 Augusti-  
 ni locus  
 pro nobis  
 adductus.

Augustinus in hoc loco pari modo loquitur prout præcedenti. Causas quascunque dimittendi uxorem jungens, sive ob fornicationem, sive ob aliam quamvis causam propter regnum cælorum dimittatur uxor; puta, si infidelis non consentit habitare cum illo, quod Christianus est. Si has causas omnes Augustinus jungat, si aliunde ex Augustino certum sit, quod sive dimittenti, sive dimisso, quacunque demum alia de causa dimissio facta sit, liberum non sit ad alia vota transire, etiam ex Augustino certum

dici debet, quod in casu, de quo quæritur, parti conversæ hæc libertas non competat.

Augusti-  
ni sen-  
tencia  
ex con-  
ciliis,  
quibus  
interfu-  
it, cla-  
rissime  
eruitur.

XVIII. Ut nullum de mente Augustini dubium superlit, juvat hic etiam adferre concilium Africanum VIII. anno 407. habitum, cui Augustinus interfuit, in quo, suafu indubie Augustini, deprehenditur conceptus canon sequens, qui in codice Africanæ ecclesiæ est 102.

„Placuit, ut secundum evangelicam & apo-  
stolicam disciplinam, neque dimissus ab uxore,  
neque dimissa a marito alteri jungatur. Ita  
maneant, aut sibimet concilientur, quod si  
contempserint, ad pœnitentiam redigantur.  
In qua causa legem imperialem petendum  
est promulgari.”

Ex hoc canone observamus, Augustinum constanter in ea fuisse sententia, in omni prorsus casu vinculum matrimonii esse insolubile; ita, ut generaliter & sine ulla exceptione, quacunque demum de causa vir ab uxore, vel uxor a viro dimitteretur, alteri copulari non posset: secundum, inquit, evangelicam & apostolicam disciplinam.

Et revera quis credere poterit Augustinum, aliosque hujus synodi patres, ita loquuturos fuisse, si secundum apostolicam doctrinam, prout adversarii volunt, parti conversæ liberum fuisset ad alia vota migrare? An forte hoc monere omisissent illi, qui in hoc ipso canone ad apostolicam doctrinam pro absoluta insolubilitate matrimonii provocant? Generalia hujus canonis verba contrarium evincunt. Idem evincit illud, quod addunt: *in hac causa*, id est pro omnimoda insolubilitate matrimonii, *legem imperialem petendum est promulgari*; alias enim, si quam legem ad observantiam hujus canonis ab imperatore impetrassent, ea lex indu-

bie similem exceptionem non tulisset; eoque modo causa fuissent, aut saltem occasionem dedissent, ut contra libertatem, quam Apostolus hoc casu converso daret, lex illam libertatem adimens lata fuisset.

Eundem canonem repetierunt PP. concilii Milevitani in Africa anno 416. celebrati, *Can. 17.*, cujus concilii canones, teste Bellarmino, *lib. 1. de matrim. cap. 17.* Augustino præcipue auctore compositi editique fuerunt: *quare cum Augustinus*, ut ibidem ad hunc canonem recte observat Bellarminus, *integris libris disputaverit, in nullo casu, ne fornicationis quidem, licitum esse, vivente conjuge, ad aliud transire conjugium, dubium esse non debet, quæ sit canonis hujus sententia.* Quæ verba non satis componi possunt cum iis, quæ *cap. 12. ejusd. lib. de casu* Apostoli dixit Bellarminus.

XIX. Hæreticis adeo persuasum est, Augustinum insolubilitatem matrimonii ita omni ex parte asseruisse, ut ipsum habeant, qui primus in ecclesia fuit, qui illud, ut fidei caput propugnauerit: sic quidem, ut nunquam, nequidem causa carnis fornicationis, solveretur quoad vinculum; ita, ut, ajunt, non erraverint illi, qui dixerunt, mortuo Augustino, universum mundum (excipe disertatorem) factum fuisse Augustinianum: ita enim dogmata ejus a plerisque collaudata, adsumpta, approbata; ut pedetentim in leges ecclesiasticas iverint.

Itaque sententia adversariorum favere videtur hæreticis contententibus per adulterium matrimonii vinculum solvi. Si enim ex Augustino semel constet, seu ex aliis patribus, seu ex generali ecclesie praxi, ut ipsi dicunt, fornicationem spirituale vel in aliquo casu possibili matrimonii

Hæreticis, Augustinum calumniantibus, non parum favore adversariorum sententiam, monstratur.

vinculum dissolvere; qui contra ipsos probabitur fornicationem carnalem illud ipsum in aliquo casu non efficere? Cum Augustinus de utraque fornicatione eodem modo loquatur, eademque ponat momenta rationis.

Argumentum negativum ex legibus Imp. Christianorum a Constantino magno ad Iustinianum usque adfertur.

XX. Ad hæc si addantur, quæ in constitutionibus imperatorum Christianorum de divortiorum causis leguntur sancita, argumentum, quod huc usque ex communi SS. patrum sensu deduximus, qualis istis seculis fuerit ecclesiæ sensus & praxis, pro re nostra luce meridiana clarius ostendet.

Constantinus magno lege sua de anno 331. causas divortiorum, ex quibus more Romano divertere liceret, non quidem ex doctrina Christi, sed ex moribus Romanis traxit, statu & necessitate reipublicæ gentilibus repletæ id exigente, illas tamen sic restrinxit, ut tribus tantum ex causis divortia permetteret, inter quas non reperitur casus Apostoli. *L. 1. Cod. Theod. de repud.* Ex quo textu recte deducitur, quod si mulier fidelis a viro infideli, qui sine blasphemia non vellet cohabitare, recederet, ex hac lege puniretur & absque matrimonio vitam transigere cogeretur. Ut proinde certum sit; Constantinum magnum, licet contra legem Christi ex causis ibidem enumeratis divortia, pro morbido reipublicæ statu, permiserit, non existimasse in casu Apostoli ex lege Dei parti conversæ liberum esse ad alia vota migrare, quibus prima dissolveret.

Sæculo sequenti, anno scilicet 421. Honorius, Theodosius & Constantius legem tulerunt *de injustis & justis repudiis*, quæ refertur *L. 2. Cod. Theod. de repud.* Ex qua constitutione rursus adparet Honorium ignorasse licere in casu Apostoli parti

fideli alias inire nuptias: siquidem mulier, ut ibidem statuit Honorius, quæ a viro discesserat, etiam iustissima de causa, & *ob involutam criminibus magnis viri conscientiam*, non statim, sed demum post quinquennium ad alia vota transire poterat: quod si ob *morum mariti vitia* mulier ab eo discederet, nullius unquam penitus sociari poterat conjugio.

Casus Apostoli est, ubi mulier Christiana recedit a viro infideli nolente cohabitare nisi cum injuria Creatoris: hic recessus, si tempore Honorii imperatoris in ecclesia notus fuerit, ad alterutram partem istius legis referatur, necesse est. Eligat dissertator ad quam referre velit: si ad casum, ubi Honorius desertionem permittit *ob involutam criminibus magnis viri conscientiam*, oportet, ut probet odium religionis Christianæ tempore Honorii inter crimina publica habitum fuisse: quod si probaverit, sequetur Honorium imperatorem facultatem, quam Apostolus parti conversæ concessisset, ad quinquennium suo effectu privasse; quod facile adversarius non admittet. Si vero hoc probare non possit, prout nobis certum est, casum Apostoli ad partem alteram legis imperatoriæ referre debet, ubi mulieri a viro recedere permittitur *ob morum mariti vitia*. Sed tunc, cum imperator eo casu velit, mulierem nullius unquam penitus sociari posse conjugio, facultatem ex Dei lege per Apostolum concessam penitus sustulisset. Id autem credibile non est, si hæc, quam adversarii ut ecclesiæ praxin traducunt, tum nota fuisset.

Ejusdem seculi anno 49. Imp: Theod. & Valentinianus aliam promulgarunt constitutionem, relatum in *L. 8. C. de repud.* & inter causas, ex quibus ibidem repudium mittere concedunt, nulla mentio fit de casu Apostoli. En rursus Theodoe

Correspondent  
 tunc ex  
 brio-  
 tum con-  
 ditionum  
 canonice  
 hinc

sius & Valentinianus ignorarunt in eo casu liberum esse parti conversæ ad alia vota migrare. Eo magis id stringet, si advertamus, hos Imp. principio legis citatæ generaliter sanxisse, matrimonia contracta non nisi misso repudio solvi posse: repudium autem mittere non permittunt, nisi ex causis in ea lege enumeratis.

Justinianus plures etiam edidit constitutiones, de divortiorum causis, *L. 10. C. de repud. L. 11. C. eod. Nov. 22. & Nov. 117. cap. 8. & 9.* inter quas omnes causas nusquam recenset casum Apostoli. Eum autem non ignorasse epistoles Pauli, satis patet, cum ad eas provocet *Nov. 141. cap. 1.*

Cum itaque a Constantini magni tempore ad Justinianum usque, non obstante divortiorum licentia, non obstante etiam, quod tunc casus similes frequentissime occurrere deberent, ignotum fuerit partem conversam ex Dei lege posse ad alia vota transire, sed contra, divortia hæc essent legibus imperii prohibita, sponte sequitur, hanc verborum Apostoli interpretationem ad sextum usque seculum incognitam prorsus & inauditam fuisse.

Corroboratur hoc argumentum ex priscorum conciliorum canonicibus.

XXI. Infiniti quoque sunt conciliorum canones, qui absolutam insolubilitatem matrimonii adstruunt, nec ullibi reperitur, quod ab hac regula exceptionem in casu Apostoli fecerint.

Contra, hoc reperire est: quædam concilia totale divortium permisisse aut tolerasse: primo ob causam *adulterii*, uti concilium Vermeriense habitum anno 742. *c. 2. & 10.*, Compendiense anno 756. *c. 8.*, Arelatense anno 314. *c. 10.* Veticum anno 465. *c. 2.*

Secundo: ob *insidias in vitam conjugis*: Vermeriense *c. 5.*, quem Gratianus refert *caus. 31. q. 1. c. 6.*

Tertio,

Tertio : *si maritum ex necessitate fugientem uxor sequi nolit.* Vermeriense ann. 752. c. 9., quem truncatum Gratianus refert C. 34. q. 1. & 2. c. 4.

Quarto : *ut infra monasterium uxor descriuat, item ob lepram :* Compنديense ann. 757. c. 13. & 16.

Quinto : inuenietur Gregorium II., non III., ut erronee vult Gratianus C. 32. q. 7. c. 18., anno 726. permisisse, *ut si mulier infirmitate correpta non valuerit debitum viro reddere, maritus, qui se continere non possët, nuberet.*

Ast nullibi reperire est novas in casu Apostoli nuptias permissas fuisse. Itaque omnia ista concilia casum Apostoli ignorarunt.

Alia quidem concilia, rectissime, etiam ob has causas facultatem ad alia vota transcendendi improbarunt, sed & hæc nullibi casum Apostoli excipiunt. Mirum foret concilia hæc omnia casum Apostoli, ubi iuxta adversarios iusta esset totalis, etiam quoad vinculum, separatio, non allegasse, ubi alias divortiorum causas, quæ modo ab ecclesia improbantur, continuo canonibus suis expresseferint.

XXII. Bonifacius martyr archiepiscopus Moguntinus, Germaniæ apostolus in statutis anno 745. editis, prætensam hanc in casu Apostoli exceptionem, non minus quam ceteri, penitus ignoravit: ita enim *stat. 35.* loquitur: " admo-  
 ,, neat etiam unusquisque presbyterorum publice  
 ,, plebem, ab illicitis connubiis abstinere: & se-  
 ,, cundum Dei mandatum legitimum conjugium  
 ,, nequaquam posse ulla occasione separari, ex-  
 ,, cepta causa fornicationis, nisi cum consensu  
 ,, amborum, & hoc propter seruitium Dei. "

Manifestum est Bonifacium hic agere de separatione quoad torum, & non de solutione vinculi; alias sequeretur ipsum existimasse ex

Uti & ex  
 statutis  
 Bonifacii  
 martyris.

consensu amborum vinculum posse solvi propter fervitium Dei, quod dici non potest.

Igitur illicita connubia vocat, quæ alterutro ex conjugibus vivente ineuntur, & ab iis abstinendum esse docet.

Si Bonifacius credidisset secundum Dei mandatum conjugium legitimum certa occasione solvi posse quoad vinculum, hoc ipsum expresse monere debuisset in instructione, quam ad populum dirigebat; eo quod similes casus ejus tempore in Germania, infidelibus referta, sat frequenter contingere deberent.

Respon-  
detur ra-  
tionibus,  
quæ his  
opponi  
possent,  
simulque  
vis ar-  
gumenti  
negativi  
adfrui-  
tur.

XXIII. Forte, dicet aliquis, patres, concilia aliosque nullam de casu Apostoli mentionem facere, eo quod ipsis certum esset tunc ex constanti traditione & praxi ecclesiæ novas nuptias indulgeri.

Sed, præter quod talis responsio sit mera petitio principii; quia & nos dicere possemus, ideo non esse factam mentionem, quia in ecclesia certum erat nullas tali casu novas nuptias unquam fuisse indultas; ostendendum foret, eo tempore ecclesiam verba Apostoli eo sensu intellexisse. Quod autem sic non intellexit, ostendimus ex eo, quod patres, concilia, &c. pro absoluta insolubilitate vinculi sine ulla exceptione constanter certaverint.

Quod si quis hanc argumentandi rationem negativam esse dixerit; cogitet ille, validissimum esse negativum argumentum, cum universale formatur, & totam materiæ rationem coercet; cogitet etiam quod, cum nullus omnino scriptor æqualis, nullum profus traditionis monumentum æquale vel suppar alicui doctrinæ vel facto præstet testimonium, tunc ex eo silentio, maxime si 600. vel 700. annorum sit, efficacissimum



defumatur argumentum: alias enim nullus fabulas confutandi superesset locus.

XXIV. Non minus recte pro hac sententia adferuntur verba venerabilis Bedæ in cap. 10. Marci N. 30. " una solummodo causa est carnalis fornicatio, una spiritualis, timor Dei, ut uxor dimittatur, sicut multi religionis causa fecisse dicuntur: *nulla autem causa est, Dei lege perscripta, ut vivente ea, quæ relicta est, alia ducatur.* "

Sententia venerabilis Bedæ exponitur.

Si nulla causa sit Dei lege perscripta, quæ tempore, quo Beda floruit, in ecclesia nota esset, ut vivente ea, quæ relicta est, alia ducatur, nunquid fons iste spurcius est, ex quo hoc haurire vult adversarius?

Sed ecce occurrit dissertator dicens: at ibi iterum non est casus Apostoli; quandoquidem, ut ex verbis ejus videre est, de illo agat Beda, qui uxorem reliquit, utique propter infidelitatem, & cui vivente ea, quæ relicta est, aliam ducere lex Dei vetat, quod omnino verum est.

Sed non reflectit, Bedam ly *discedat*, quemadmodum & Augustinus, non ad partem infidelem, sed ad partem fidelem referre: adeoque ipsum optimo jure de parte fidei dixisse; in casu Apostoli non licere, ut vivente ea, quæ relicta est, alia ducatur: sive etiam de illo agere Bedam, qui vicissim uxorem infidelem cohabitare nolentem reliquit.

Quod hoc ita sit, patet ex illis, quæ habet Beda 1. ad Corinth. cap. 7. ad textum Apostoli, de quo quæritur: ibidem namque docet idem præcisè quod Augustinus lib. de fide & operibus, & textum Augustini de verbo ad verbum refert. Probavimus autem Augustinum ita sensisse de ly *discedat*; utique & Beda.

Citat ibidem V. Beda alia verba Augustini ex

epistola ejus ad Hilarium, ubi ait: *“ quod si infidelis discedit, discedat, non est enim servituti subiectus frater aut soror in hujusmodi. Id est, si infidelis noluerit esse cum conjuge fidei, hic agnoscat fidelis suam libertatem; nec ita se subiectum putet servituti, ut ipsam dimittat fidem, ne conjugem amittat infidelem.,”*

Quod Augustini ratiocinium omnino V. Beda adoptat.

Addit dicto loco Augustinus: *“ hoc & de filiis, atque parentibus, hoc de fratribus & sororibus intelligitur, propter Christum omnes esse dimittendos, cum proponitur ista conditio, ut Christum dimittat, si illos secum habere desiderat.,”*

Quae verba rursus non leviter dicta nostra confirmant.

Theophilacti  
locus ex-  
penditur

XXV. Theophilactus, qui juxta Bellarminum Chrysostomi abbreviator est, idem docet, quod ipse, scilicet in casu Apostoli partem infidelem, dum cohabitare non vult sine litigio & jurgiis, justam parti fidei causam divortii præbere; ac tali casu melius esse secedere, quam altercari. Sic enim habet ad *1. 15. discedit, discedat.*

*“ Veluti si tibi imperet, ut particeps fias infidelitatis aut discedas a matrimonio, discede, fatius enim est connubium solvere, quam pietatem. Non enim servituti subiectus est frater aut soror in hujusmodi, in pace autem vocavit nos Deus. Si tecum litiget eo quod cum illo non communices in infidelitate, disjungitor; hujusmodi enim servituti non es subiecta. Hoc est in hujusmodi rebus virum ferre non cogeri, melius est enim secedere, quam altercari. Neque vero illud divinæ est voluntatis,*

„ in pace enim vos vocavit. Itaque si litiget,  
 „ divortii causam ille præbuit. „

Itaque verba : *satius est connubium solvere, quam pietatem, melius est secedere, quam altercari*, solo nomine divortii explicat. Illud autem intelligere de vinculi solutione, ab expressione patrum, sepositis circumstantiis, alienum est.

XXVI. Recte monet hic adversarius, ne verbum quidem habere Theophylactum ex iis, quæ quidam referunt ipsum dixisse. Sed, quod Theophylactus non dixit, hoc dixit Cajetanus : “ quæ verba ( scilicet 1. ad Corinth. 7. ) si exacte discutiantur, solum significant, quod in huiusmodi discessibus, seu separationibus, infidelis a fidei ( infidelis conjugis a fidei conjugis, infidelis filii a fidei patre, infidelis patris a fidei filio, infidelis filia a fidei matre, & de converso, & sic de aliis ) nullus frater aut soror est subjectus servituti priori : puta qua filius tenetur patri, & e converso, qua filia tenetur matri, & e converso, qua uxor marito, & e converso ; sed hinc non evincitur quod sit solutum vinculum conjugale, sicut non solvitur vinculum filiale aut paternum. „ Ita Cajetanus in 1. ad Corinth. cap. 7. Si hæc Theophylactus dixisset, fateretur adversarius patronos nostræ sententiæ habere auctorem, qui agit de casu Apostoli, & fere eo in supposito daret manus victas.

Qua ergo fide falsitatis accusat Fra-Paolo referentem patrem Soto, cum in concilio Tridentino esset, multum operæ posuisse in verbis S. Pauli explicandis, neque veritum fuisse dicere, meliorem esse sensum Cajetani, quod illa etiam S. Pauli separatio fidelis ab infideli, non intelligatur quoad vinculum matrimonii, atque rem esse a sancta synodo diligenter considerandam ?

Quæ fuerit Cajetani opinio discutitur.

Siquidem admittere debeat Cajetanum, attentis verbis prædictis, illius sententiæ fuisse.

Sed dicet adversarius: Cajetanus capite eodem dicit: "non solum miror, sed stupeo, quomodo Christo clare excipiente causam fornicationis, torrens doctorum non admittit illam mariti libertatem (scilicet aliud matrimonium ineundi) Paulo autem non clare dicente, interpretata sit solutionem conjugii ex causâ alia ab explicata a Christo, & sola excepta; quia tamen antiquo ecclesiæ usu sensum communem textus hujus firmatum credo, & textus capax est hujus sensus communis, ideo dicendum est, quod Dominus in evangelio non communem utrique conjugii, sed marito propriam tradidit libertatis legem: ut textus ipse manifeste dicit. Paulus autem communem utrique conjugii legem libertatis promulgat, auctoritate procul dubio divina: qua sola separari potest quod Deus conjunxit..... Paulus dico, ut communiter exponitur, quia (ut dictum est & textus sonat) Paulus non sonat solutionem conjugii."

Hic Cajetanus quidem admittit textum communiter exponi de solutione vinculi, sed simul afferit textum Pauli literaliter hoc non sonare, licet propter communem istam scholasticorum traditionem, quæ suo tempore jam aliquas ecclesiæ provincias invaserat, videatur admittere Dominum hanc potestatem solvendi matrimonium tantum dedisse marito propter fornicationem uxoris, quam Paulus concedit utrique conjugii; adeoque, ut salvet istam sententiam, & Paulum cum Domino conciliet, dubitanter magno conatu magnas nugas agit. Similis in eo adolescenti, qui propter reverentiam patris, præcepto patris, quod ipse non rectum putat, obsequi videtur: sed non sine murmuratione.

Quæ hæc  
sunt hæc  
lib. omni  
causam

XXVII. Afferit adversarius quæstionem nostram in Tridentino agitatam non fuisse: immo tantum abesse, ut id ex historia concilii Tridentini constet, ut, si ex ea constare aliquid possit circa factum, de quo agitur, potius constet oppositum.

Quam solide id asserat, patebit ex sequentibus.

Refert Fra-Paolo in sua historia editionis Latine de anno 1622. pag. 774. quæstiones matrimonium concernentes inter quatuor theologorum classes distributas fuisse: inter articulos autem ad disputandum propositos hunc tertium fuisse.

Quid circa nostram quæstionem in Tridentino actum fuerit, examinatur, simulque Fra-Paolo ab objecto per adversarium mendacior vindicatur.

„ Licere repudiata uxore ex causa fornicationis cum alia matrimonium contrahere, vivente priore: & erroneum esse divortium facere ob aliam causam, quam fornicationis. „

Hic articulus, qui generaliter assererat erroneum esse ob aliam, quam fornicationis causam, divortium facere, etiam casum Apostoli comprehendit; siquidem pater Soto, narrante Fra-Paolo, in secunda classe theologorum antesignanus, 17. Februarii 1563. super hoc articulo tertio primus verba fecerit; distinguens conjunctionem matrimonialem in tres partes, quoad vinculum, quoad cohabitationem, & quoad copulam carnalem, totidem constituens separationes. Dein multis verbis ostendens in prælato ecclesiastico auctoritatem esse conjunctos separandi quoad torum & mensam, sed addidit, firmum semper manere vinculum matrimoniale. Deinde, ut ait idem historicus, multum operæ posuit in verbis S Pauli explicandis, qui marito fideli concedit, si uxor infidelis cum ipso cohabitare nolit, ut maneat separatus.

Nec contentus expositione vulgari matrimonium inter infideles non esse insolubile, adfirmabat insolubilitatem ejus esse de jure naturali; propter

verba Adam a Salvatore nostro exposita, “ & propter consuetudinem ecclesiae, in qua conjugati infideles, cum baptizantur, matrimonium de novo non contrahunt, ” quorum tamen matrimonium non differt ab eo, quod ceteris est fidelibus.

Nec veritus dicere meliorem esse sensum Cajetani, quod illa etiam S. Pauli separatio fidelis ab infideli, non intelligatur quoad vinculum matrimoniale: atque rem esse a sancta synodo diligenter considerandam.

Ecce ex mente Soto articulus propositus casum Apostoli involvebat.

Uterius hic reflectere juvat, quam sincerus sit dissertator, qui Fra-Paolo falsitatis convincere vult; fingens ipsum referre, quod P. Soto a vulgata verborum Apostoli expositione recesserit, propter consuetudinem ecclesiae; cum certum sit, quod, ut ait, saltem a tempore Gratiani constans ecclesiae consuetudo fuerit ( vult dicere aliquorum in ecclesia ) ut dum pars conversa, discedente infideli, aliud volebat matrimonium inire, si nihil aliunde obstabat, permitteretur illud contrahere.

Simile enim quid nusquam in tota Fra-Paolo historia reperies, sed hoc tantum, quod matrimonium etiam inter infideles contractum insolubile esse probare voluerit ex consuetudine ecclesiae, *in qua, inquit, conjugati infideles, cum baptizantur, matrimonium de novo non contrahunt.*

Agit itaque de casu, quo uterque conjugatorum baptizatur, pro quo matrimonio ad consuetudinem ecclesiae provocat, qua constat, tales ad novum inter se matrimonium contrahendum non cogi; ex qua consuetudine inferre voluit, matrimonia infidelium esse insolubilia: nullo autem

modo ad hanc consuetudinem provocat, ut ex hac ostenderet in casu Apostoli parti conversæ non esse licitum aliud inire connubium. Hinc patet viros, in theologia apprimè doctos, nonnunquam falli posse.

Sed ad rem veniamus: ex dictis sufficienter constat de hac quæstione in Tridentino utrinque disputatum fuisse; neque enim quispiam sibi persuaderi patietur, omnes in eo concilio theologos ejusdem cum P. Soto sententiæ fuisse, nullosque ibidem extitisse, qui huic opinioni obloquuti essent: certe si adversarius P. Soto dicta audisset, obloqui non cessasset; & ejus assertum, ut scholasticæ saltem traditioni & praxi contrarium, traduxisset. Falso ergo supponit adversarius Fra-Paolo nullo modo referre de hac quæstione in Tridentino utrinque certatum fuisse.

Facile, ut adparet, hæc omnia, admitteret adversarius; sed veretur quam maxime inde sequi, inter patres Tridentini dubitatum fuisse num Innocentius III. in sua decretali non errasset. Quid sit de opinione dissertatoris circa hoc punctum, hoc equidem certum est, quod Innocentij III. decretalis non sit definitio ex cathedra: & cum verum sit quod hic Fra-Paolo refert de P. Soto, certum quoque est P. Soto non credidisse Innocentium III. in sua decretali non errasse.

Sed asserit adversarius fabulam esse, quam refert Fra-Paolo. Nemo nescit, inquit, testimonium ejus in iis, quæ ad concilium Tridentinum spectant, merito posse repelli.

Sint ista vera quoad ea, in quibus Pallavicinus ei contradixit: quod vero hoc punctum attingit, in quo adversarius eum mentitum esse & publico imposuisse contendit, alium apud Pallavicinum est silentium: ex quo silentio solidum nascitur argumentum, vera esse, quæ Fra-Paolo hic retulit,

Exclamat hic adversarius: P. Soto, tantus Thomista, & tanti faciens S. Thomæ doctrinam, deseruisset tam claram & apertam magistri sui sententiam, ut Cajetani ab ea recedentis opinioni sese conformaret.

In primis non diximus P. Soto propter auctoritatem Cajetani hanc suam priorem sententiam totaliter deseruisse; potuit namque, auctoritate Cajetani motus, dicere, quæ dixit, licet paulisper adhuc in sententia, quam ante docuerat, permaneret. Hic enim proprie non agitur de eo, quid senserit Cajetanus, quid P. Soto, & cum eo alii concilii theologi; sed de eo hic agitur, quid attentis omnibus convenienter circa hanc questionem a concilio statuendum esset: constat autem de hoc casu concilium nihil statuisse: ex quo inferre licet, patres Tridentinos, qui certe decretalem Innocentii III., traditionem illam scholasticam atque ecclesiæ praxin non ignorabant, tanti illas non fecisse, quam adversarius.

Solvitur  
objectio,  
quam ad-  
versarius  
ex S.  
Thoma  
petit.

Altera  
objectio,  
ex solu-  
tione ma-  
trimonii  
rati per  
professio-  
nem reli-  
giosam  
petita,  
discuti-  
tur, sub-  
tiliores  
adversarii  
cavilla-  
tiones  
enervan-  
tur.

XXVIII. Quod S. Thomam attinet, hic ab Innocentio III. separari non debet; nam sicut ejusdem auctoritate in *cap. 6. de stat. monach.* motus est, ut voti solemnitis indispensabilitatem, ut loquuntur, assereret; ita ejusdem auctoritate in *cap. 7. de divort.* inductus est, ut crederet in casu Apostoli matrimonii vinculum solvi. Itaque, quæ quoad hos duos casus docuit S. Thomas, ad opinionem Innocentii III. referri debent, quæ si non subsistere probetur, nihil ex S. Thoma pro utroque hoc casu probari poterit. Nihil autem probare pro casu voti solemnitis putant multi; pari jure putamus & nos, cum rem non evincere pro casu Apostoli.

XXIX. Ceterum si ita est causa hominis cum uxore, qua veri specie dicere potuit Tridentinum anathema illis, qui matrimonium ratum ne-



gant per professionem solennem in religione adprobata dissolvi; cum non magis dissolvi illud possit, quod est indissolubile, quam fieri possit, quod est impossibile.

In primis, modo, quæ diximus de absoluta matrimonii insolubilitate, vera sint de matrimonio consummato, ruit omne, quod adversarii proferrunt pro sua sententia: vera autem esse de matrimonio consummato, manifeste ostendunt illa, quæ ante diximus.

Quod autem de matrimonio rato tantum dicitur, illius vinculum solvi per professionem; si illa quæstio absolute accipiatur, definita est in Tridentino: si vero rationes, quibus implicari solet, spectentur, admodum difficilis est.

Maldonatus *tract. de matrim. cap. 6.* tantum sibi facessere negotium difficultatem istam ait, ut ejusdem resolutionem se non videre adfirmet; nisi, inquit, aut concedatur matrimonium ratum & non consummatum non esse verum matrimonium & verum sacramentum: aut certe id ecclesiam existimasse; cum decreverit licere, post matrimonium ratum, conferre se ad religionem, altero conjuge invito, & licere alteri adire alias nuptias.

Loquamur sanius cum S. Thoma *supl. q. 61. a. 2. ad 2.* ubi ait: „ante carnalem copulam non esse omnino translatum corpus unius sub potestate alterius, *sed sub conditione*, si interea alter conjugum ad frugem melioris vitæ non convolet. „

Et vero, cum contractus matrimonii a Christo Domino sit elevatus ad rationem sacramenti, etiam ecclesiæ potestati, definiente Tridentino, subiectus est: potuit itaque ecclesia efficere, ut cuilibet mutæ corporum traditioni inesset conditio isthæc, nisi intra bimestre corpus istud sibi delegerit Deus,

Quæ conditio omni juri, omnibusque principiis quam maxime consentanea est; quid enim rationi congruentius, quam Deo vocanti ad sibi inserviendum in altiori statu, parendum esse, quando id fieri absque alterius detrimento potest? Porro ante carnalem commixtionem nullo modo conjugum corpora læduntur, sed integra consistunt. Ex quo nihil contra vinculi insolubilitatem, ubi matrimonium semel absolute subest, inferri potest.

Ulterius hic observari potest: quod cum matrimonium natura sua perpetuum sit, directe ei adversetur separationis libertas. Itaque inter se pugnant, partem fidelem liberari a servitute, qua tenetur uxori, ut non possit ea vivente aliam ducere, & tamen nullo instanti liberam esse a matrimonio contracto. Quod enim aliam ducere non possit, nunquid ex eo est, quod primum matrimonium adhuc subsistat? Quomodo ergo dici potest, quod illo subsistente, in ejus libertate sit, ut aliud inire possit?

Absonum omnino est exemplum a professione religiosa petatum, ut ostendatur, quempiam a matrimonio non esse liberum, & tamen liberum esse ab obligatione in illo perpetuo permanendi: siquidem & illo casu, qui solenniter vult profiteri, ante professionem obligatus est perpetuo manendi in matrimonio contracto, si verum est ejus matrimonium esse absolutum & perfectum, prout velle videtur dissertator, sicut & ille, cum quo ecclesia in matrimonio rato dispensaret, item & ille, respectu cujus matrimonium consummatum dissolveret Deus. Quis homo sani cerebri dixerit talem ab obligatione, perpetuo manendi in matrimonio contracto, aliquo momento, matrimonio ejus subsistente, liberum fuisse? Quod ergo pars, quæ solenniter proficitur, liberetur ab

obligatione perpetuo manendi in matrimonio, inde est, quod tali casu solvatur vinculum matrimonii, vel potius, ut monuimus, quod tali casu, deficiente conditione, nunquam intelligatur fuisse matrimonium. Qui ergo somniant matrimonium absolutum & perfectum sine obligatione perpetuo in eo manendi, fingunt tale, quod in hoc rerum statu non existit.

XXX. Nonnullus jurista ex Apostolo ad *Roman.* 7. probaverat, non posse partem conversam ad secundas nuptias transire; quia generaliter & sine ulla exceptione dixit Apostolus: *vivente viro, vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro.* Jam vero in verbis scripturæ generaliter prolatis, non est facienda exceptio, quam ipsamet scripturæ non fecerit.

Dissertator retorquet argumentum, & ait: generaliter & sine exceptione pronuntiat Apostolus 1. ad *Corinth.* 7. si infidelis discedit, servituti non esse subjectum fratrem aut sororem in hujusmodi: ergo nec hoc dictum Apostoli licet restringere ad aliquam servitutis speciem, sed generaliter de omni servitute loqui intelligendus est.

Quam vitiosa sit hæc argumenti retorsio, facile intelliget quisquis noverit, exceptionem a lege ante generaliter lata, commoda interpretatione fore emolliendam, ut quam minime possit a sensu legis recedatur: cum ergo in casu Apostoli agatur de exceptione, ut vult dissertator, a lege ab initio a Deo conditore lata, verba Apostoli secundum se & independentem a lege considerari non debent, sed relative ad legem, cujus continent exceptionem; adeoque non immerito illa restringuntur ad illam servitutis speciem, quæ vere servitus est, seu ad officia conjugalia, ad quæ tenebatur pars fidelis vi matrimonii contracti; eo magis, quod verba Apostoli non fo-

Expenditur vitiosa dissertatoris solutio ad textum Apostoli ad *Rom.* 7.

De quo  
1. ad  
2. ad  
3. ad  
4. ad  
5. ad  
6. ad  
7. ad  
8. ad  
9. ad  
10. ad  
11. ad  
12. ad  
13. ad  
14. ad  
15. ad  
16. ad  
17. ad  
18. ad  
19. ad  
20. ad  
21. ad  
22. ad  
23. ad  
24. ad  
25. ad  
26. ad  
27. ad  
28. ad  
29. ad  
30. ad  
31. ad  
32. ad  
33. ad  
34. ad  
35. ad  
36. ad  
37. ad  
38. ad  
39. ad  
40. ad  
41. ad  
42. ad  
43. ad  
44. ad  
45. ad  
46. ad  
47. ad  
48. ad  
49. ad  
50. ad

nent solutionem vinculi, ut ait Cajetanus, suamque eo in casu obtineant veritatem.

De qua  
servitutis  
specie A-  
postolus  
I. ad Co-  
rinth. cap.  
7. v. 15.  
agat, dif-  
feritur.

XXXI. Diximus verba Apostoli merito restrin-  
gi ad illam servitutis speciem, quæ vere servitus  
est: neque enim vinculum matrimonii, quod  
vinculum perpetui amoris est, quod & inter  
Adam & Evam fuit in statu innocentia, recte  
servitutem vocaveris: si ergo servitus dici de-  
beat, illud est ratione tori & habitationis; mo-  
re omnium gentium, quo qualiscunque obliga-  
tio servitus vocatur.

Et vero distinctio illa non est inanis, mulie-  
rem scilicet alligatam esse legi viri quoad vincu-  
lum ad mortem usque, non subjectam autem quo-  
ad torum & cohabitationem; neque etiam Judæis  
istis temporibus incognita: siquidem Dominus  
in evangelio de ea loquatur, & separatio, de qua  
ibidem agit, licet generaliter expressa, tamen  
juncta non erat cum libertate ad novas nuptias  
convolandi: quidni idem de Paulo dicatur, dum  
docet servituti obnoxium non esse fratrem aut  
forem in casu desertionis, seu illud intelligen-  
dum esse de separatione quoad torum, non quoad  
vinculum? Ne sit contradictio inter verba ista:  
*uxor alligata est legi, quamdiu vivit vir ejus;*  
I. ad Corinth. 7. v. 39. & verba v. 15. *si infi-  
delis discedit &c.*

De cetero, Apostolus nullam hic ponit excep-  
tionem a lege, quam Deus ab initio tulit de in-  
solubilitate matrimonii, sed tantummodo decla-  
rat parti fideli fas esse, dum infidelis discedit,  
ut vicissim recedat, eamque liberam esse a præ-  
cepto, quod ipse dederat, ne volentem cohabi-  
tare desereret. Seu, ut Ambrosius ait, tantum-  
modo *culpam abstulit destituto.*

Ex quo  
fonte ad-  
versæ  
sententiæ  
fautores  
opinio-  
nem suam  
hauferint  
examina-  
tur.

XXXII. Videamus jam quis fuerit Ambrosiaf-  
ter ille, ad quem pro hoc negotio recurrere ne-  
cesse est, ut fontem erroris indicemus. Nominæ

hoc intelligimus auctorem, qui commentaria scripsit in 13. priores D. Pauli epistolas, quæ olim multis seculis S. Ambrosio attributa fuerunt. Recte monent Benedictini, ex his commentariis, quæ ad calcem operum S. Ambrosii ediderunt, jam inde a seculo nono Hincmarum Lugdunensem, concilium Aquisgranense tertium, Amalarium & plures alios, multa S. Ambrosii nomine protulisse.

Hoc opus etiam pro Ambrosiano admissum fuit a Gratiano, Petro Lombardo, Hugone a S. Victore &c. At cum hæc uniuersalis opinio Erasmo, Turriano, aliisque non usque adeo certa visa esset, illam deinceps, re penitus examinata, uno calculo omnes proseripsere, & merito. Si quis videre velit multiplices errores ab eo auctore adfertos, legat, quæ de hoc Benedictini habent in monito ad hæc commentaria præmissio.

Communior quidem opinio commentaria hæc adscribit Hilario Romanæ ecclesiæ diacono, qui Luciferiano schismati adhæsit; quod si verum est, oportet, ut hæc commentaria scripserit ante annum 384., de ecclesia enim *in epist. 1. ad Timoth. cap. 3. v. 14. & 15. ait: cujus hodie rector est Damasus*. Damasus autem anno 384. obiit.

Hanc tamen opinionem non leuia premunt incommoda, quæ Benedictini in citato loco exponunt, quæ talia sunt, ut in ætatem Damaso multo posteriorem hoc opus rejiciant, verba illa: *cujus hodie rector est Damasus*, interpolatori attribuentes, & opus illud, modo unius & ejusdem manus sit, incerto & ignoto auctori, nescio cui tenebrioni, tali tamen, qui seculo octavo posterior non sit, gravissimis rationibus moti vindicantes.

Cum itaque Ambrosiastri ætas seculo octavo posterior non sit, & jam a seculo nono ejus

commentaria ab ævi illius scriptoribus, facile nominis similitudine deceptis, D. Ambrosio attributa fuerint, mirum non est, auctores scholasticos, aliosque, qui fontes ipsos non consulabant, & studio critices, quo genuina a supposititiis fecerantur, destituti erant, Ambrosiastrum in hoc puncto errantem sequutos fuisse, tuto se pede incedere putantes, eo quod tenebrionis hujus opinionem genuinam D. Ambrosii sententiam esse existimarent. Id certe fecerunt Hugo a S. Victore & P. Lombardus, uti ex verbis eorum, cum Ambrosiastri verbis collatis, satis videre est. Quod ut probemus, verba Ambrosiastri ad 1. *ad Corint.* 7, v. 15. hic subjicimus.

„ Non ratum est matrimonium, quod sine devotione est, ac per hoc non est peccatum ei, qui dimittitur propter Deum, si alii se junxerit: contumelia enim Creatoris solvit jus matrimonii circa eum, qui relinquitur, ne accusetur alii copulatus. Infidelis autem discedens & in Deum & in matrimonium peccare dignoscitur, quia noluit sub Dei devotione habere conjugium. Itaque non est ei fides servanda conjugii, quia ideo recessit, ne audiret auctorem esse Christianorum Deum conjugii.

Notantur ineptiæ Hugoris a S. Victore, simulque ostenditur adversarium ab hoc suo Augustino dissentire.

XXXIII. Hugo autem a S. Victore, quem lepide admodum dissertator sui seculi, id est XII., Augustinum vocat, manifeste ad Ambrosiastri verba alludit.

Ut exotica novi istius tenebrosi seculi Augustini doctrina integrè ab omnibus notari possit, sequentia ejus verba ex *Lib. II. de sacram. fid. part. XI. cap. 13.* hic subjicimus.

„ Ad hunc modum dimisso propter Deum non est peccatum, si alii adjungitur. Injuria nempe Creatoris solvit jus matrimonii. *Si infidelis discedit, discedat.* Non est subditus servituti

„ vituti

22 vituti frater in hujusmodi, servituti subjectus  
 22 esset, si vel traheretur invitus, vel teneretur  
 22 non voluntarius. Nihil illi debet, sive disce-  
 22 dat sive maneat: perdidit jus suum, qui Crea-  
 22 tori injuriam fecit. Si ergo discedit infidelis,  
 22 discedat: nihil ad nos: non cogitur fidelis  
 22 quasi aliquo debito obligatus, aut sequi disce-  
 22 dentem, aut sustinere contemnentem. Non  
 22 est subjectus servituti, liber est, ut faciat quod  
 22 vult, tantum in Domino: ducat uxorem, si  
 22 vir ille est; si femina est, nubat. Quam vult  
 22 societatem eligat, non jam tenetur debito prior-  
 22 ris societatis, cujus jus solutum est, propter in-  
 22 juriam Creatoris. Quæ videlicet injuria Crea-  
 22 toris non solum tunc excusat fidelem, quan-  
 22 do ab infideli propter Deum dimissus alteri  
 22 sine culpa conjungitur, sed tunc etiam excu-  
 22 sat, quando ipse fidelis magis societatem fide-  
 22 lem eligens (*hanc doctrinam dissertator non*  
 22 *admittit*) infidelem quidem cohabitare volen-  
 22 tem, sed fidem recipere renuentem, Christi-  
 22 ana devotione detestatur (*pulchra profecto de-*  
 22 *votio*) sive enim discedat, sive manere eligat  
 22 infidelis, nihil debet illi, qui fidelis factus est.  
 22 Nemo illum cogere potest, quin faciat quod  
 22 velit. Injuria Creatoris solvit jus matrimonii.  
 22 Tædet nos ceteras ejus eo in loco ineptias ad-  
 22 ferre. Unam adhuc adduxisse juvabit. Quærit,  
 22 quid dicendum sit, si infidelis, Christianus ef-  
 22 fectus, uxorem, quam prius habuit, *fidei li-*  
 22 *beritate*, ut ait, dereliquit, & aliam duxit; tum  
 22 prior, se spretam videns, alteri adulterino nexu  
 22 se alligavit, postea autem & ipsa ad fidem veniat,  
 22 & ab ecclesia, quia se continere non potest,  
 22 petat, ut aut priorem virum recipiat, aut alteri  
 22 nubere concedatur? Et propositis quibusdam  
 22 dubitandi rationibus, concludit his verbis: *U*

22 *Ubi dicitur infidelis non cogitur fidelis sequi*

berata videtur mulier hæc, postquam fidem percepit, & sacramentum libertatis & novitatis induit, ut deinceps prioris copulæ debito non teneatur. Justum est enim, ut quam injuria Creatoris alligavit, reverentia nunc & fides ejus absolvat. Propter hoc non prohibet ecclesia ejusmodi, si continentiam servare noluerint, cum aliis matrimonio copulari.

Premiserat autem has rationes: tum quia alioquin scandalizaretur mulier illa, & aliæ mulieres, in eodem casu existentes, hoc cognito, ad fidem Christianam venire pertimescerent. Sic in hac sententia fieri posset, ut eadem mulier, spatio trium dierum, tres in vivis viros haberet. Ecce quid apud hominem istum possit favor fidei. Cetera hujus Augustini ejusdem farinæ dicta omittimus, ne alioquin volumen nostrum nimium excreceret.

Vide adhuc, si lubet, aliud specimen viri hujus adeo eminentis doctrinæ. *Lib. II. part. XI. de sacram. fid. cap. 14.*

Ambrosiastrum  
P. Lombardo  
fucum fecisse  
vincitur.

XXXIV. Nunc ad P. Lombardum descendamus. Hic in *epist. 1. ad Corinth. cap. 7. n. 15.* ait: "quod si infidelis discedit &c. quasi dicat: fidelis non dimittat infidelem consentientem habitare. Quod si infidelis, vir vel mulier, discedit, odio fidei, discedat, non pro eo fidem fidelis deferat. Eo enim modo mulier infidelis rectissime dimittitur, si viro suo dicat, non ero uxor tua, nisi mihi de latrocinio divitias congeras, nisi solita lenocinia exerceas, & hujusmodi. Tunc ille, cui hoc uxor dicit, si veraciter Christianus est, plus tenebitur amore divinæ gratiæ, quam carnis uxoriæ, & membrum, quod cum scandalizat, fortiter amputat. *Non est enim*, quasi dicat, ideo dico discedat, *non est enim servituti subiectus frater fidelis aut soror in hujusmodi*, scilicet in cohabitatione, & in aliis talibus, id est, non cogitur fidelis sequi infidelem odio fidei



„ discedentem..... non est enim ratum matrimo-  
 „ nium, quod sine Dei devotione est, & ideo non  
 „ est peccatum ei, qui dimittitur propter Deum, si  
 „ alii se copulaverit. Contumelia enim Creatoris  
 „ solvit jus matrimonii circa eum, qui relinquitur,  
 „ ne accusetur alii copulatus, infidelis autem dis-  
 „ cedens & in Deum & in matrimonium peccat.  
 „ Itaque non est fides servanda conjugii, qui ideo  
 „ recessit, ne audiret nomen Christi. „ Eadem re-  
 „ fert lib. 4. dist. 39.

Ex quo videre licet, hunc sententiarum ma-  
 gistrum, integram, paucis mutatis, Ambrosiastri  
 textum, quem Ambrosii esse expresse ait, refer-  
 re; ut certum sit eum ex nullo alio, quam ex  
 Ambrosiastro, turbidam illam doctrinam hausisse.

Quod plus est, ei, qui attente verba Lom-  
 bardi perspexerit, dubium nullum esse poterit,  
 quin, nisi prætenfus ille Ambrosius ei fucum fe-  
 cisset, omnino nobiscum sensisset: eodem enim  
 modo verba Apostoli: *non est subjectus frater  
 aut soror servituri in hujusmodi*, interpretatur  
 Lombardus, prout ea interpretanda esse cum Au-  
 gustino diximus: *in hujusmodi*, inquit, *scilicet  
 in cohabitatione & in aliis talibus, id est non co-  
 gitur fidelis sequi infidelem odio fidei discedentem.*

XXXV. Quod Gratianum spectat, prætermittimus ea, quæ de suo adduxit c. 28. q. 1., ubi inquit an conjugium sit inter infideles? Illic lector inveniet hujus viri ratiocinia omnino ridicula.

Ex eodem  
 impuro  
 fonte  
 Gratia-  
 num suam  
 doctri-  
 nam hau-  
 sisse, pro-  
 batur:  
 aliique  
 ejus er-  
 rores  
 pertrin-  
 guntur.

Pro re nostra autem juvat citare illa, quæ habet  
 c. 28. q. 2., ubi quæstionem examinat, cum le-  
 gitimum sit inter infideles matrimonium, an li-  
 ceat uxore vivente aliam ducere? Et ait: „ quod  
 „ vero uxore vivente alteram ducere non possit,  
 „ testatur scriptura dicens: *alioquin si discedi-*  
 „ *tis ab invicem, & volentes cohabitare dimit-*

„ *titis, & aliis vos copulaveritis, adulteri eritis, & filii vestri, qui postea nascentur, erunt immundi, id est spurii.*

Hic vir ille eruditus citat scripturam, quæ tamen verba nullibi in ea reperiuntur, sed illa habet Ambrosiafter *ad 1. ad Corinth. cap. 7. v. 14.*

Pergit id probare ex canone concilii Meldensis, qui certo pro nobis probat; en verba: *si quis habuerit uxorem virginem ante baptismum, vivente illa post baptismum, alteram habere non potest. Crimina enim in baptismo solvuntur, non conjugia.* Tum textum Ambrosiafri, quem D. Gregorii esse credebat, sibi opponit hoc modo: „

„ Gregorius autem contra testatur, dicens: si „ infidelis discedit odio Christianæ fidei, discedat. Non est enim frater aut soror subjectus servituti in hujusmodi. Non est enim dimisso peccatum propter Deum, si alii se copulaverit. „ Contumelia quippe Creatoris solvit jus matrimonii circa eum, qui relinquitur. Infidelis autem discedens, & in Deum peccat & in matrimonium: nec est ei fides servanda conjugii, „ qui propterea discedit, ne audiret, Christum „ Deum esse Christianorum conjugiorum. „

Hac spuria auctoritate sibi proposita, ut suum Pseudo-Gregorium componeret cum canone præcitato concilii Meldensis, pergit: „ hic distinguendum est: aliud esse dimittere volentem cohabitare, atque aliud discedentem non sequi. „ Volentem enim cohabitare licet quidem dimittere, sed non ea vivente aliam superducere: „ discedentem vero sequi non oportet, & ea vivente aliam ducere licet. Verum hoc non nisi de „ his intelligendum est, qui in infidelitate copulati sunt. Ceterum si ad fidem uterque conversus est, vel si uterque fidelis matrimonio junctus est, & procedente tempore alter eorum a

„fide discesserit, & odio fidei conjugem dereliquerit, derelictus discedentem non comitabitur: non tamen illa vivente alteram ducere poterit.“

XXXVI. Cujus ratiocinii hanc adjicit rationem: *quia ratum conjugium fuerat inter eos, quod nullo modo solvi potest.*

Inepta  
Gratiani  
ratio  
notatur.

Hic rursus manifestum est, Gratianum hanc doctrinam ex Ambrosiastro hausisse, seu ex illo fundamentum suæ thesisi sumpsisse.

Quod vero rationem ejus attinet, in qua & alii scholastici se fundant, scilicet, quod matrimonium infidelium sit quidem verum sed non ratum, neque totam suam huc usque habeat firmitatem, sed tantummodo propter susceptum baptismum ratum & insolubile efficitur, nulla ratione nobis probatur: cum certum sit insolubilitatem matrimonii ab auctore naturæ provenire.

Deinde, si rem ipsam, siue istorum vocabulorum usum *Legitimum & Ratum* spectemus, ineptum nobis adparet tam magnum inter legitimum & ratum discrimen, quoniam justum non est, vel id ratum non habere, quod sit legitimum, vel ratum id habere, quod sit illegitimum.

Ulterius, si infideli discedente possit fidelis aliam ducere, quia matrimonium inter infideles non sit ratum, cur non itidem volunt, licere etiam aliam ducere, si, qui fidelis factus est, infidelem volentem cohabitare dimittat? Cur utroque converso, alterutro postea apostante, magis incipit esse ratum, quam si unus tantum convertatur? Semper enim inter infideles fuerit contractum, non ratum matrimonium, siue infideles manserint, siue alter postea, siue uterque fidelis fiat.

Sed dicunt: Apostolus de hoc solo casu loquitur, ubi infidelis discedit odio fidei, & non de aliis.

Si hoc ita sit, ineptissima est eorum ratio, si-

quidem tunc fidelis ab infideli desertus idcirco non liber erit, ut ad aliud conjugium transire possit, quia suapte natura non esset ratum matrimonium, sed potius, quoniam infideli datam fidem frangente, iniquum esset fidelem luere alieni criminis pœnam, quod volunt hæretici.

Gratiani errores contra ecclesiæ consuetudinem & SS. patrum auctoritatem potuisse invalescere, demonstratur, simulque varia dissertatoris argumenta, mediante retorsione, solvuntur.

XXXVII. Ceteros Gratiani errores innumeros omittimus: de his plena manu egit vir doctissimus Antonius Augustinus *dial. de emendat. Gratiani*. Obiter hic notemus: Gratiani farraginem occasionem dedisse mutandæ antiquæ disciplinæ ecclesiasticæ, & novæ, ex falsis Isidori mercibus desumptæ, substituendi. Proinde & nos hic quærimus: quomodo fieri potuerit, ut theologi, interpretes & canonistæ, tantam auctoritatem tribuerint operi hujus Gratiani, hominis privati, quod crassimis scatebat erroribus? Quomodo unice innixi huic operi, ex spurii Isidori mercibus pro magna parte conflato, deseruerunt veterem ecclesiæ disciplinam, in scriptis patrum & canonibus conciliorum ipsis propositam? Hanc tamen ipsos, maxime a tempore publicatæ hujus farraginis, deseruisse, novamque induxisse, apud omnes eruditiores res est tam certa, ut probari non debeat. Quomodo adversus istum monachum non insurrexerunt tanquam purum novatorem, novam disciplinam, ex quisquiliis Isidori excerptam, antiquæ substituentem? Quomodo sine turba potuit in ecclesiam introduci nova illa disciplina? Quomodo illam & reipublicæ & nervo disciplinæ ecclesiasticæ perniciosam non damnarunt summi pontifices, quibus ceteroqui cura fuit tot propositiones minus perniciosas damnandi? Sed quid dico, non damnarunt? Quomodo illam promoverunt & sequuti sunt? Plus dico: quomodo non tantum errores, quos Gratianus habebat, sequuti sunt, sed & glossatorum

errores, Gratianæis adhuc peiores, suos fecerunt? Quomodo, non dicam a Gratiani tantum, sed vel a Nicolai I. tempore, id est a seculo IX., spurias decretales urserunt summi pontifices, & tanto circa disciplinam errore ecclesiam, ad minus usque ad seculum XVI., involverunt? Quid, quod nequidem tunc, quando Gratiani correctionem triginta quinque eruditissimis viris tres successively pontifices commiserunt, falsi & spurii textus nota censoria perstricti fuerint, ut ita, etiam post laborem correctorum Romanorum, spuria a genuinis discernendi labor superfit? Id vel ipse Gratiani textus, *c. 28. q. 2. c. 2.*, de quo inter nos & adversarium est controversia, luculenter evincit. Gratianus enim, ut probaret, licere fideli in casu Apostoli aliam ducere uxorem, Ambrosiastri textum adducit, eum Gregorio per errorem adscribens. Ad hunc textum autem, ex impuro hoc fonte desumptum, monent correctores Romani: *hæc non sunt inventa apud B. Gregorium: sed apud B. Ambrosium ad cap. 7. 1. Corinthiorum eadem fere leguntur plenius atque aptius exposita.* Ex quibus constat, quod non vero auctori, Ambrosiastro nempe, sed D. Ambrosio spurium hunc textum adscripserint correctores.

Profecto fierine potest, ut in re tam gravi, ruina nempe antiquæ disciplinæ ecclesiasticæ, altum adeo dormierint omnes episcopi, pastores, & theologi, ut simul ac supposititia hæc codici Gratiani reperiebantur inserta, vix ullus, in tanto eorum numero, fuerit repertus, cui curæ fuerit acceptam a maioribus, patribus nempe & conciliorum canonibus, ecclesiasticæ disciplinæ traditionem, adversus novitiam hanc, *heri natam*, & mediante inconcinno hoc Gratiani opere quotidie magis & magis invalescentem, disci-

plinam propugnare, antiquam & optimam ecclesie praxin adversus novos hos insultus defendere? Vix ullus tamen est inventus, qui antiquam disciplinam, post evulgatam hanc Gratiani farraginem, huic novae opponeret, aut illam, tanquam patrum sensui & primitivae ecclesie praxi contrariam, argueret.

Nullas haec universalis, ut ita dicam, mutatio, in ecclesia excitavit turbas, utcuque talis sit, qualem eam praedicamus, sed tranquille illibatam auctoritatem Gratianus retinuit usque ad seculum XVI.

Signum proinde evidens est, longe majorem patrum sensui & ecclesiasticae consuetudini contrariam disciplinam sine turbis, sine oppositione in ecclesiam induci posse, quam ea, ad quam, ut respondeamus, nos provocat dissertator.

Ostenditur Innocentium III. fere semper Gratianum & glossatores pro norma decidendi adsumpsisse.

XXXVIII Qui tandem fieri potuit, ut ipse Innocentius III., ceteroquin pius, & pro temporum illorum barbarie doctissimus, fere in omnibus Gratiani doctrinam sequutus fuerit? Quod si quis de eo dubitet, consulat *cap. 7. § de his, quae sunt a praelat.*, ubi provocat ad *C. 16. q. 1. c. 68. & C. 12. q. 2. c. 12.* item consulat *cap. 40. § de sent. excomm.*, ubi provocat ad *C. 11. q. 3. c. 4.*: item *cap. 11. § de renunt.*, ubi provocat ad *C. 7. q. 1. c. 45.*: item *cap. 13. § de judic.*, ubi provocat ad *C. 11. q. 1. c. 35. & 37.*: item *cap. 20. § de elect.*, ubi provocat ad *D. 56. c. 1. 3. 5. 8. 11. 12. & 13.*: consulat etiam *cap. 12. § de for. compet.*, *cap. 12. § de sent. & re judic.*, *cap. 12. § de reb. eccles. non alien.*, *cap. 9. § de donat.*, *cap. 15. § de testam.*, *cap. 7. § de vot. & vot. redempt.*, *cap. 3. § de bapt.*, *cap. 2. § de observat. jejun.*, *cap. 6. § de immun. eccles.*, *cap. 6. § de eo, qui duxit in matrim.*, *cap. 12. § de haeret. & cap. 30. § de sent. excomm.*

Sed hæc ex multis pauca selegisse sufficiat, ut li-  
queat, quam solite, & fere semper Innocentius  
III. Gratiani opus, & glossatorum errores, in  
quibus pascebatur, pro norma decidendi ad-  
sumpserit.

XXXIX. Sed operæ pretium est examinare  
*cap. 7. § de divort.*, quod ex Innocentio nobis  
opposuit adversarius, & scrupulose ostendere,  
unde hic pontifex hanc doctrinam hauserit.

Scripta est hæc decretalis anno 1199. ad epis-  
copum Ferrariensem, qui pontificem consuluerat,  
an altero conjugum ad hæresin transeunte, is,  
qui relinquitur, ad secunda vota possit convo-  
lare.

Pontifex distinguendum putat, *licet*, inquit,  
*quidam prædecessor aliter sensisse videatur.*

Primo hic quaeritur, quis sit ille prædecessor,  
qui aliter sensisse videtur, & in quo hic aliter sen-  
serit? Sunt nonnulli, qui volunt, Innocentium III.  
hic designare decretalem Urbani III., cujus frag-  
mentum exhibet *cap. 6. § de divort.*: sed cum ex  
ea non constet Urbanum III. quidpiam respondi-  
se quoad vinculum matrimonii, exinde non ad-  
paret eum aliter sensisse.

Non desunt, qui docent, Innocentium III. hic  
respicere ad decretalem Cælestini III., cujus  
fragmentum exhibet *cap. 1. § de convers. in-  
fidel.*: verum cum Cælestinus III. vel in hoc  
ipso fragmento ad errores Gratiani provocet, &  
in hac ipsa nostra quaestione cum Gratiano & In-  
nocentio III. sentiat, dici nequit Innocentium  
eum tanquam a se dissentientem traducere.

Sunt & alii, qui putant, Innocentium III. designare  
voluisse Innocentium I., ex cujus epistola 22. Gra-  
tianus fragmentum adfert *C. 28. q. 1. c. 1.*, ubi  
hic pontifex clare docet; post baptismum manere  
conjugium, quod ante fuerat, neque licere con-

Examina-  
tur Inno-  
centii III.  
decisio  
in *cap. 7.*  
*§ de di-  
vort.* &  
hanc  
unice  
Gratiano  
erranti  
super-  
structam  
esse, ad  
oculum  
demon-  
stratur.

jugem propterea dimittere, probat ex his Christi Domini verbis, *quod Deus conjunxit, homo non separet.*

Teste itaque Innocentio III. aliter sensisse videtur Innocentius I.; multum proinde abest, ut eum nunquam errare posse crediderit, quod tamen asserere crimen est apud disertatorem.

Sed pergamus distinguere cum Innocentio III. „ an ex duobus infidelibus alter ad fidem catholicam convertatur, vel ex duobus fidelibus alter labatur in hæresim, vel decadat in gentilitatis errorem. Si enim alter infidelium conjugum ad fidem catholicam convertatur, altero vel nullo modo, vel non sine blasphemia divini nominis, „ **VEL UT EUM PERTRAHAT AD MORTALE PECCATUM,** ei cohabitare volente, qui relinquitur, „ ad secunda, si voluerit, vota transibit. „

Dubitare hic liceat an adversarius idem cum Innocentio III. sentiat? Nam juxta hunc pontificem, quamvis infidelis absque blasphemia divini nominis consentiat conjugii converso cohabitare, modo tamen id agat, ut conversum ad mortale peccatum pertrahat, verbi gratia, ut latrocinia exercent, liberum erit converso ad secunda vota transire.

Et an similiter admittat sequens Innocentii ratiocinium huic casui adplicari posse? Et in hoc „ casu intelligimus, quod ait Apostolus: *si infidelis discedit, discedat. Frater enim vel soror non est servituti subjectus in hujusmodi* **ET** „ **CANONEM, IN QUO DICITUR, QUOD** „ **CONTUMELIA CREATORIS SOLVIT** „ **JUS MATRIMONII CIRCA EUM, QUI** „ **RELINQUITUR.** „

Si hoc dixerit disertator, Innocentium III., si ipsi placeat, cum Augustino componat. Si vero in eo ab Innocentii III. doctrina recedat, digne-





8. *de divort.* in qua rursus ad suum Gratianum provocat.

Argumento ab absurdo petito monstratur vanam esse iactationem eorum, qui contrariam nostram sententiam præsentem cuiusdam apostolicæ traditionis subnixam esse contendunt.

XL. Itaque, quod in uno ardelione ortum habuit, quod dein ab aliquibus ejusdem commatis viris creditum fuit, ac etiam ab uno alterove pontifice ex errore, ut verum, adsumptum fuit, quodque deinceps turba scholasticorum sine examine, & quandoque non sine absurdis sequelis, docuit, atque etiam in aliquibus ecclesiæ provinciis ad praxin deductum fuit, ab apostolica traditione descendere dici nequit: alias, immo & majori jure, ad communem totius ecclesiæ sensum & doctrinam spectare dici poterit novitia ista doctrina, quæ pontifici imperium aliquod in regna, in principum ac regum temporalia tribuit. An forte hæc opinio minus in decretalibus Innocentii III. aliorumque pontificum stabilita reperitur, quam altera? An minus ad praxin deducta? An minus a scholasticis adserta? Legantur pro hæc *cap. 34. de elect.*, *cap. 13. de Judic.*, *cap. 6. de majorit. & obed.*, *cap. 10. & 13. de hæret.*, qui textus sunt Innocentii III. Item *cap. 2. de supp. neglig. prælat. in 6.*, *cap. 2. de sent. & re judic. in 6.*, qui textus sunt Innocentii IV. *Clement. 1. de jurejur.*, *Extrav. unam sanctam*, *1. int. comm. de major. & obed. & cap. un. de infulis novi orbis in 7. decretal.*, quod est Alexandri VI.

Quam felix populus, quam felices reges, quod hujus sententiæ patroni non omnes cathedram Moysis ascenderint? Quis enim ignorat quantas turbas, quanta mala, hoc aliquorum delirium in ecclesiam & rempublicam invexerit.

Ceterum ea, quæ huc usque diximus, non eo fine dicta sunt, ut pontifices aliosque, quos omnes plurimum veneramus, qui in prædictis sententiam Gratiani sequuti sunt, de mala fide accusemus, cum probe sciamus, ea omnia

bona fide ab ipsis dicta esse, & errores illi, quos tum ex falsis decretalibus, tum ex aliis obscuris & ignotis auctoribus hauserunt, potius vitio temporum quam hominum sint attribuendi, cum eo tempore vixerint, quo deerant media, falsa & supposititia a genuinis secernendi.

XLI. Pro coronide adjicimus argumentum, quod a Græcis schismaticis peti potest, quod tale est: si, qui modo in schismate Græcorum versantur, eandem nobiscum de casu Apostoli sequantur opinionem, sententia nostra obtinebit certitudinis gradum, ut ei amplius contradici non poterit: siquidem certum fit, quod eam ex ecclesiæ Romanæ praxi, qualis extitit ab Innocentii III. tempore, non mutuaverint; cum jam ab ejus communione recesserant, & alia praxis ab illo tempore in aliquibus ecclesiis, ecclesiæ Romanæ unitis, obtineret: ergo illam suam doctrinam & praxin ex doctrina, hac ecclesiæ Romanæ praxi diu anteriore, sive ab apostolica traditione hausisse dicendi sunt: quod si ita est; sequitur, quod primis octo ecclesiæ seculis præterita verborum Apostoli interpretatio in ea ignota fuerit, adeoque eandem ex spurio fonte, quem jam indicavimus, ortum habuisse. Quod autem Græci ejusdem in hac re nobiscum sint sententiæ, in facto verum ponimus. Id patet imprimis ex eo, quod tenaciter Imp. Græcorum legibus semper inhæserint, uti constat ex Constantino Harmenopulo judice Thessalonicensi, qui circa annum 1140. floruit, in *promptuar. jur. lib. 4. tit. 12.* & Matthæo monacho seu Blattere, qui anno 1335. claruit, cujus *matrimonialia* tradit Leunclavius in *jure Græco-Rom. P. 1. lib. 8.*, quæ tamen leges, ut ante diximus, casus Apostoli non meminerunt.

Patet etiam ex eo, quod hæretici, qui in casu

Ultimum  
pro nos-  
tra sen-  
tentia ar-  
gumen-  
tum ex  
praxi  
Græco-  
rum  
schisma-  
ticorum  
desumi-  
tur.

fornicationis cum Græcis sentiunt & ad eos provocant, nullibi tamen pro casu malitiosæ defertionis, qui casum Apostoli involvit, & in quo cum disertatore sentiunt, stabiliendo, ad Græcos recursum habeant. Patet quoque ex concilio Venetico, habito anno 465., in quo declaratur fornicationem solvere vinculum matrimonii: nulla tamen mentio fit de casu Apostoli.

Quod si adversarius aliquis contrarium evicerit, argumentum pro opinione sua protulisse videbitur.

Epilogus,  
in quo  
diserta-  
toris  
procæ-  
mium  
discuti-  
tur.

XLII. Sed tempus est, ut etiam aliquid dicamus ad procemium disertatoris.

Etenim veretur ibidem adversarius novitatem hanc, ut ipse ait, contra ecclesiæ Romanæ sensum & praxin introductam, natam esse excitare in ecclesia turbas, ac parere infelices exitus quam plurimos; quemadmodum, inquit, contigit, dum contra communem ecclesiæ morem viri nonnulli, etiam sanctitate & doctrina celeberrimi, novam praxin inducere conati sunt, dum ab hæresi revertentes absque baptismatis reiteratione suscipere nollent.

Sed quod adversarius hic veretur, Augustinus non est veritus in exemplo ab ipso adducto: neque enim legitur quod S. Augustinus S. Cyprianum accusaverit, vel etiam cum ipso sentientes, quod causa essent tantarum in ecclesia turbarum: sed contra, S. Cyprianum excusat, quod ea, quam ipsi objecerat S. Stephanus pontifex ecclesiæ suæ traditionem, talis ac tanta non esset, qua talis, scilicet S. Cypriani anima, moveretur: immo & Augustinus asserit, nec se rationibus S. Stephani motum fuisse, neque etiamnum moveri, nisi quæstio illa in aliquo concilio generali, seu iudicio aliquo infallibili, eliquata atque decisa fuisset. Fuit autem hoc factum in Nicæno Concilio. **AA**

idem futurum fit de præfenti quæftione, eventum expectabimus.

Sed & hæc comparatio, quam hic adverfarius inffituit, nimis ridicula eft, ut quis ea moveretur. Agebatur in cafu Cypriani de æterna falute iftorum hominum, de valore fcilicet baptifimi ab hæretico collati, quæ quæftio ad fidem reduci poterat, licet Stephanum inter & Cyprianum ut disciplinæ tractata fuerit: hic vero agitur de aliquot Judæis, vel aliis infidelibus, ad continentiam regulas reducendis; quod ad fidem, quæ per dilectionem operatur, converfis perfacile eft; fi quidem illi continentiam donum impetrabunt, fi illud, prout decet, a Deo petierint. Et cafus hic adeo rarus fit, ut Van Espen *part. 2. fecl. 1. tit. 15. cap. 1. n. 6.* dicat: *porro cum rarus circa hujusmodi matrimonii diffolutionem cafus incidat, plura dicere neceffe non eft: feu eum ferio examine dignum non judicaverit, licet iftius videatur effe fententiæ, contentus rem hanc ad communes commentatores remittere.*

Hæc, pro modo præfentis inffituti dixiffe fufficiat: neque enim neceffe videtur, ut ulteriori differtatione prelum fatigemus.

Quod bonum eft tenete. I. *ad Theffal. cap. 5. v. 21.*

AD MAJOREM DEI GLORIAM.



# APPROBATIO CENSORIS REGII.

**H**anc dissertationem attentam  
mente perlegi, nec quidquam  
a fide devium, nec juribus maje-  
statis, nec patriæ legibus contra-  
rium, nec a bonis moribus disso-  
num inveni: quapropter typis man-  
dari posse censeo.

Dabam Bruxellis 18. Januarii

1771.

**F. R. DE BERG**  
facræ suæ Cæs. reg.  
ac apost. majest. in  
Brab. subst. proc. reg.  
ac regius librorum  
censor.

Prodiit etiam Lovanii circa finem  
mensis Junii 1771., quæ hic  
subjungitur

# DISSERTATIO

IN QUA EXAMINATUR

An matrimonium in infidelitate contractum per  
professionem religionis Christianæ alteru-  
trius quoad vinculum solvatur?

EXCERPTA

EXTRACTATU

DE SACRAMENTIS

AUCTORE

ILLUSTRISSIMO CLARISSIMOQUE VIRO

*AUGUSTINO GERVASIO*


*Eremita Augustiniano, in Vindobonensi universitate  
SS. theologiæ professore publico, nunc episcopo  
Gallipolitano in regno Neapolitano.*

*Cum privilegio sac. Cæs. reg. apost. majest.*

*V I E N N Æ,*

Typis JOAN. THOM. DE TRATTNERN,  
fac. Cæs. reg. apost. maj. typogr. & bibliop. 1766.


H



# DISSERTATIO

IN QUA EXAMINATUR

*An matrimonium in infidelitate contractum per professionem religionis Christianæ alterutrius quoad vinculum solvatur ?*


 Ræcedens quæstio \* ad præsentem nos veluti manuduxit. Gravissima illa est, ac proinde serio a nobis tractanda, præsertim cum observaverim, id hætenus minus accurate nostros theologos præstitisse. Illi ita sentiunt. Estius in 4. *dist.* 33. §. 7. & *seqq.* postquam constituisset matrimonium esse suapte natura indissolubile, existimat tamen ejus vinculum dissolvi, si pars infidelis renuat cum fidei habitare ac pacifice vivere sine contumelia Creatoris: quam sententiam multi theologî & canonistæ sequuntur. Contra vero Bellarminus, Junenus, Drovuenius, & alii tenent, conju-

• Examinaverat illustrissimus auctor, an matrimonii vinculum propter adulterium alterutrius conjugum solvatur? Non solvi autem contra protestantes & Græcos probaverat, ostendens manere usque ad mortem matrimonii vinculum; etiamsi conjugum alteruter adulterium committat.



gem fidelem legitime posse secundas nuptias ini-  
re, quamvis conjux infidelis ultro optet, & con-  
sentiat ad pacificam cohabitationem. Thomas  
Sanchez *lib. 7. de Matrimonio disp. 74. num. 9.*  
sustinet, primis ecclesiæ temporibus licuisse fi-  
delem conjugem retinere; secutis autem seculis  
hoc non amplius licere, sed matrimonium dis-  
solvi, & posse fidelem novum facere connubium.  
In diversas quoque abeunt sententias theologi  
& canonistæ circa tempus præcise, in quo vis  
vinculi prioris cessat. Nam, S. Thomas, Duran-  
dus, Paludanus, Estius, Tournelius, L'Her-  
minierius, aliique sine numero, putant vincu-  
lum illud subsistere quousque novum succedat;  
sunt vero alii, qui censent vinculum solvi sta-  
tim, ac infidelis baptismum recipit. Itaque om-  
nium theologorum & canonistarum eo demum  
sententiæ redeunt, quod in exposito casu ma-  
trimonii ligamen aut statim dissolvatur, aut sal-  
tem solvi possit. Qua in re illi mire conveniunt;  
quodque gravius est, in plerisque ecclesiis hæc  
doctrina, si quando casus contingat, in praxi  
exercetur. Nobis autem quid videatur, aperiet  
subjecta





## PROPOSITIO

*Momenta, quibus probari potest conjugem fidelem  
vivente altero infideli ad novas nuptias transire  
non posse, adeo solida & firma mihi videntur,  
ut iis extricandis me parem esse non sentiam.*

**P**Robatur primo ex futilitate motivi, quod adfertur ab adversariis, qui dicunt, in casu proposito matrimonium dirimi, "Deo dispenfante in gratiam religionis Christianæ.", Ita Ludovicus Habert *tract. de matrimonio cap. 2. §. 5.*, & alii multi. At illud velim, me doceant, hujus tam insignis privilegii concessi a Deo in gratiam religionis Christianæ, quodnam argumentum habeant? Porro de hac dispensatione nihil prorsus scriptura, ne verbum traditio antiquæ ecclesiæ dicit. At sine his ducibus nihil certi in re theologica, præsertim in casibus magni momenti, constitui potest. Quod si ejusmodi dispensationibus tam facile confingendis indulgeamus, liberioribus quandoque theologorum ingeniis ostium pandemus, relicta scriptura & traditione, nova & periculosa systemata pro arbitrato condendi. Quid enim si hoc eodem arrepto principio aliquis theologus affirmaret, dispensatum a Deo in gratiam religionis Christianæ, ut maritus, adultera, dimissa novam sponsam accipiat? An huic assertioni statim acquiesces? Absit.

Probatur secundo, tribus rationibus. Primo, in iis, quæ ad sacramenta pertinent, tutiorem opinionem tenemur sequi; uti constat ex propositionibus ab INNOCENTIO XI. anno 1679. damnatis. Atqui longe tutius est, si in proposito casu conjux fidelis in statu continentiae permaneat. Nam si hoc faciat, nullum inde metuendum est detrimentum. Contra vero, si nubat, periculo frustrationis sacramentum exponit. Neque communis doctorum sensus ipsum securum facere potest, illi siquidem frivolis rationibus, ut ostendemus, ducuntur. At theologicæ theses rationibus magis, quam fautorum numero defendi debent. Secundo, conflictus sententiarum, quas initio recensuimus, easdem falsitatis suspectas reddit. Quis Bellarmini & aliorum opinionem æquis animis ferat? Quæ manifeste adversatur Apostolo *I. ad Cor. 7. 12.* dicenti: *Si quis frater uxorem habet infidelem, & hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam.* Illi autem, & dimitti illam posse, aliamque substitui. Nec probabilius propugnari potest sententia Sanchezii, qui ex suo capite, & sine necessariis fundamentis, illam temporum distinctionem inducit, & rem eandem modo licitam, modo veritam pro libitu facit. Eorum tandem sententia rationi parum consentanea videtur, qui censent, præcedens vinculum recte tunc tolli, cum fidelis se obstringit novo. Etenim, ut quis novum vinculum contrahat, omnino necesse videtur, ut in antecessum a priori liber evaserit. Tertio, quanquam adulterium directe lædat matrimonium, illius tamen vinculum solvere non valet, ut demonstravimus capite præcedenti. Ergo multo minus per religionis mutationem, quæ matrimonio extrinseca est, ipsius vinculum tolli poterit.

Probatur tertio ex S. P. Augustino, qui quæ-  
 stionem istam sedulo expendit in duobus, quos  
 circa an. 419. edidit libris, de adulterinis con-  
 jugiis ad Pollentium. Is autem hanc aliasque  
 quæstiones Augustino solvendas proposuerat. I-  
 taque *lib. 1. num. 31.* scribit: " Propter quod-  
 ,, libet tamen fornicationis genus, sive carnis, si-  
 ,, ve spiritus, ubi & infidelitas intelligitur; &  
 ,, dimisso viro non licet alteri nubere, & dimis-  
 ,, sa uxore non licet alteram ducere, quoniam  
 ,, Dominus nulla exceptione facta dicit: si uxor  
 ,, dimiserit virum suum, & alii nupserit, mœ-  
 ,, chatur; & omnis, qui dimittit uxorem suam,  
 ,, & ducit alteram, mœchatur." Habes hic ci-  
 tra ullam ambiguitatem, sed clare & expresse  
 quæstionem diremptam a magno Augustino;  
 ad quem si scholastici nostri attendissent, for-  
 tasse non tam præcipites in sententiam opposi-  
 tam ruisissent. Neque enim tam leviter tanti  
 magistri auctoritatem contempnissent. Hinc mi-  
 ror, doctissimum ceteroquin Van Espenium in  
 analysi decreti Gratianæi confidenter asserere,  
 præsentem ecclesiæ disciplinam dissolvendi ma-  
 trimonium neophytorum fundatam esse supra  
 claros S. Augustini textus ex libris duobus de  
 adulterinis conjugiiis, quando certissimum, mo-  
 dicam attentionem adhibenti, fieri potest, S. Au-  
 gustinum iis in libris data, ut aiunt, opera  
 contrarium demonstrasse. In cujus rei gratiam  
 alios textus inde decerpere & huc transferbere  
 liceat. *Lib. 2. num. 8.* " Mulier, inquit, alli-  
 ,, gata est, quamdiu vir ejus vivit. Ergo conse-  
 ,, quenter & vir alligatus est, quamdiu mulier  
 ,, ejus vivit. Hæc alligatio facit, ut aliis con-  
 ,, jungi sine adulterina copulatione non possint.  
 ,, Unde necesse est ex duobus conjugibus qua-  
 ,, tuor adulteros fieri, si & illa alteri nupserit,

„ & ille alteram duxerit. ” Manet constanter in sententia S. parens, & vinculi insolubilitatem omni in casu absque ulla exceptione tueretur. Repetam, quæ cap. præcedenti retuli ex *lib. 2. num. 4.* ” Nullius viri, ait, posterioris mulier uxor esse incipit, nisi prioris esse desierit. ” Esse autem desinit uxor prioris, si moriatur, vir ejus &c. ” quæ generales propositiones falsæ essent, si per accessum unius ad fidem, antea contracti matrimonii vinculum tolleretur. Sed lege a capite ad calcem duos libros laudatos.

○ Probaturo quarto ex scriptura, ex iisdem nempe locis, quibus capite præcedenti probavimus connubii ligamen per adulterium non solvi. Nempe sententiis illis generaliter declaratur, non matrimonium, sed adulterium esse illud, quod priore conjuge adhuc superstite fiat; & nullus plane excipitur casus apud Marcum, Lucam, & Paulum. Apud unicum Matthæum excipi prima fronte videtur casus fornicationis. At, consentientibus theologis catholicis, recte explicatur sententia de separatione cohabitationis, non vinculi. Cum ergo in citatis locis ne indicetur quidem casus infidelitatis, quanto magis exceptus non fuisse putandus est! Profecto *omnis*, ait Christus *Lucæ 16. 18.*, *qui dimittit uxorem suam, & alteram ducit, mœchatur.* Si *omnis*, ergo etiam vir fidelis aliam ducens relicta infideli. Quo loco allato *lib. 1. de adult. conj. num. 9.* Augustinus exclamat: ” qui ergo sumus, nos, ut dicamus, est, qui mœchatur, uxore sua dimissa alteram ducens, & est, qui hoc faciens non mœchatur? Cum evangelium dicat omnem mœchari, qui hoc faciat? ” Atqui in sententia communi theologorum & canonistarum dici potest: ” est, qui hoc faciens non mœchatur ”; infidelis scilicet, qui fidei

gratiam recepit. Item Paulus *ad Rom. 7.* ait; *igitur vivente viro vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro.* Sed juxta adversarios mulier infidelis liberata est a lege viri non tantum si is moriatur, sed etiam si Christianus fiat.

Objiciunt primo Apostolum Paulum, qui *in epist. 1. ad Cor. cap. 7. v. 15.* inquit; *Quod si infidelis discedit, discedat; non enim servituti subiectus est frater aut soror in hujusmodi, in pace autem vocavit nos Deus.*

Ex his verbis male intellectis fraus facta est theologis omnibus & canonistis. Nam illis hunc sensum affinxerunt, quod si infidelis dicefferit, omnino a conjugii illius servitute fidelis conjux liber fiat, ita, ut aliud connubium inire queat.

Respondeo itaque, germanum ac nativum hujusce versiculi sensum esse, quod si conjux infidelis nolit pacifice vivere cum fideli, sed in odium religionis Christianæ perpetuis contentionibus atque dissidiis locum præbeat, tunc pars fidelis minime debeat cum dispendio suæ religionis currere apud infidelem conjugem, & cum illo cohabitare; quia Christus vocavit nos ad unionem & pacem. Unde evidenter inferitur, discessum illum non necessario secum ferre dissolutionem vinculi, sed separationem a thoro usque conjugii, separationem nempe ideo admittam, quia in pace vivere conjuges non possunt, non quia nodus conjugalis sit sublatus. Quod autem hic integer perseveret, paulo ante Apostolus clare constituerat *v. 10. & 11. iis autem, inquit, qui matrimonio juncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere. Quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari, & vir uxorem non dimittat.* Generale præceptum Domini esse affirmat Apostolus, quod si mulierem a viro dif-

cedere contingat, manere debeat innupta. Ergo in sequentibus versiculis de sola separatione thori, non vinculi, loqui potuit Apostolus; ac proinde illud *discedit*  $\psi$ . 15. eandem significatio- nem habet, ac illud *discesserit*  $\psi$ . 11. Accedit, quod  $\psi$ . 12. Paulus virum fidelem moneat, ut uxorem infidelem non dimittat, si ipsa concesserit secum cohabitare; eundem præterea repetitis vicibus hortatur,  $\psi\psi$ . nempe 17. 20. & 24., ut in eo statu permaneat, in quo erat, cum ad fidem vocatus est, & proinde, ut infidelem uxorem retineat, additque  $\psi$ . 17. id se docere in omnibus ecclesiis. Itaque necessario supponere Apostolus debuit, quod infidelitas unius conjugum firmitati matrimonialis contractus nihil afferat detrimenti. Et vero, ni res ita esset, falso  $\psi$ . 39. ejusdem capituli decretoriam illam sententiam Paulus protulisset: *Mulier alligata est legi, quanto tempore vir ejus vivit; quod si dormierit vir ejus, liberata est, cui vult, nubat*; falso doctrinam eandem in *epist. ad Rom. 7.* iterum insinuasset; falso tandem Christus ipse apud Marcum & Lucam adulterii reum esse indiscriminatim pronunciasset omnem & quemcumque, qui prima uxore dimissa, alteram duceret; nam propter infidelitatem, juxta adversarios, id facere liceret.

Urgent tamen adversarii ex eodem Apostolo. Is  $\psi$ . 10. de conjugio fidelium sic habet: *Iis autem, qui matrimonio juncti sunt, præcipio, non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere.* De infidelibus autem  $\psi$ . 12. dicit: *Nam ceteris ego dico, non Dominus, si quis frater uxorem habet infidelem, & hæc consensit habitare cum illo, non dimittat illam.* Utrobique dicitur retinendam esse uxorem, five fidelem five infidelem, cum hoc tamen discrimine, quod primum fit

ex præcepto divino : *non ego, sed Dominus* ; alterum vero fit ex consilio Apostoli : *ego dico, non Dominus*. Hinc adversarii inferunt, in potestate viri fidelis esse, aut retinendi uxorem infidelem, aut illam dimittendi; quod si facit, iterum nubere potest. Accedit, quod juxta Apostolum viro fideli, qui habet uxorem infidelem, id conceditur, quod conjugibus fidelibus denegatur. Atqui maritus fidelis potest ob fornicationem aliasque graves causas se separare ab uxore quoad thorum. Ergo separatio viri fidelis ab uxore infideli non solum complectetur separationem quoad thorum, sed ultro extendi debet usque ad vinculi solutionem.

Respondeo ad primum : negando consequentiam. Nam etiamsi daremus versu 12. non præceptum, sed consilium contineri, istud tamen non caderet nisi supra separationem thori. Nos quippe jam evicimus, Apostolum indissolubilitatem conjugii in omni casu tum alibi, tum in hoc eodem capite firmissime constituisse, ac proinde versiculum 15. *Quod si infidelis discedit, discedat, &c.* duntaxat de separatione cohabitationis, non vinculi intelligi posse. Ceterum falsum est, ea verba : *Ego dico, non Dominus*, simplex consilium continere, a quo recedere integrum sit, sed potius appellari potest Apostolicum præceptum, aut, si mavis, consilium a Deo ipsi inspiratum. Et vero Paulus hic non dicit, quemadmodum de virginibus in eodem capite : *Consilium do*, sed : *Ego dico, non Dominus*. Præterea Apostolus hoc loco eandem dicendi formulam usurpat : *Non dimittat*, qua Dominus usus est, ut conjugibus omnem separationem prohiberet. Et hoc pacto SS. patres passim ea Pauli verba interpretati sunt. Hieronymus *lib. 1. contra Jovinianum* : " Præcipit, inquit, ne



„ credens repudiet non credentem; ” & Augustinus *lib. 1. de adulterinis conjugis cap. 13.* scribit : ” Recedi ab infidelibus conjugibus Apostolus, stolus verat. ” Et *cap. 18.* ” Discessionem fidelis ab infideli prohibet, inquit, Apostolus consilio caritatis, quia infidelibus adfert impedimentum salutis : non solum quia perniciosissime scandalizantur offensi ; verum etiam quia in alia conjugia cum ceciderint, viventibus eis, a quibus dimittuntur, adulterinis nexibus colligati difficillime resolvuntur. ” Quæ cum adeo clara & expressa sint, mirum est adversariorum nonnullos pro sententia sua citare Augustinum. Addo, idcirco dicere Apostolum : *Ego dico, non Dominus* ; quia hanc quæstionem de conjugibus disparibus Christus minime attigerat ; sicuti aliam de conjugibus fidelibus.

Quod additum in objectione est, facile dispellitur negando majorem. Enimvero si viri fidelis, juxta Paulum, major esset libertas comparate ad uxorem infidelem, quam fidelem, & ab ista solum quoad thorum, ab alia vero etiam quoad vinculum sejungi posset, sequeretur falso scripsisse Paulum, mulierem alligatam esse viro, quamdiu ille vivit, & non nisi post ejus mortem a lege viri liberam fieri ; falso etiam pronuntiasse Christum, eum omnem absque ulla exceptione mæchari, qui legitima uxore dimissa alteram ducat.

Afferunt præterea auctoritatem Gratiani, qui parte secunda decreti *causa 28. can. 2. quæst. 2.* ita habet : ” Si infidelis discedit odio Christianæ fidei, discedat ; non est enim frater aut soror subjectus servituti in hujusmodi, non est enim dimisso peccatum propter Deum, si alii se copulaverit. Contumelia quippe Creatoris

„ solvit jus matrimonii circa eum, qui relin-  
 „ quitur. Infidelis autem discedens & in Deum  
 „ peccat, & in matrimonium; nec est ei fides  
 „ servanda conjugii, quia propterea discedit,  
 „ ne audiret Christum Deum esse Christianorum  
 „ conjugiorum., Gratiano morem gessit Inno-  
 „ centius III., qui *cap. Quanto tit. de divortii sic*  
 „ *decernit.* „ Si alter infidelium conjugum ad fi-  
 „ dem catholicam convertatur, altero vel nul-  
 „ lo modo vel non sine blasphemia divini nu-  
 „ minis, vel, ut eum pertrahat ad peccatum  
 „ mortale, ei cohabitare volente, qui relinquitur,  
 „ ad secunda, si voluerit, vota transibit:  
 „ & in hoc casu intelligimus, quod ait Apof-  
 „ tolus: *Si infidelis discedit, discedat: frater*  
 „ *enim vel soror non est servituti subiectus in*  
 „ *hujusmodi.* „

Respondeo, nulla nos reprehensione dignos  
 esse, si a Gratiano & Innocentio hac in parte  
 recedamus. Nam Gratianus per se ipsum nullam  
 habet auctoritatem, eumque consideramus, qua-  
 si unum e turba canonistarum; Innocentio au-  
 tem opponimus S. Augustinum aliosque patres,  
 qui longe ante ipsum aliter senserunt; opponi-  
 mus, quin imo, S. Paulum in omnibus locis  
 supra citatis; opponimus tandem Christum ip-  
 sum, ore Marci & Lucæ loquentem. Quod si  
 hoc satis non fit, ipsum Gratianum & Innocen-  
 tium, Gratiano Innocentioque ex adverso po-  
 nimus. Et ille quidem *causa 28. quest. 2. can.*  
*1.*, qui sumptus est ex Concilio Meldensi anno  
 845., ita habet: „ si quis habuerit uxorem virgi-  
 „ nem (id est liberam a vinculo matrimonii)  
 „ ante baptismum, vivente illa post baptismum,  
 „ alteram habere non potest: crimina enim in  
 „ baptismo solvuntur, non conjugia., Idem prin-

cipium adoptavit Innocentius III., qui in cap. *Gaudemus extra de divort.* dicit: „Cum per sacramentum baptismi non solvantur conjugia, sed crimina dimittantur. „ Ex quo principio directe sequitur, integrum stare connubii vinculum, etiam postquam unus conjugum ab infidelitate recesserit. Illud quoque prætermitti non debet, imo diligenter observandum est, quod Gratianus sententiam: *Si infidelis*, S. Gregorio magno falso adscripserit; certum quippe est, illam excerptam ex commentariis in epistolas Pauli; quod opus Hilario diacono, homini obscuro, schismatico, & erroribus Luciferianæ factionis contaminato, eruditi adtribuunt. Quos inter errores is certe commemorandus est, quod ille affirmet, licere marito, qui uxorem in adulterio deprehendisset, ea dimissa alteram ducendi; quam libertatem negat uxori, si ipsa virum cum alia adulterari cognoscat. Ab hoc impuro fonte Innocentius III. deceptus bibit, & insuper Gratianæ errori alterum addidit, asserendo nimirum, quod, „si matrimonium verum inter infideles existat, non tamen est ratum, inter fideles autem verum & ratum existit. „ Quam sententiam nemo theologorum & canonistarum nunc est, qui non reprobet.

Duo tandem sunt, quæ nobis opponi posse videntur, numerus scilicet theologorum & canonistarum, nec non praxis ecclesiæ. Potro nullus est inter illos omnes, a quo sententia nostra non proscribatur. Nam in casu proposito connubii vinculum tolli una voce illi consentitur. Universalis autem tot doctorum consensus rejici non debet, ut nova iisque opposita opinio nostra triumphet. Quin imo non levem redolet temeritatem illius consilium, qui solus contra

fortissimam adversariorum aciem pugnare præsumat. Præterea, cum ecclesia hujusmodi neophytis indulgeat, ut ad secundas nuptias, viva adhuc infideli uxore, pertranseant, hinc nos, qui in eo casu id fieri posse negamus, ecclesiæ praxin aperte reprehendimus. Quæ res est periculi plena & audaciæ.

Multa ad amoliendam invidiam, quam stomacho erga nos male affecti, si qui essent, homines, conflare tentarent, multa, inquam, huic objectioni plenissime resolvendæ a nobis observanda sunt. Atque illud ante omnia notandum est, nos neque primos esse, neque solos, qui hanc sententiam tueamur. Enimvero Sarpus *lib. 7. hist. concilii Tridentini* scribit, Petrum Soto, theologum eximiæ pietatis & doctrinæ, publice coram patribus Tridentinis sustinuisse, ligamen matrimonii inter infideles initi, non nisi per mortem alterutrius solvi; ac proinde Paulinam sententiam, *quod, si infidelis discedit, discedat* &c., de solutione quoad thorum intelligendam esse, ac pro se Cajetanum produxit, ejusque expositionem vulgatæ & receptissimæ præposuit; nec tamen dicitur fuisse aliquem, qui assertionem ejus audaciæ notaret. Ergo id ipsum modo, absque reprehensione nobis etiam facere licebit. Accedit, quod cum aliquot abhinc annis casus controversus in Galliis contigisset, celeberrimos theologos Parisienses, multique episcopi doctissimæ illius nationis, pro indissolubilitate vinculi steterunt; eaque occasione libri duo S. P. Augustini de adulterinis conjugii Latine & Gallice Parisiis anno 1763. prodierunt, celeberrimo Sueffionensi episcopo Fitzjamesio nuncupati, adjecta ad calcem gravissima consultatione, in qua quæstio hæc tota solide ac luculenter evolvitur,

enucleatur, dirimitur. Nos inde, quæ scribimus, magna ex parte mutuo accepimus. Quæ cum ita sint, sequitur, nobis haud ita multum esse metuendam temeritatis accusationem, quæ tot viros præstantes & doctos ictu eodem ferret. Cur autem temerarii erimus, si Marcum, Lucam, Paulum, Augustinum duces, ut putamus, sequamur? An istis phalangem theologorum & canonistarum non alia de causa præponemus, quia numero superiores sunt? Hoc nemo sanæ mentis dicet. Audi elegantem Canum *lib. 8. cap. 5.* ita apposite docentem: "Theologorum etiam multorum testimonium, si alii contra pugnant viri docti, non plus valet ad faciendam fidem, quam vel ratio ipsorum, vel gravior etiam auctoritas comprobabit. Videlicet in scholastica disputatione plurium auctoritas obruere theologum non debet; sed si paucos viros, modo graves, secum habet, poterit sane adversus plurimos stare, non enim numero hæc judicantur, sed pondere. Hanc vero conclusionem probare argumentis non debeo; nam si quid est evidens, de quo inter omnes conveniat, argumentari non soleo; perspicuitas enim, ut ait Cicero, argumentatione enervatur. Quod si quis quærat, unde acciderit, ut tot doctores eundem ad scopulum alliderent? Respondebo, id accidisse ob pravam illam habitudinem alios absque prævio convenienti examine exscribendi: quod non semel nostris, præsertim scholasticis, viri sapientissimi exprobraverunt. Egrege Seneca *lib. de vita beata cap. 1.* "Nihil magis, inquit, pensandum, quam ne pecorum ritu sequamur antecedentem gregem, pergentes, non qua eundum est, sed qua itur. Nul-

„ la res nos majoribus malis implicat, quam  
 „ quod ad rumorem componitur, optima rati  
 „ ea, quæ majori assensu recepta sunt., Et  
 vero, quod in præsentī controversiā unus alte-  
 rum expilarit, inde constat, quod omnes con-  
 stantissime nullas alias rationes proferant, præter  
 auctoritatem Gratiani & Innocentii III. Itaque  
 juxta principium illud Cui (quod æquissimum  
 est) tanti ingens illa doctorum copia æstimanda  
 est, quanti Gratiani & Innocentii auctori-  
 tas: ista verò plaris fieri non debet, ac assertio  
 unius schismatici Luciferiani hominis, uti fuit  
 Hilarius diaconus. Qui, si res sine præjudiciis  
 expendatur, haberi potest tanquam unicum fun-  
 damentum contrariæ sententiæ. Nam multo-  
 rum, quæ facta est deinceps accessio, intrinse-  
 cam rei veritatem augere non valet. Nos vero  
 jam ostendisse confidimus, Augustinum Hilario  
 adversari, quamobrem non injuria nobis adblan-  
 dimur, quod simus temeritatis notam vitaturi,  
 si magnum parentem Hilario illi prætulerimus.  
 Neque mirandum est, quod tam multi simul,  
 ob debitæ attentionis defectum, in eundem er-  
 rorem impegerint, istud quippe primum exem-  
 plum non est. Olim in tota ecclesia Gallicana,  
 sub regibus primæ & secundæ stirpis, multas ob  
 causas connubii vinculum rumpebatur, uti prop-  
 ter maleficia, propter longam unius absentiam  
 & captivitatem. Consule auctorem libri *des con-  
 ferences de Paris sur le mariage*, & *P. Chardon  
 histoire des sacremens. 6., du mariage cap. 5.* I-  
 tem habebatur tanquam præsumptum matrimo-  
 nium, ut ait Brodeau sur Lovet, si quis virgi-  
 nem apud se, quasi uxorem, habuisset, quam  
 postea carnaliter cognovisset, licet sub initio ip-  
 sa repugnaverit; nam ex hac cohabitatione de-  
 duci

duci putabatur tacitus quidam ad matrimonium consensus. Et talem esse dicit decisionem *capitis* 21. *extra de sponsalibus.*, quæ conjugia adeo vera in jure canonico præsumebantur, ut nulla admitteretur in contrarium probatio. Ita ille. Nunc tamen, quem non puderet talia opinionum portenta sustinere, & practice usurpare? Factum est tamen. Quod ergo de praxi illorum temporum judicamus comparate ad expositas doctrinas, id ipsum fortasse posteritas de praxi, quæ in casu controverso usurpatur, judicabit. Illud interim animadverto: praxin ecclesiæ non esse generalem, sed in aliquibus duntaxat diœcesibus & provinciis vigere; neque ullum proferri potest universalis ecclesiæ decretum, quo per alterutrius conjugis infidelis transitum ad fidem solvi connubii vinculum declaretur. Ceterum, cum ad hanc quæstionem explicandam animum applicuissem, & jam momenta rationum me eam in sententiam inclinassent, quam tueri conatus sum, contrariam quarundam ecclesiarum praxin reveritus, anceps ac fluctuans hæsi, dubitabamque ne novitate opinionis in multorum offensionem incurrerem. Verum re maturius perpensa, cum observassem opinionem illam non solum magno Augustino vehementer probari, sed validissimis etiam sanctarum scripturarum oraculis niti, metum deposui, eumque vicit ingenuus bellæ veritatis amor, quem nunquam non præ me feram. Utque cautius agerem, virum (præter alios & probos & doctos) consului, quem singulari cultu prosequor, Simonem Ambrosium de Stock, facultatis theologicæ præsidem, Cæsareo-regium censorem, theologum sane gravissimum, qui rationes supra propositas sibi neque leves neque contemnendas videri ref-

pondit, nec vetaturum easdem considerationi  
doctiorum a me modeste proponi, sapienter si-  
mul & amice monens, ut ab omni reprehensio-  
ne contrariæ sententiæ, præsertim vero praxeos  
nonnullarum ecclesiarum, abstinere. Parui,  
nisi fallor, religiose; imo postremo hoc loco  
candide profiteor & publice, me ita animo af-  
fectum esse, ut paratissimus sim revocare sen-  
tentiam, quamprimum me errasse convictus fue-  
ro. Ita vere & sincere spondeo.





## APPROBATIO CENSORIS.

**R**ecte prudenterque facis, vir clarissime, dum labores tuos theologicos sapientibus, probisque veritatis amatoribus disjudicandos committis. Sentient profecto hi, nisi omnia me fallant, id quod ego, qui tractatus tuos omnes, quos typis mandasti, pro officii mei ratione attente pervolvi, illos nempe, eleganti perspicuaque stylo elaboratos, nihil discipulis propinare, nisi quod a veneranda majorum traditione defluxit; qui (ut magnus Augustinus testatur *lib. II. contra Julianum*) quod invenerunt, tenuerunt, quod a patribus acceperant, hoc filiis tradiderunt. E purissimis itaque fontibus, sacra pagina, patrumque placitis doctrinam tuam hauriens sollicitate (monente Sixto III. P. M.) cavisti, ne perspicua majorum fides ulla coeni permixtione turbetur. Hinc factum est, ut quoties occasio tulerat, magna animi mei voluptate in futillum nugacium scholasticorum inventa imperterrito animo, vehementique impetu rueres, eorumque auctores perpetuo filere juberens, probe memor adagii: *conticescant ranæ, dum cœlum tonat.*

Ita sentio kalendis Septembris MDCCLXVI.

S. A. nob. DE STOCK sacr. facult. Casareo-regius præses & director.

## A P P R O B A T I O .

**H**Æc dissertatio, cui titulus:  
*an matrimonium in infideli-  
 tate contractum per professionem re-  
 ligionis Christianæ alterutrius quoad  
 vinculum solvatur, auctore Augu-  
 stino Gervasio, reimprimi potest.*  
 Actum Bruxellis hac 1. Junii 1771.

G. J. DE LIMPENS  
 conf. & proc. generalis.



133

Adversus utramque dissertationem  
præcedentem, edita fuit mense  
Augusti 1771. sequens

PROSECUTIO DISSERTATIONIS  
THEOLOGO-CANONICÆ,

*Utrum in casu Apostoli I. ad Cor. 7.  
parti conversæ liberum sit ad se-  
cunda vota transire?*

P E R

F. JOSEPHUM  
MAUGIS

Ord. erem. S. P. Augustini in alma  
universitate Lovaniensi  
S. T. D. R. &c.

*Nihil innovetur. S. Steph. ad S. Cyp.*



## P R O E M I U M

**Q**uanto majoris momenti est  
 quæstio, quæ agitur, tanto  
 minus negligi debent difficultates  
 quæcumque, etiamsi duntaxat appa-  
 rentes, quæ adversus eam moventur,  
 ut dissipatis quibuscumque contradi-  
 ctionum nebulis, veritas clarius niteat.  
 Illam autem, de qua hic agitur, ne-  
 mo ignorat esse momentosissimam, ut-  
 pote cum ab ea dependeant valor &  
 nullitas matrimoniorum contractorum  
 ab iis, qui in infidelitate conjuncti,  
 ad fidem Christi, suscepto baptisma-  
 te, pervenerunt, & eam ob causam  
 a sua comparte sunt derelicti. Suffi-  
 ceret quidem ad plene refutandam  
 opinionem illam novam, quam non-  
 nulli inducere conantur, ecclesiæ con-  
 suetudinem opponere, prout sæculo  
 3. factum est, dum ab hæreticis  
 baptizatos varii rebaptizabant; tunc  
 siquidem, teste Aug. lib. 2. de bapt.

cap. 9. Sgla consuetudo opponeretur inducere volentibus novitatem. At præsentis circumstantiæ videntur exigere, ut præter illud generale responsum, aliud particulare subjiciam.

Cum ergo adversus dissertationem meam Theologo-Canonicam, in qua, secundum interpretationem SS. PP. & communem ecclesiæ sensum & praxim, sustinui prædicta matrimonia esse valida, prodierit scriptum aliquod, in quo novæ proponuntur difficultates, saltem apparentes, quas in dissertatione mea non tetigi, utpote non propositas ab illis, quibus respondebam, dum dissertationem illam composui, nonnullaque carpantur, quæ in illa asserui, hinc, ut, quantum in me est, nullum super ista quæstione relinquam dubium, & illa dissolvere conabor, quæ objiciuntur, & vindicare, quæ carpuntur.





PROSECUTIO DISSERTATIONIS  
THEOLOGO - CANONICÆ.



Dversus assertam probatamque in mea dissertatione veritatem, seu adversus *celeberrimam*, prout eam vocat Benedictus XIV. pont. max. lib. 6. de synodo cap. 4., Innocentii III. decretalem, toto orbe catholico receptam, constan- tique usu ecclesiæ firmatam, opponit dissertatio- nis nuper editæ clarissimus author pag. 3., (nunc 52.) quod sententia, quam tuor, non sit *ulla ecclesiæ doctoris interpretatione suffulta, sed sententia sit tantummodo privatorum aliquorum doctorum*. Sed in ipso limine non parum offendit, & duplici quidem ex capite.

II. Primo, quia asserit sententiam illam esse *tantummodo privatorum aliquorum doctorum*. Si sit tantummodo *aliquorum*, quinam ergo sunt alii doctores, qui oppositam sustinent, & quare illos non producit, ut sententiam, de qua agitur, ostendat non esse omnino certam? Breviter dicam, quia nullum habet, quem producat, cum in hoc puncto unanimis sit, & semper fuerit, omnium opinio, ad illud usque tempus, quo nuper in Gallia sententiam hanc nonnulli revocare cœperunt in dubium: ut proinde gratis asseruerit, quod sit

sententia *tantummodo privatorum aliquorum doctorum*. Imo, etiamsi ante illud tempus unum alterumve singulariter sentientem reperiret, non ideo sententia nostra dici posset *tantummodo privatorum aliquorum doctorum*, sed adhuc dici deberet *omnium*, si non *physice*, saltem *moraliter*, sicut dicitur quispiam omnia amisisse, nihil amplius habere, dum vix aliquid retinet.

III. Secundo, quia dicit, quod nostra sententia non sit *ulla ecclesiæ doctoris interpretatione suffulta*. A quo igitur tempore S. Thomas desit esse doctor ecclesiæ? ipse tamen est, qui prædictam sententiam sua interpretatione suffulcit, ipse, inquam, est, qui in casu Apostoli asserit matrimonium dirimi. Textus ejus produxi dissertationis meæ pag. 22. & 23., ut proinde non sit necesse illos denuo reproducere, seu actum agere. Quid ad hæc respondebit dissertator? An forte, quod non agnoscat nisi quatuor ecclesiæ latinæ doctores, & totidem Græcæ, & ideo S. Thomam ab ecclesiæ doctorum numero excludat? Sed ideone S. Th. non erit ecclesiæ doctor, quia ut talem ipsum non agnoscit? Hoc certum arbitror, quod, si S. Th. ejusdem cum ipso esset sententiæ, illum non diffiteretur *ecclesiæ doctorem*, sed, tamquam talem, prout a parte rei est, miris laudibus extolleret. Ab illis itaque non sat considerate dictis, pergamus ad alia.

IV. Subdit dissertator: non est "temerarium...  
 „ multo minus illicitum examinare, an reipsa  
 „ doctores illi ( *scilicet privati* ) genuinum  
 „ apostolici textus sensum fuerint assecuti, &  
 „ simul ostendere contrariam sententiam certis  
 „ & ineluctabilibus rationibus esse subnixam.,  
 Alludit ad ea, quæ scripsi dissertationis meæ pag.  
 20. ubi de S. Chrysofomo agens, dixi: „ Ipsum  
 „ non errasse ( in casu de quo agitur ) novimus

„ ex SS. pontificum decretalibus; ex particu-  
 „ larium ecclesiarum ritualibus, ex S. scrip-  
 „ turæ interpretum, theologorum & canonif-  
 „ tarum toto orbe disperforum unanimi confen-  
 „ fu. Afferere autem omnes illos in errore ver-  
 „ fari, & penes pauculos quosdam, *heri exortos*,  
 „ refidere veritatem, videtur, ut mitiffime lo-  
 „ quar, valde temerarium. „ Itaque

V. R. Cum adverfus veritatem nullo unquam tempore præfcribatur, nec illicitum dici debet nec temerarium, fed potius laudabile, quod ad eam propugnandam certas & ineluctabiles rationes quifpiam producat. Sed cum conftans & univerfalis ecclefiæ praxis in re tanti momenti obnoxia eſſe non poſſit errori, non poſſunt dici certæ & ineluctabiles rationes, quæ ad eam erroris redarguendam allegantur. Nemo neſcit, quod quilibet ſuas rationes facile arbitretur certas eſſe & ineluctabiles: at ſi hoc prætextu liceat eccleſiæ praxim arguere &c., quid tandem non licebit? Videamus interim, quænam ſint illæ rationes, quas ipſe vocat *certain & ineluctabiles*.

VI. Objicit primo, quod „ octo prioribus ec-  
 „ cleſiæ ſæculis SS. patrum conſtans fuerit do-  
 „ ctrina matrimonium, etiam infidelium, na-  
 „ tura ſua ac institutione divina eſſe inſolubi-  
 „ le, atque ratum ac firmum manere apud in-  
 „ fideles, etiam poſt conversionem unius par-  
 „ tis ad fidem, *nullaque tunc in eccleſia in-  
 „ ſiſſet exceptio, quam inſinuari credunt multi  
 „ in textu ſupra adducto*, nimirum ex I. ad  
 Cor. 7.

R. Si a diſſertatore peterem, utrum tunc tem-  
 poris major invaluerit exceptio pro caſu profes-  
 ſionis ſolemnis, matrimonium ratum non con-  
 ſummatum diſſolventis, quam pro caſu Apoſto-



li, & utrum SS. patres istorum sæculorum unum præ alio docuerint dissolvi, certus sum, quod pisce mutior hæeret, ut proinde vel ex hoc capite pateat, quod ratio ista non tantum non sit ineluctabilis & certa, sed potius straminea. Interim hallucinatur dissertator, dum ait *nulam tunc in ecclesia invaluisse exceptionem* &c., videturque oblitus historiæ illius, quæ Urbicio præfecto contigit, & quam refert author sæculi secundi S. Justinus martyr in apologia prima pro Christianis, in qua exceptionem illam invaluisse ostendit.

VII. Verba ejus sunt. „ Mulier quædam viro,  
 „ qui libidini deditus erat, nupserat. Ea, cum  
 „ antea libidinose vixisset, posteaquam Christi  
 „ præcepta & disciplinam cognita habuit, se ad  
 „ meliorem frugem mentemque convertit, vi-  
 „ roque, ut idem faceret, suadere conabatur....  
 „ Ille autem, qui in eadem libidine perstaret,  
 „ factis suis uxorem a se abalienabat. Nefas e-  
 „ nim & impium rata mulier deinceps cum vi-  
 „ ro habitare, qui contra legem naturæ & con-  
 „ tra jus viam libidini ac voluptati, omni ex  
 „ parte, patefacere fruderet, a conjugio disjun-  
 „ gi separarique constituit: cumque ab eo pro-  
 „ posito abduceretur a suis, qui ei etiam ma-  
 „ nendum suaderent, quod spes esset, fore, ut  
 „ aliquando vir ejus vitam moresque mutaret,  
 „ vim sibi inferens, invita mansit. Postea vero  
 „ quam vir Alexandriam profectus graviora &  
 „ indigniora scelera admittere renuntiatus esset,  
 „ ne focia & particeps ejus scelerum flagitiorum-  
 „ que fieret, si in conjugio maneret, victuque  
 „ communi uteretur, & in eodem lecto cuba-  
 „ ret, dato eo, quod apud nos repudium dici-  
 „ tur, separata est. Præclarus autem ejus vir,  
 „ qui lætari debuisset mulierem, quæ libenter

„ jam pridem cum servis ac conductis operis,  
 „ ebrietate omnique scelere se oblectans fecisset,  
 „ ea quidem facere destitisse, seque ab eis ab-  
 „ stinere voluisse, cum ipse nollet, eam a se  
 „ conjugii nuptiarumque jure ac fœdere distraxif-  
 „ se, eam in crimen vocavit, & accusavit,  
 „ quod esset Christiana. Ac illa quidem libel-  
 „ lum tibi imperator obtulit, petens, ut sibi re-  
 „ bus suis consulere liceret. *Tum vero ille, qui*  
 „ **ALICQUANDO VIR EJUS FUERAT**, cum  
 „ jam nihil in præsens in eam dicere posset &c.

VIII. Ita S. Justinus, in cujus narratione ex-  
 positum vides casum Apostoli, prout eum ex-  
 plicat Innocentius III.: vides, inquam, mulie-  
 rem infidelem viro infideli matrimonio junctam,  
 &, stante matrimonio, ad fidem bonosque mo-  
 res conversam, cui, licet cohabitare consentiret  
 maritus infidelis, non volebat tamen pacifice,  
 sed scelestis actionibus uxorem a se abalienabat,  
 & in peccatum mortale nitebatur impellere, ut-  
 pote, qui ei contra legem naturæ viam libidini  
 ac voluptati, omni ex parte, *studeret patefacere.*

IX. Non minus clare vides, quod clarissimus  
 dissertator negat, nempe sæculo secundo jam in  
 ecclesia invaluisse exceptionem illam, quam in  
 casu Apostoli dicimus locum habere. Quid enim  
 significant hæc verba: *Tum vero ille, qui ali-*  
*quando vir ejus fuerat*, nisi, quod tunc vir ejus  
 amplius non esset, qui alias fuerat vir ejus, si-  
 cut hæc locutio: *Titius aliquando miles fuerat,*  
*dum hæc aut ista fecit*, hoc procul dubio impor-  
 tat, quod miles amplius non sit, qui aliquando  
 fuerat, ne alias sit ridicula locutio. Ergo sæculo  
 secundo exceptio erat a lege generali in casu  
 Apostoli. Quod autem sæculo isto S. Justinus  
 asseruit, non nisi a primi sæculi patribus hau-  
 riri potuit.

X. Dicit forte quispiam, quod in ista S. Justinii narratione non dicatur mulier illa alteri nupsisse, & consequenter, quod inde nihil possumus inferre, cum, juxta nos, primum matrimonium non dissolvatur, nisi eo temporis puncto, quo perficitur secundum.

R. Sicut in illa narratione non dicitur, quod mulier ista alteri nupsit, ita non dicitur, quod non nupsit, & consequenter inde nihil potest inferri. Simpliciter asseritur, quod *ille, qui aliquando vir ejus fuerat*, hæc & ista fecerit, qua loquendi forma significatur, quod ille, qui aliquando vir ejus fuerat, jam amplius vir ejus non esset, prout mox ostendi. Ex isto igitur argumento hoc unum sequitur, quod ex S. Justinii narratione non possumus asserere, quod hoc vel isto præcise tempore, in casu Apostoli primum matrimonium solvatur, quod etiam non asserimus: sed omnino sequitur, quod in casu isto matrimonium partis conversæ dirimatur, five hoc, five isto temporis puncto, quod nobis sufficit.

XI. Objicit 2<sup>o</sup>. Tertullianum lib. 2. ad uxorem cap. 2. agentem de textu Apostoli: *si quis fratrum habet uxorem &c. & ita discurrentem.* „ Manifestum esse scripturam istam eos fideles „ designare, qui in matrimonio gentili inventi „ a Dei gratia fuerunt, secundum verba ipsa: „ *Si quis fidelis uxorem habeat infidelem*, non „ dicit *uxorem ducit infidelem*; ostendit jam in „ matrimonio agentem mulieris infidelis, mox „ gratia Dei conversum, perseverare cum uxore „ re debere, scilicet propterea, ne quis fidem „ consecutus, putaret sibi divertendum esse ab „ aliena & extranea quodammodo femina. Adeo „ & rationem subjicit, *in pace nos vocari ad „ Dominum Deum, & posse infidelem a fideli per*

„ *usum matrimonii lucri fieri.* Ipsa etiam clau-  
 „ sula hoc ita intelligendum esse confirmat, *ut*  
 „ *quisque*, ait, *vocatur a Domino, ita perseve-*  
 „ *ret.* Vocantur autem gentiles, opinor, non  
 „ fideles. „

XII. Deinde, inquit disertator, ostendit  
 Tertullianus differentiam, quæ est inter fide-  
 lem, qui cum infideli nuptias inicit, & inter  
 eum, qui matrimonio gentilis a Domino alle-  
 gitur: cum ille a nuptiis infidelis arceatur, hic  
 vero in his perseverare jubeatur. „ Cur, si a  
 „ gentili inquinamur, non ille disjungitur,  
 „ quemadmodum iste non obligatur? Respon-  
 „ debo, si spiritus dederit, ante allegans Do-  
 „ minum magis ratum habere matrimonium  
 „ non contrahi, quam omnino disjungi: dein-  
 „ de divortium prohibet, nisi stupri causa; con-  
 „ tinentiam vero commendat. Habeat igitur ille  
 „ perseverandi necessitatem, hic porro etiam  
 „ non nubendi potestatem. „ In quæ verba ita  
 commentatur disertator: „ Censuit igitur Ter-  
 „ tullianus matrimonium infidelis post conver-  
 „ sionem ratum & firmum manere, atque par-  
 „ tem conversam cum parte infideli in matri-  
 „ monio perseverare debere, excepta fornica-  
 „ tionis causa (sub qua, interprete Augusti-  
 „ no, etiam infidelitas continetur) quo casu,  
 „ permittente Domino, a fornicario separari  
 „ licet, quod ad torum tantum attinet, cum  
 „ Domino generaliter jubente, nullo casu aliam  
 „ ducere liceat. „

XIII. Ante solutionem notandum, quod hunc  
 Apostoli textum: *cæteris ego dico, non Dominus;*  
*si quis frater uxorem habet infidelem, & hæc*  
*consentit habitare cum illo, non dimittat illam;*  
 non omnes eodem modo intelligant. Quidam, ut  
 Augustinus, varique alii, sic exponunt, ut tō

cæteris ego dico, non Dominus, idem significet quod; cæteris ego consulo, Dominus non præcipit. Alii nonnulli sic explicant, ut idem significet quod; cæteris ego præcipio, licet Dominus hoc non præcipiat in evangelio. Hinc Theodoretus in ista verba commentans ait: ego dico pro eo, quod est, non inveni hanc legem scriptam in sacris evangelis, sed nunc eam fero. Ex hac diversa interpretatione fit, ut nonnulli asserant, quod, si quis fidelis uxorem habeat infidelem, & hæc consentiat habitare cum illo, non possit eam dimittere, sed debeat ei cohabitare. Alii vero, quod ei non debeat cohabitare, sed possit eam dimittere, quia hi verba Apostoli intelligunt de consilio, illi autem de præcepto. Interim ad quæstionem, de qua hic agitur, impertinens est, utrum hoc aut isto modo verba Apostoli debeant intelligi; sed hoc dumtaxat adnoto, ut Lector reflectat, quod si in sequentibus modo admittam, modo negem debere partem conversam cum infideli, cohabitare volenti, permanere, ad mentem patrum, qui mihi obijciuntur, intelligenda sit responsio mea.

XIV. R. Quidquid ex Tertulliano produxit dissertator, totum de verbo ad verbum admitto, utpote, quod nec directe nec indirecte nostram attingit sententiam. Agit ibidem Tertullianus, & quidem expressis verbis, de casu, quo parti fidei cohabitare consentit infidelis, ut patet ex textu Apostoli, quem in hunc modum citat, sed quem caute subiecit dissertator; *Si quis frater infidelem habet uxorem, & illa MATRIMONIO CONSENTIT, ne dimittat eam*, & quibusdam interjectis, subdit, quæ in objectione posita sunt. Quid habet hoc commune cum casu Apostoli, de quo in hac quæstione agimus, aut quænam est hæc sequela: „ juxta Tertullianum

„ pars fidelis, cui cohabitare consentit infidelis,  
 „ debet in matrimonio permanere, ergo pars  
 „ fidelis, a qua discedit infidelis, eadem obli-  
 „ gatione constringitur? „ Ne suspicari quidem  
 „ ausim, quod clarissimus dissertator consequen-  
 „ tiæ illius nullitatem non videat.

XV. Objicit tertio, quod S. Hieronymus  
 lib. 1. adversus Jovinianum dicat: „ His autem,  
 „ quos in matrimonio deprehendisset fides, hoc  
 „ est, si unus credidisset e duobus, præcipit,  
 „ ne credens repudiet non credentem; causisque  
 „ expositis, quod candidatus fidei sit infidelis,  
 „ si nolit a credente discedere. E contrario ju-  
 „ bet, si infidelis repudiet fidelem propter fi-  
 „ dem Christi, discedere debere credentem, ne  
 „ conjugem præferat Christo, cui etiam anima  
 „ postponenda est. „ Sed ad hæc eadem est res-  
 „ ponsio, quæ supra, quia sive sis hujus, sive il-  
 „ lius sententiæ, verba S. Hieronymi perinde vera  
 „ sunt, cum hoc unum doceat, quod si infidelis no-  
 „ lit discedere, tamquam candidatus fidei habendus  
 „ sit, & bene de ipso sperandum, & contra, „ si  
 „ infidelis repudiet fidelem propter fidem Chris-  
 „ ti, præcipiat Apostolus, ut credens discedat,  
 „ quod in nostra, sicut in adversariorum sen-  
 „ tentia verum est. Sed ex eo, quod juxta S.  
 „ Hier., si infidelis repudiet fidelem propter fi-  
 „ dem Christi, præcipiat Apostolus, ut cre-  
 „ dens discedat, nullatenus sequitur, quod pro-  
 „ hibeat, ne discedens aliud matrimonium  
 „ ineat, ut per se patet. „

XVI. At, inquires, cur ergo non dixit Hie-  
 „ ronymus, quod credenti repudiato & discedenti  
 „ liceat aliud matrimonium inire, si hoc permittat  
 „ Apostolus? &c. Cur ergo non dixit Hieronymus,  
 „ quod credenti repudiato & discedenti aliud ma-  
 „ trimonium inire non liceat, si hoc Apostolus  
 „ non

non permittat, cum multo major esset ratio monendi, ut non fieret, quod lex vetat, quam monendi posse fieri, quod non vetat, & ex verbis Apostoli: *Non enim servituti subiectus est frater aut soror in huiusmodi*, absolute & sine ulla restrictione prolatis, natum esset fieri, ut potestatem secundo nubendi fideles apprehenderent? Ex his itaque & similibus quorumdam SS. patrum generalibus loquendi modis probare nihil unquam poterunt adversarii: ut aliquid efficerent, ostendere deberent, quod sint saltem aliqui inter SS. patres, qui, in casu Apostoli, docuerunt matrimonium non solvi, quod huc usque non ostenderunt illi, adversus quos dissertationem meam edidi, nec (confidenter dico) ille unquam ostendet, qui eorum causam suscepit defendendam.

XVII. Pergit dissertator pag. 6. (55.) „ cum igitur, inquit, in casu, quo infidelis parti conversæ cohabitare vult, separatio, quam hic prohibet Apostolus, fatentibus adversariis, unice respiciat torum seu habitationem cum parte infideli, etiam separatio cum nolente cohabitare, quam jam præcipit Apostolus, ne pars fidelis conjugem Christo præferre videatur, S. Hieronymo interprete, torum tantum seu habitationem respicit. „ R. Ubinam dissertator interpretationem istam in S. Hieronymo invenit? Ne verbum quidem habet S. Hier., quo vel a longe duntaxat significet, quod *separatio cum nolente cohabitare, quam præcipit Apostolus, ne pars fidelis conjugem Christo præferre videatur, TORUM TANTUM SEU HABITATIONEM* respiciat, prout legenti patet: quomodo igitur asserit dissertator, quod ista sit interpretatio S. Hieronymi?

XVIII. Vultne forsitan inter utramque separa-

tionem, seu eam, quam in uno casu prohibet, & in alio præcipit Apostolus, instituire paritatem? Instituat eam, per me licet, at S. Hieronymo non tribuat, quod non docet. Est autem inter utramque separationem palmaris hæc disparitas, quod, dum dicit Apostolus: *Quod si infidelis discedit, discedat* (suppono hic cum S. Hieronymo quod *to discedat* partem fidelem afficiat) est, inquam, hæc disparitas, quod Apostolus immediate post simpliciter & absolute subnectat: *Non enim servituti subiectus est frater aut soror in huiusmodi*. Simpliciter autem & absolute servituti matrimoniali non esse subiectum, est simpliciter & absolute ab ea esse liberum, prout dixi dissertationis meæ pag. 11., sed ad quod non respondit adversarius.

XIX. Ex his ad oculum patet, quod, quamvis de separatione quoad habitationem & torum intelligendus sit Apostolus, dum dicit: *Si quis frater uxorem habet infidelem, & hæc consentit habitare cum illo, non dimittat eam*, non ideo tamen de illa tantum separatione sit intelligendus, dum ait: *Quod si infidelis discedit, discedat* &c. Non quod verba hæc: *non dimittat, vel discedat*, unam præ altera separationem ratione sui importent, sed quod ultimum per subsequencia determinetur, ad significandam simplicem & absolutam a matrimoniali servitute exemptionem, seu omnimodam libertatem, prout jam dixi.

XX. Pergamus cum disertatore. Ibidem, seu pag. 6. (55) in hunc modum discurrit: "Si infidelitas nequidem causa necessaria est separationis, pro parte fidei quoad habitationem, quando pars infidelis cohabitare consentit, quomodo accedente hac singulari circumstantia, quod infidelis sese separet aut discedat, iusta causa erit solvendi vinculum matrimonii? An er-



„ go discessio partis infidelis a fidei tantæ virtutis erit, ut matrimonii vinculum, quod infidelitas non dissolvit, dissolvat? „

XXI. R. Justa causa erit solvendi vinculum matrimonii, quia, accedente ista circumstantia, docet Apostolus partem fidelem non esse subjectam servituti, cui tamen esset maxime subjecta, si aliud matrimonium contrahere ipsi non liceret. Nec ideo discessio partis infidelis a fidei tantæ virtutis erit, ut matrimonii vinculum, quod infidelitas non dissolvit, dissolvat: sed erit conditio *sine qua non*, sive erit conditio, quæ posita, solvetur aut solubile fiet, & quæ non posita, firmum manebit matrimonii vinculum.

XXII. Prosequitur dissertator: „ Sane si hoc „ Apostolus voluisset, claris verbis expressisset: „ legi enim claræ per verba ambigua non derogatur. „

R. Principium hoc absque ulla hæsitacione admitto, sed difficultas est in subsumpto. Unde enim probat, prout ei, utpote actori, incumbit probandum, quod clara non sint verba Apostoli? An forte dicet textum illum diversas posse explicationes pati? Producat ergo catholicos scriptores, textum illum diversimode interpretantes, & quorum talis sit autoritas aut numerus, ut vel saltem doctum aliquod de claritate verborum Apostoli possit dubium generare. At hoc non præstabit unquam, cum omnes theologi, interpretes & canonistæ, textum illum intelligent de solutione vinculi conjugalis.

XXIII. Sed quid dixi *catholicos scriptores*? Vel ipsimet (quod maxime notandum) hæretici, quos certo non movit autoritas Gratiani aut Innocentii III., & qui nos, id est catholicos, ubi possunt, accusant & carpunt, hac in parte a nobis non dissentiunt, ita, ut, si eorum

indigerem testimonio, illud contra adversarios, non sine aliquo eorum dedecore, possem proferre. Consulant centuriatores Magdeburgenses, consulant Le Clerq, Grotium & alios quam plurimos, & eos inveniunt hac in parte a Romanæ ecclesiæ sensu non recedere, & nullam in verbis Apostoli ambiguitatem invenire.

XXIV. Deinde, juxta commune & non minus verum, quam tritum axioma, *optima legum interpret est consuetudo*, ita, ut si hanc aut istam legem in hoc vel isto sensu semper interpretata sit consuetudo, non debeat esse ambiguum, sed certum, quod hic aut iste sensus haberi debeat ut genuinus legis istius sensus, excluso omni alio isti interpretationi opposito. Jam vero perpetua & constans omnium prorsus temporum ecclesiæ consuetudo Apostoli textum, de quo hic agitur, sic interpretata est, ut vi illius parti conversæ, infideli discedente, ad secunda liceret vota transire; ergo non debet haberi ambiguum, sed certum, quod iste sit genuinus loci illius sensus, excluso omni alio isti interpretationi opposito.

Dico *omnium temporum*, quia dissertator ne unum quidem proferet casum, in quo, si aliud non obstabat, a secundis nuptiis alicubi prohibita sit pars conversæ, infideli discedente, ante illud tempus, quo nuper in Gallia casus quidam contigit, occasione cujus præfens quæstio agitur, & qui est hujusmodi.

XXV. Judæus quidam, nomine *Borach-Levi*, ad fidem conversus, & a sua uxore Mandelcerf in odium fidei derelictus, subjici noluit servituti, sed ea libertate uti, quam in simili casu Apostolus concedit. Eum in finem accessit pastorem, ut cum Anna Thevard matrimonio jungeretur, sed ille, non nisi præhabito superiorum

consensu, voluit eum matrimonio jungere. Res itaque ad episcopi Suesionensis officialem delata est, qui decrevit dicto Borach-Levi non esse permittendum, ut, vivente Mandelcerf, ad secundas nuptias transfiret: & hoc quidem decrevit contra propriæ diœcesis rituale, cujus utique hæc verba sunt: *L' Apotre enseigne que les mariages des infidèles sont légitimes, qu'un infidèle, qui se convertit, peut & doit même demeurer avec sa femme qui persevere dans l'infidélité & qui consent d'habiter avec lui, & de même la femme avec son mari; mais si l'infidèle se separe, le fidèle a droit de se separer aussi, & on permet même à un fidèle, ainsi abandonné par la partie infidèle, de se remarier à un autre.* Qua autem de causa hoc illi permittitur, nisi quia clara sunt & minime ambigua Apostoli verba?

XXVI. Sed videamus, quo adversarios nostros suæ percrutationes deducant, & in quam eos abyssum conjiciant. Prodeat adversus illos nescio quis hæreticus, qui eodem argumento, quo ipsi contendunt in casu Apostoli matrimonium non dirimi, similiter prætendat, nec per professionem solemnem matrimonium non consummatum dissolvi, asserens non esse clarum dissolutionis istius fundamentum, & legi claræ per verba ambigua non derogari. Quid ad hæc respondebunt adversarii? Si dicant unum esse in Tridentino definitum, & non aliud, respondebit hæreticus, quod loco definitionis, quæ habetur pro uno casu, constans ecclesiæ praxis habeatur pro casu, de quo hic agitur; & consequenter, si in sua praxi & in re tam momentosa errare potuerit ecclesia, errare etiam potuerit Trid. in definitione sua.

XXVII. Frustra regeres, quod casus Apostoli fat scæpe non contingat, ut censeatur generalis

ecclesiæ praxis. Ut enim, inquit, censeatur aliquid generalis praxis ecclesiæ toto orbe dispersæ, sufficit, ut secundum principia, quæ statuit, quotiescumque & ubicumque casus ille contingit, toties & in quocumque loco pars conversa ad secundas nuptias admittatur; atqui quotiescumque & ubicumque contingit, toties & in quocumque loco pars conversa ad secundas nuptias admittitur; ergo est generalis ecclesiæ praxis, & ecclesia toto orbe dispersa errat in praxi, utpote inducens adulteria, quæ deberet reprimere.

XXVIII. Confirmatur; quamvis casus, quo post matrimonium ratum non consummatum una ingreditur religionem, & in ea solemniter profitetur, sit satis rarus, imo forte rarior casu Apostoli, dubitari tamen non potest, quin sit universalis ecclesiæ praxis, partem in sæculo remanentem ad secundas nuptias admittendi, si nempe aliud matrimonium velit inire, & hoc, quia quotiescumque & ubicumque casus iste contingit, toties & in quocumque loco pars in sæculo remanens ad secundum matrimonium admittitur; ergo similiter. Sed modo textus Apostolici claritatem demonstramus. Cap. 7. ad Cor. v. 10. & 11. matrimonialem servitutum delineavit dicens: *lis autem, qui matrimonio juncti sunt, præcipio, non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere, quod si discesserit, manere innuptam &c.* Atqui v. 15. pure & simpliciter & sine ulla exceptione declarat, partem fidelem, infideli discedente, matrimoniali servituti non esse subjectam, ergo pure & simpliciter & sine ulla exceptione declarat, eam a servitute liberam, sive eam non debere discedenti adherere, aut manere innuptam, si illi non adhererit.

XXIX. Confirmatur exemplo : suppose, quod ob invalescentes quosdam abusus mulierum a viris suis discedentium, hoc modo lex feratur :  
 „ Iis, qui matrimonio juncti sunt, præcipimus  
 „ uxorem a viro non discedere, quod si disces-  
 „ ferit, in conventum aliquem monialium se-  
 „ se recipere. Quod si ab ea maritus difficilis &  
 „ morosus discedit, discedat, non enim servi-  
 „ tuti subjecta est uxor in hujusmodi. „ Quis  
 mortalium in hoc casu summam non videt legis istius claritatem, quis, inquam, non intelligit, clare exprimi, quod, dum non discedit uxor a marito, sed maritus difficilis & morosus ab uxore, tum non teneatur uxor in conventum aliquem monialium sese recipere? Si autem in hoc casu clara sint verba legis, etiam clara sunt verba Apostoli, cum sit eadem verborum constructio, ut proinde non nisi pro libitu, soloque animo contradicendi asserant adversarii, illa esse ambigua; unde etiam non probant, quod asserunt.

XXX. Prosequitur dissertator, expendenque, prout dicit in nota marginali, nostram *fluctuantem doctrinam*, subdit pag. 6. & 7. (55. & 56.) „ Sed  
 „ quod hic non satis mirari possumus, juxta ad-  
 „ versarios, exceptionem, quam ipsi prædicant,  
 „ Apostolus ecclesiæ dimidiate tantum clare pro-  
 „ mulgasset: nam & ipsi admittunt, momentum  
 „ temporis, quo prætenfa hujus vinculi solutio  
 „ peragitur, adhuc incertum esse. „ Et post pau-  
 „ ca: „ Quidni etiam adversarii fateri debeant in-  
 „ certum quoque esse, an matrimonium in  
 „ casu Apostoli quoad vinculum solvatur? An  
 „ forte traditio apostolica clara & certa erit  
 „ hoc casu pro vinculi solutione, obscura autem  
 „ quoad momentum temporis, quo hæc solutio

„perageretur? Hoc asserere, apparet nobis Apo-  
 „stolum ludibrio exponere.“

XXXI. R. Sicut incertum est, quo temporis momento, in casu Apostoli, solvatur matrimonium, ita incertum est, quo temporis momento vinum in Christi sanguinem transmutetur, sed inter theologos est controversum. Thomistæ quamplurimi existimantes omnia verba formæ, prout exprimitur in canone missæ, essentialia esse consecrationi sanguinis, consequenter sustinent, non nisi omnibus prolati, fieri mirabilem illam transubstantiationem vini in sanguinem Christi. Theologi alii sustinent, illam mox fieri, dum proferuntur hæc verba: *Hic est calix sanguinis mei*, quia non nisi prædicta verba ad consecrationis essentiam pertinere contendunt.

XXXII. Similiter incertum est momentum, quo sacerdotibus in sua ordinatione confertur potestas tum in corpus Christi *verum*, tum in corpus Christi *mysticum*. Prima, juxta multos, confertur, dum dicit episcopus: *Accipe potestatem offerendi sacrificium* &c. Alii vero absolute sustinent, illam ante conferri, nempe dum episcopus super omnes manus imponit cum præscripta oratione. Item multorum est opinio, quod potestas secunda, seu in corpus Christi mysticum, id est potestas remittendi peccata, non detur, nisi dum dicit episcopus: *Accipe Spiritum sanctum, quorum remiseras* &c. Alii e contrario, inter quos illustrissimus Bossuet in explicatione quarundam difficultatum super precibus missæ pag. mihi 208., opinionem illam rejiciunt, statuentes unam potestatem cum altera simul conferri. In extrema-unctione quo temporis momento confertur gratia? An in prima, an in secunda unctione, &c., an autem in qualibet portio a-

liqua gratiæ datur, qua dimittuntur peccata, per singulos respective sensus commissa? Absolutam de istis omnibus certitudinem nullam habemus.

XXXIII. Ergo, si subsistant dissertatoris principia, circa omnia illa mysteria *fluctuans* est ecclesiæ doctrina. Ecclesiam suam Christus *dimidiate* tantum docuit, cum adhuc incertum sit temporis momentum, quo mysteria illa adimplentur. Quidni etiam fatendum sit incertam quoque esse mysteriorum illorum veritatem? An forte traditio Dominica clara & certa erit hoc casu pro dictorum mysteriorum veritate, obscura autem quoad momentum temporis, quo illa peraguntur? *Hoc asserere apparet* (ut dissertatoris phrasi utar) Christum *ludibrio exponere*. Cui autem catholico horrorem non ingerunt ejusmodi confectaria? Per se tamen & necessario fluunt ex ejus principiis. Mutet ergo antecedentia, si velit cavere sequentia, noveritque ex incertitudine temporis, quo res aliqua peragitur, nullatenus inferri posse, quod sit incertum, an reipsa peragatur.

XXXIV. Objicit 4<sup>o</sup>. pag. 7. (56.) quod S. Chrysofomus hom. 22. in epist. ad Rom. eodem modo, quo S. Hieronymus, hæc Apostoli (de quibus hic agitur) verba exponat.

R. Nihil verius, quam quod hic asserit adversarius: atqui S. Hieronymus sic ea exponit, ut ne per umbram quidem indiget, in casu Apostoli, matrimonium non dissolvi, prout supra vidimus; ergo plus ex verbis Chrysofomi non potest deduci, quam ex verbis S. Hieronymi, cum ille, adversario fatente, eodem modo, quo hic, Apostoli verba exponat. En verba S. Chrysofomi, quæ dissertator refert. " Si infidelis, discedit, discedat. Id est, quæ penes te sunt

„ præsta, & nemini des ansam belli & pugnae...  
 „ sicubi vero pietatem lædi videas, ne præpo-  
 „ nas concordiam veritati, sed generose persif-  
 „ tas usque ad mortem; ac ne sic ex animo  
 „ pugnes, neque ex voluntatis proposito ipsum  
 „ adferis, sed in rebus tantummodo pugnes,  
 „ id enim significat illud: *Quod ex vobis est,*  
 „ *cum omnibus pacem habentes*: & si ille pacem  
 „ non servaverit, tu ne animum tuum tempe-  
 „ tate repleas, sed ex proposito voluntatis ami-  
 „ cus esto: uti dixi, veritatem nusquam prodas.,  
 Ubinam his in verbis fit vel minima mentio,  
 quod, in casu Apostoli, parti conversæ, infi-  
 deli discedente, ad secunda non liceat vota tran-  
 sfire? Ne Argus quidem jota unum aut api-  
 cem inveniet, qui tale quid indicet.

XXXV. At, si hoc liceat, *quomodo*, inquit  
 dissertator pag. 8., (57.) *eo in casu S. Chrysofomus*  
*credidit Apostolum præcipere, ut pars conversa*  
*persistat usque ad mortem, ut ex voluntatis pro-*  
*posito partem non adferetur, sed amica perma-*  
*neat, neque contra illum ex animo pugnet, sed*  
*unice IN QUANTUM NECESSE EST, UT A*  
*SE PERICULUM SEDUCTIONIS AVER-*  
*TAT, &c.*

R. Hoc non habere Chrysofomum; nempe,  
 quod præcipiat Apostolus, ut pars conversæ *unice*  
 illud faciat, *in quantum necesse est, ut a se pe-*  
*riculum seductionis avertat*, quod utique fieri  
 posset per solam separationem ab habitatione &  
 toro; ut proinde mirum sit, quod dissertator  
 Chrysofomi sensum ita audeat falsificare. Re-  
 videat lector & attente consideret præcitata  
 Chrysofomi verba, & videbit, quod in illis ne  
 umbra quidem sit sensus illius, quem ipsi dis-  
 fertator præbet.

XXXVI. At numquid, teste Chrysofomo,



præcipit Apostolus, *ut pars conversa persistat usque ad mortem?*

R. Sic est, at non dicit ipsum præcipere, ut ad mortem usque persistat in matrimonio, sed in fide & veritate; unde Chrysofomus breviter repetens, quæ antea dixerat, subdit: *Uti dixi, veritatem nusquam prodas.* Explicat itaque S. Chrysofomus in hac homilia 7. 14. cap. 12. ad Rom. *Benedicite persequentibus vos, benedicite & nolite maledicere,* totusque in eo est, ut necessitatem ostendat, non tantum condonandi injurias, sed & benefaciendi inimicis, & pacem, quantum in nobis est, habendi cum omnibus, quam tamen pacem dicit aliquando haberi non posse, etiam inter virum & uxorem, ut, quando discedit infidelis: quo casu a fideli duo jubet servari 10. Ne præponat concordiam veritatis, sed in ea generose persistat ad mortem usque. 2º. Ne pugnet ex animo, aut infidelem ex voluntatis proposito adversetur, sed potius affectu benevolo prosequatur, cum juxta evangelium inimici etiam sint diligendi, & benefaciendum eis, qui oderunt nos. Quis autem non videat, utrumque hoc punctum a fideli, quem deseruit infidelis, posse & debere servari, etiam si ad secundas supponatur transisse nuptias; & quid inde, quæso, contra nostram sententiam potest inferri?

XXXVII. Quarit dissertator pag. 8. (57.) ”  
 „ Numquid saltem... *ut perpetua in infideli parte*  
 „ *adulteria... evitentur,* dum pars conversa facultate sibi concessa non uteretur, Apostolus, vel saltem PIA MATER ECCLESIA,  
 „ præfigere non debuisset certum tempus, quo  
 „ restringeretur hæc libertas, quam fideli attribuunt, (alii) quemadmodum & in casu  
 „ matrimonii rati tantum, quoad facultatem

„ ingrediendi religionem , tempus bimestre  
 „ præfixit ecclesia? Edisserant , inquit , hoc  
 „ adversarii? „

XXXVIII. R. Quomodo hanc quæstionem in-  
 stituere potuerit clarissimus dissertator , non in-  
 telligo. Agitur siquidem hic de parte fideli ,  
 quam infidelis repudiavit *propter fidem Christi* ,  
 ut loquitur S. Hieronymus ab ipso citatus , &  
 cui libertatem inesse dicimus ad secundas nup-  
 tias convolandi. Quærit autem dissertator utrum ,  
 si pars fidelis *libertate sibi concessa non uteretur* ,  
 non debuisset ecclesia præfigere certum tempus ,  
 quo *restringeretur hæc libertas* , quam ipsam ha-  
 bere dicimus , *ut perpetua in infideli parte adul-  
 teria evitentur*? Sane si ecclesia istam aliud ma-  
 trimonium ineundi libertatem restringeret , sic ,  
 ut v. g. post bimestre pars conversa & a marito  
 repudiata alteri amplius non posset nubere ,  
 quemadmodum matrimonio rato non consum-  
 mato ligatus post bimestre non potest amplius ,  
 invita comparte , religionem ingredi , per istam  
 libertatis restrictionem in parte infideli non  
*vitarentur* , sed potius , occasione illius , multi-  
 plicarentur adulteria , quandoquidem pars infi-  
 delis & repudians , elapso v. g. bimestri , perpe-  
 tuo constricta maneret matrimonii vinculo , sine  
 ulla spe solutionis ; ubi in nostra , seu potius  
 ecclesiæ sententia , ab eodem vinculo omni , ut  
 ita loquar , momento potest liberari. Quid ergo  
 sibi vult , dum ejusmodi quæstionem ita secum  
 pugnantem proponit?

XXXIX. Pergit dissertator ibidem. „ Sed nec  
 „ is , inquit , solus locus est , ubi S. Chrysosto-  
 „ mus verba Apostoli ita interpretatur , ut *uni-*  
 „ *ce* separationem quoad torum importent , nam  
 „ alio adhuc in loco , nempe hom. 19. in epist.  
 „ I. ad Cor. ita loquitur : Quid sibi vult autem

„ illud : *Si infidelis discedit, discedat*, aut fe-  
 „ paretur? Verbi gratia, si te jubeat sacrificare,  
 „ aut fociam impietatis esse propter connu-  
 „ bium, vel discedere; melius est dirumpi  
 „ connubium, quam piam religionem. Quapro-  
 „ pter subdit : *Non enim servituti subiectus est*  
 „ *frater aut soror in hujusmodi rebus*, si quoti-  
 „ die ea de causa pugnet, & bellum moveat,  
 „ melius est separari. Hoc enim subindicat,  
 „ cum dicit : *In pace autem vocavit nos Domi-*  
 „ *nus* : Ille enim causam præbuit, ut is, qui for-  
 „ nicatus est. „ Ita ille.

ꝛ. Nemo non videt, quod in hoc, sicut & in  
 priori textu Chrysofomi, de suo adjiciat differ-  
 tator, quod in neutro reperitur, quod, inquam,  
 adjiciat S. Chrysofomum verba Apostoli sic in-  
 terpretari, *ut unice separationem quoad torum*  
*important*, cujus tamen interpretationis nec in  
 hoc, nec in priori textu vel minimum vesti-  
 gium reperitur, ut patet legenti.

XL. At, inquit, pag. 9. (58.) „ Negari nequit  
 „ eum ( Chrysofomum ) ad verba Apostoli,  
 „ etiam in omni rigore intellecta, aliud non  
 „ docere, quam hoc : *Melius est separari...* quæ  
 „ verba profecto per se non important vinculi  
 „ solutionem. „

ꝛ. 1<sup>o</sup>. Non quæritur utrum verba ista per se  
 vinculi solutionem important vel non ( certum  
 enim est, quod per se eam nec includant nec ex-  
 cludant ) sed quæritur utrum S. Chrysofomus  
 doceat, quod hæc verba Apostoli : *Quod si infi-*  
*delis discedit, discedat, non enim servituti sub-*  
*jectus est frater aut soror in hujusmodi*, unice &  
 nihil aliud significant, quam separationem ab  
 habitatione & toro, prout prætendit dissertator?  
 Si hoc alicubi doceat Chrysofomus, cur locum  
 illum non producit? Si non doceat, cur tam

confidenter quam infundate asserit *Chryso-  
stomum verba Apostoli ita interpretari, ut UNI-  
CE* separationem quoad torum *important*, quan-  
doquidem illius separationis *unice* quoad torum  
nequidem meminerit Chrysofomus? Sed, ut nul-  
lum hac super re dubium relinquam, suppone,  
quod quispiam commentans in hæc verba Da-  
nielis 4. *Peccata tua elemosynis redime*, hoc  
tantum dixisset & probasset, nempe, quod ad salu-  
tatem consequendam necessaria sit elemosyna:  
Audebitne quispiam dicere authorem illum ver-  
ba Danielis sic interpretari, ut ad salutem con-  
sequendam tantum necessaria sit elemosyna?  
Idem prorsus est in casu, nec datur ovum ovo  
similius.

XLI. Item Trid. sess. 14. cap. 5., agens de cir-  
cumstantiis in confessione exprimendis, tantum  
definivit illas debere exprimi, quæ speciem pec-  
cati mutant: poteritne idcirco quispiam asserere,  
quod definiverit illas tantum esse exprimen-  
das, quæ mutant speciem peccati? Hoc certo  
non admittet dissertator, nec quisicumque alius:  
Ergo similiter ex eo, quod juxta ipsum Chry-  
sofomus *ad verba Apostoli, etiam in omni rigore  
intellecta, aliud non doceat, quam hoc*: melius  
est separari, *quæ verba per se non important vin-  
culi solutionem*, asserere non potest, docuisse  
Chrysofomum, parti conversæ aliud non esse  
licitum, quam sese ab infideli separare, cum  
ex affirmatione unius non sequatur negatio al-  
terius.

XLII. R. 2<sup>o</sup>. Sicut illa Chrysofomi verba:  
*Melius est separari*, per se non important solu-  
tionem vinculi, ita etiam illis non usus sum,  
ut probarem juxta Chrysofomum, in casu A-  
postoli, matrimonium dissolvi: nec illa adhi-  
bui, quæ in Chrysofomo præcedunt, nempe,

*melius est dirumpi connubium* : & tamen pag. 11. (60.) illa mihi supponit dissertator, dicens: " Verba illa: *Melius est dirumpi connubium, melius est separari*, intellecta sensu adversariorum, significarent minus esse malum dirumpi connubii vinculum, quam deferere piam religionem: inter quæ profecto nulla comparatio institui potest &c., Quisnam, quæso, est ille sensus, quo verba ista adversarii intelligunt, cum, ut dixi, verbis istis non usus sim, ut ex Chrysostomo probarem, quod susceperam probandum? Profecto ad probandum ex Chrysostomo thesim meam, alium textum produxi, in quo verbis luce meridiana clarioribus importatur solutio matrimonialis vinculi, ut proinde mirum sit, quod velit dissertator refutare argumentum, quod non protuli, ubi interea silentio præterit illud, quod proposui. Fuit autem hujusmodi argumentum meum, ut videre est dissertationis meæ pag. 19.

XLIII." *Quid miraris*, inquit S. Chryf. hom. 22. in epitt. ad Rom. *Si inter alienos homines hoc non ubique fieri possit* ( ut nempe cum omnibus pacem habeamus ) *quandoquidem etiam inter virum & mulierem necessitatem illam & vinculum pacis dissolvat, cum dicit: Si vero infidelis abscedit, abscedat?* Agit ibidem Chrysostomus de tristi illa necessitate, quam sæpe mortales experiuntur, & qua fit, ut cum omnibus pacem habere nequeant, & quæ non inter alienos dumtaxat, sed etiam inter virum & mulierem interdum reperitur, asseritque, quod dum dicit Apostolus: *Si vero infidelis abscedit, abscedat*, non tantum necessitatem illam tollat, quam pateretur pars fidelis, dum cum infideli, qui eam v. g. ad peccatum pertraheret, vivere non posset in pace,

„ quod utique fieri potuisset per solam habita-  
 „ tionis separationem, sed etiam *vinculum pacis*  
 „ *dissolvat*. Quodnam est vinculum, quod vi-  
 „ rum & mulierem ligat, nisi vinculum matri-  
 „ moniale, quod eodem jure vocatur *vinculum*  
 „ *pacis*, quo contractus matrimonialis dicitur  
 „ *contractus amoris*? Hoc tamen vinculum, tes-  
 „ te Chrysofomo, dissolvit Apostolus, seu au-  
 „ thoritate divina solutum, aut, si mavis, so-  
 „ lubile pronuntiat, dum dicit: *Si infidelis ab-*  
 „ *scedit, abscedat*, ergo &c., Hoc, inquam,  
 fuit argumentum meum, ad quod ne verbum  
 quidem dissertator reposuit. Si durius erat, quam  
 ut illud posset rodere, poterat simpliciter illud  
 præterire, sed non debebat aliud ipsi substi-  
 tuere.

XLIV. Pergit dissertator & quærit pag. 9. (58.)  
 „ An ergo in arbitrio partis fidelis est disrumpere  
 „ matrimonii vinculum, vel in eo, si malit,  
 „ permanere?... & quomodo tunc verum esset  
 „ hoc CHRISTI DOMINI dictum: *Quod Deus*  
 „ *conjunxit, homo non separet*?

R. Sicut junctus matrimonio rato non con-  
 summato, potest religionem ingredi & non in-  
 gredi, nec tamen in ejus potestate est matri-  
 monii vinculum disrumpere, sed tantum illud  
 ponere, quo posito, vinculum illud disrumpi-  
 tur, ita potest fidelis, in casu Apostoli, ma-  
 trimonium inire & non inire, licet non ideo in  
 ejus potestate sit matrimonium ante contractum  
 dissolvere, quia in isto casu, quod Deus con-  
 junxit, homo non separat, sed ipsemet Deus,  
 qui, quod conjunxit, ubi vult, quando vult,  
 & quomodo vult solvit.

XLV. Sed, inquit dissertator pag. 10. (59.) *Idem*  
*præcise respondent hæretici, dum quæritur, utrum*  
*matrimonii*

*matrimonii vinculum per adulterium dissolvatur... sed sicut hæretici merito rejiciuntur, ita adversarius merito rejicitur, quia supponit, de quo quæritur.*

R. Nemo nescit, quod unum & idem responsum tam possit malæ causæ applicari, quam bonæ. Dicunt passim SS. patres, & cum ipsis concionatores, quod *optima pœnitentia sit nova vita*: idem etiam dicunt hæretici: sed hi, ut inculcent, quod vera pœnitentia cessationem dumtaxat a peccatis importet, contra quos declaravit Trid. sess. 14. cap. 4., *contritionem non solum cessationem a peccato, & vitæ novæ propositum & inchoationem, sed veteris etiam odium continere.* Illi autem, seu SS. patres & concionatores, ut ostendant quale sit certius & minus æquivocum veræ pœnitentiæ indicium, juxta id, quod scriptum est: *A fructibus eorum cognoscetis eos.* Quis modo SS. patres & concionatores, populum docentes, quod *optima pœnitentia sit nova vita*, carpere audebit sub frivolo hoc prætextu, quod idem doceant hæretici? Ergo similiter.

XLVI. Sciat itaque dissertator, quod juxta Augustinum verba eadem optime proferantur ab uno, pessime autem ab alio, quod sint hæretica in ore unius, & catholica in ore alterius, quia ab hoc, non ab alio, *intentione catholici pectoris dicta sunt*, ut loquitur Aug. At plura hac super re non dicam, sed potius, qua in me dissertator indulgentia usus est pag. 17., (66.) eadem in ipsum utar: *Cum hoc ejus delictum non ex animo, sed extra veniat, noxia non committitur.* Lib. 1. c. fi adv. delic. Est enim vir ille versatus magis in pandectis, quam in SS. patrum libris. Sed redeamus ad propositum.

XLVII. Multum hallucinatur dissertator, dum me asserit supponere, quod quæritur. Nihil sup-

pono, quod debeat probari, sed ad argumenta dumtaxat proposita respondeo, ostendens illa, quæ adversarii tamquam insolubilia proponunt, talia esse, ut nequidem mereantur proponi, cum nihil contineant, quod in nostra sententia exacte non verificetur.

Unum ex illis est, quod juxta Trid. sess. 24. *sit perpetuus indissolubilisque matrimonii nexus.* At hoc cum ipsis in sensu Tridentini admittimus. Quid ergo inde probant? An quod in casu Apostoli non solvatur vinculum matrimonii? Inde ergo etiam probent, quod non tantum non solvatur, sed quod ne per Deum quidem possit dissolvi, quia non magis potest Deus solvere, quod est insolubile, quam facere possit, quod est impossibile. Velint, ergo, nolint adversarii, debent fateri ex illo Tridentini loco dumtaxat sequi, quod nulla potestate humana solvi possit matrimonii nexus. Sed, hoc posito, argumentum illud adversus me non potest amplius urgeri, cum, in casu Apostoli, non dicam matrimonium dirimi auctoritate humana, sed divina. Estne hoc supponere, quod quæritur, & meumne est, ad argumentum illud respondendo, probare, quod in casu, de quo agitur, matrimonium auctoritate divina solvatur? Neutiquam: actori incumbit probatio, sed non mihi, qui, ita respondendo, ecclesiæ sensum simpliciter defendo.

XLVIII. Si adversus responzionem tam claram, quam succinctam, aliquid tentare velint adversarii, ostendere debent, quod in isto casu ne auctoritate quidem divina dissolvatur, & tunc juxta regulas argumentandi procedent: at, ut hoc præstent, matrimonii indissolubilitatem amplius allegare nequeunt, ut per se patet, & consequenter per se ruit illud argumentum, per quod



ipsi omnia putabant ruitura. Sane postquam de matrimonio generaliter dixisset Trid., quod perpetuus foret indissolubilisque ejus nexus, definire tamen non dubitavit, per professionem religiosam & solemnem matrimonii rati vinculum dissolvi, quod utique autoritate divina fieri ex traditione noverat, nec ullatenus repugnare iis, quæ antea de matrimonii indissolubilitate docuerat. Ergo quidquid adfertur pro indissolubilitate matrimonii, perpetuoque ejus nexu, necessario sic debet intelligi, ut nulla autoritate humana possit dissolvi, quod, sic intellectum, nostræ sententiæ non officit.

XLIX. Aliud argumentum est, quod hæc Christi verba: *Quod Deus conjunxit, homo non separet*, non minus infidelium, quam Christianorum matrimonia respiciant, ex quibus, inquit, inferimus, etiam matrimonia infidelium, per conversionem unius, non dissolvi quoad vinculum, etiam si infidelis discedat.

Sed quænam est hæc sequela: "Hæc verba Christi: *Quod Deus conjunxit, homo non separet*, omnia generaliter matrimonia respiciunt; ergo in casu Apostoli, quoad vinculum non dissolvitur matrimonium,? Interant, prout eos monui dissertationis meæ pag. 30., inferant, inquam, si legitime velint aliquid inferre" Ergo in casu Apostoli per hominem matrimonium non solvitur: cum aliud non contineat antecedens, & ex eo nihil possit inferri, quam quod in eo continetur. Sed quid inde tunc habebunt, cum non dicam in isto casu per hominem, sed per Deum solvi matrimonium? Estne hoc iterum supponere, quod quæritur, & non potius demonstrare, quod illud dissertatoris fatiocinium ne quæstionis quidem nodum attingat, quandoquidem tam in nostra, quam in ip-

fius sententia verum sit, hominem non separare, quod Deus conjunxit? Sed dissertatoris intererat talia dicere, ut hoc artificio lector non adverteret ejus argumenta ad nihilum esse redacta.

L. Quamvis, ut supra dixi, textum Chrysofomi a dissertatore citatum non adhibuerim, ut ex illo probarem in casu Apostoli matrimonium dissolvi, abs re tamen non fuerit examinare, an locus ille nihil aliud importet, quam separationem ab habitatione & toro, prout ipse præten dit. Itaque verba Chrysofomi iterum producamus. " Quid sibi vult, inquit, *si infidelis* „ *discedit, discedat* aut separetur? Verbi gratia, si te jubeat sacrificare aut sociam impietatis esse propter connubium, vel discedere, „ melius est dirumpi connubium, quam piam „ religionem. Quapropter subdit: *Non enim* „ *servituti subjectus est frater aut soror in hu-* „ *jusmodi rebus.... melius est separari.... ille enim* „ *causam præbuit, ut is, qui fornicatus est.,*

LI. Liceat modo mihi subsumere: Atqui causa fornicationis, juxta Chrysofomum, dirumpitur connubium, non tantum quoad habitationem & torum, sed etiam quoad vinculum; ergo eodem modo dirumpitur, dum partem conversam jubet infidelis esse sociam impietatis, cum inter utrumque, id est fornicantem inter & dictum infidelem, ponat Chryfomus paritatem. Subsumptum hoc si legitime probavero, quantum ad mentem Chrysofomi, rem confectam puto. Itaque.

Probatur. S. Chrysofomus hom. 19. in cap. 7. ad Cor. ostendens disparitatem magnam, quæ habetur inter infidelem cohabitare volentem, & fornicatorem vel fornicariam, dicit: *Vir quidem post fornicationem non est vir. Quo-*

modo non est vir, si, juxta ipsum, fornicatio non dirumpat connubii vinculum?

LII. Si dicas, quod etia Osee 2°. dicatur: *Judicate matrem vestram, judicate, quoniam ipsa non uxor mea, & ego non vir ejus*, licet reipsa mulieri, de qua ibi agitur, matrimonio junctus esset Osee.

R. Inter utrumque casum patulam esse disparitatem, quæ peti debet ex circumstantia personæ loquentis. Sic potest v. g. Petrus habens Annam uxorem dissolutam ei dicere: *Recede a me, non es uxor mea*. Similiter filio suo Joanni, a paterna pietate degeneri, dicere potest: *Non es filius meus*. Et tamen extraneus aliquis, loquens aut scribens de ipsis, dicere non posset aut scribere: *Anna non est uxor Petri, Joannes non est filius ejus*. Quare hoc? Quia extraneus hæc dicens aut scribens, significat quid a parte rei non fit; cumque Anna a parte rei sit uxor Petri, & Joannes filius ejus, falsa esset ejus propositio, si diceret aut scriberet: *Anna non est uxor Petri, nec Joannes filius ejus*. At Petrus in casu non significat per similia verba, nec vult significare, quod a parte rei non fit maritus Annæ, nec Pater Joannis, sed tantum quomodo in Annam uxorem aut filium sit affectus, ut proinde hæc verba in ore ejus: *Recede a me, non es uxor mea*, hunc necessario, & non alium sensum habeant: *Non agnosco te ut uxorem meam &c. atpote, quæ te tali mecum foedere reddis indignam*. Et idem est respectu filii, cui diceret pater: *Non es filius meus*. Hinc manifeste patet, cur potuerit Osee de Gomer dicere: *Non es uxor mea*, licet a parte rei uxor ejus esset, & tamen non potuerit Chrysofostomus dicere, quod *vir post fornicationem non sit*

*vir*, si ejus non fuerit sententiæ, quod fornicatio solveret matrimonii vinculum.

LIII. At, ut nullum de mente ejus superfit dubium, attendantur, quæ ibidem præcedunt. " Sed quanam, inquit, ratione in infideli im-  
 ,, munditia vincitur, & quare infidelis consue-  
 ,, tudinem suadet, in fornicaria autem muliere  
 ,, non accusatur vir, si eam dimittit? „ Res-  
 pondet Chrysofomus: " Quoniam illic quidem  
 ,, spes relinquitur, ut pars perdita per nuptias  
 ,, salvetur. Hic autem NUPTIÆ JAM DISSO-  
 ,, LUTÆ sunt. „ Nimirum per fornicationem.  
 Hic vides Chrysofomum rationem reddere, cur non accusetur vir, qui fornicariam a se dimittit, quia nimirum per fornicationem *nuptiæ jam dissolutæ sunt*; in casu autem infidelis, fideli cohabitare volentis, non sunt dissolutæ. Quid clarius? Atqui fornicantem inter & infidelem, qui partem conversam suæ impietatis vult esse sociam, ponit Chrysofomus paritatem, ut ex verbis ejus patet, ergo, juxta ipsum, sicut in casu fornicationis connubium dirumpitur quoad vinculum, ita in casu infidelis, qui parti conversæ non vult cohabitare, aut saltem non vult pacifice, sed eam impellit ad peccatum mortale.

Tanto autem doctore non debet vitio verti, quod in eam cum pluribus aliis Græcis iverit sententiam, quandoquidem de illa quæstione dicat Augustinus lib. de fide & oper cap. 19. " Et in ipsis divinis sententiis ita obscuram est,  
 ,, utrum & iste, cui quidem sine dubio adul-  
 ,, teram licet dimittere, adulter tamen habeatur, si alteram duxerit, ut, quantum existimo, venialiter ibi quisque fallatur. „

LIV. Hinc patet responso ad ea, quæ petit dissertator pag. 10. (58.) & seq., nempe, cur to

*melius est difrumpi connubium, melius est separari*, applicare non potuisset Chrysoftomus iis fidelibus, qui post conversionem matrimonium inierant cum infidelibus &c. Quia, præterquam quod de illis non agat Apostolus, prout fatetur Chrysoftomus, nec a casu, de quo agit, liceat argumentari ad casum, de quo non agit, ideo de illis dicere non potuisset: *Melius est difrumpi connubium* &c.: quia per difruptionem connubii intelligebat solutionem vinculi, quemadmodum & in casu fornicationis, seu adulterii, quæ vinculi solutio in illis locum non habet, qui post susceptum baptismum cum infidelibus inierunt matrimonium, sed in iis dumtaxat, qui in infidelitate nuptias contraxerunt, & quorum unus postea fidem amplectitur, altero discedente. Sed a Chrysoftomo ad Ambrosium pergamus.

LV. Contendit dissertator pag. 13. (61.) non mihi, sed sibi S. Ambrosium favere. Proinde S. Ambrosii verba referamus, ut de veritate eorum, quæ dissertator asserit, prudens lector iudicet. Lib. 8. in Lucam scribens in hæc verba: *Omnis, qui dimittit uxorem suam, & ducit alteram, moechatur*, dicit Ambrosius: "Prius dicendum arbitror de lege conjugii, ut postea de prohibendo divortio disputemus. Quidam enim putant omne conjugium a Deo esse, maxime quia scriptum est: *Quæ Deus conjunxit, homo non separat*. Ergo, si omne conjugium a Deo est, omne conjugium non licet solvere; & quomodo Apostolus dixit: *Quod si infidelis discedit, discedat?* Quod autem hic non agatur de solutione quadam improprie dicta, seu, quæ consistit in separatione habitationis & tori, sed de ipsa solutione ma-

trimonialis vinculi, probavi dissertationis meae pag. 16. in hunc modum.

LVI. " Cum ostendere ibidem velit Ambrosius dari aliquod matrimonium, quod non est a Deo, quia matrimonium aliquod solvere licet, nempe, dum, in casu Apostoli, discedit infidelis a fideli, si de illa dumtaxat ageret solutione, quæ consistit in separatione habitationis & tori, jam non tantum probaret, quod matrimonium aliquod non sit a Deo, sed contra suum intentum probaret, quod nullum matrimonium a Deo sit, quia nullum est matrimonium, quod certis de causis solvi non possit quoad habitationem & torum. „ Quid ad hoc ratiocinium responderi possit, non video, nec vidit dissertator, cum ad illud non responderit; ut proinde mirum sit, quod Ambrosium sibi favere prætendat, & ad argumenta mea, ex ipso deprompta, nequidem respondeat.

LVII. At, inquit ibidem, seu pag. 13. (62.) luce meridiana clarius est, *Ambrosium dicto loco verba Apostoli citare per modum objectionis.*

R. Si, quemadmodum tempore S. Ambrosii, quidam putabant omne conjugium esse a Deo, quia scriptum est: *Quod Deus conjunxit, homo non separet*, ita nunc quidam putarent omne juramentum esse prohibitum, quia scriptum est: *Nolite jurare omnino*, & eos refutans, Ambrosiumque imitans, responderem: " Ergo, si omne juramentum sit prohibitum, nullum licet juramentum præstare, & quomodo dicit Jeremias cap. 4. *Jurabis: vivit Dominus, in veritate & in judicio & in justitia?* „ Si, inquam, sic responderem, etiam verba Jeremias, sicut Ambrosius verba Apostoli, per modum objectionis citarem. Atqui tamen inde nemo

posset inferre, quod non existimaverim Jere-  
miam verbis istis docere, licitum esse juramen-  
tum; ergo propter istam rationem, seu quia  
verba Apostoli per modum objectionis citat Am-  
brosius, asserere non potest dissertator, prout  
asserit ibidem, ipsum non *existimasse Apostolum*  
*in verbis*: Si infidelis discedit, discedat... *de*  
*vinculi solutione egisse*.

LVIII. Profecto ratione simili posset quispiam  
dicere, quod nec de solutione vinculi aut habi-  
tationis ibidem egerit Ambrosius, quia, inquit,  
verba Apostoli per modum objectionis citat,  
quod est ridiculum. Sunt ergo hæc & similia ob-  
jectiones quidem, sed quæ ex circumstantiis in-  
dicant mentem objicientis, seu, quæ indicant,  
quod, propter hunc aut istum textum, hoc  
vel illud judicet, ideoque oppositum sentienti  
illum objiciat, ut ipsum convincat. Porro Am-  
brosum existimasse Apostolum in verbis istis:  
*Si infidelis discedit, discedat*, de solutione vin-  
culi egisse, probavi ratiocinio supra memorato:  
sed hoc ratiocinium vocat dissertator pag. 14. (63.)  
*Sinistram verborum Apostoli*, quam Ambrosio  
tribui, *interpretationem*. At, si sit interpretatio  
illa tam sinistra, cur ergo *dextere* ad ratiocinium  
meum non respondit, sed simpliciter obmutuit?

LIX. Adjicit dissertator ibidem, seu pag. 13., (62.)  
quod sibi objiciat Ambrosius: *Quomodo ergo*  
*Moyfes mandavit dari librum repudii, & dimitte-*  
*uxorem*, & in hunc modum respondeat:  
Qui hoc dicit, Judæus est; qui hoc dicit,  
Christianus non est... Moyfes permittit, inquit  
Dominus, non Deus jussit: ab initio autem  
Dei lex est: *Relinquet homo patrem & ma-*  
*trem, & adhærebit uxori suæ, & erunt am-*  
*bo in carne una*. Ergo, qui dimisit uxorem,  
carnem suam scindit, & dividit corpus. In

quæ verba ita commentatur dissertator pag. 14. (63.) " Quibus verbis, inquit, ostendit (Ambrosius) per librum repudii apud Judæos vinculum matrimonii non fuisse solutum, adeoque, quæ Moyses fieri mandaverat, seu permiserat, non obstare asserto ejus de omnimoda insolubilitate matrimonii, ubi illud semel legitime contractum est. "

LX. R. Utrum libello repudii solutum fuerit apud Judæos matrimonium, an non, non est undequaque certum, aliis hoc, aliis illud affirmantibus. Probabilis arbitror illud fuisse solutum, asseritque Tertullianus lib. de monogamia cap. 9., quod libellus iste non minus matrimonium dirimeret, quam ipsa mors: *Tam repudio, inquit, matrimonium dirimente, quam morte, non tenebitur ei, cui, per quod tenebatur, abruptum est.* At quæstio hæc ad præsentem casum est prorsus impertinens.

LXI. Interim tantum abest, ut ostendat Ambrósius, quod ipsum ostendere asserit dissertator, nempe *per librum repudii apud Judæos vinculum matrimonii non fuisse solutum*, ut isto in loco rei illius nequidem meminerit. Docet ibidem Christianis non esse licitum dimittere uxores, etiamsi difficiles sint earum mores, ut patet ex præcedentibus: *Noli, inquit, uxorem dimittere, ne Deum tuæ copulæ diffitearis auctoritate; etenim si alienos, multo magis uxoris debes tolerare & emendare mores.* Et, quibusdam terjectis, subdit: „ Sed fortasse dicit aliquis, *Quomodo Moyses mandavit dare libellum repudii, & dimittere uxorem?* „ Et ad hanc objectionem respondet, prout supra dixit dissertator, nempe, quod, qui hoc dicit, *Judæus sit, non Christianus &c.* Per hoc ostendens, quod, licet hoc olim Judæis permiserit Moyses, non



ideo idem permittatur Christianis, matrimonio per Christum ad primævam institutionem revocato; & consequenter, quod, qui ita argumentatur, ut probet se posse dimittere uxorem, quemadmodum ex mandato vel permissione Moysis olim faciebant Judæi, Judæum se potius ostendat, quam Christianum. Utrum autem, dimissis uxoribus, apud Judæos per libellum repudii solveretur vinculum matrimonii, an non, ibidem non docet Ambrosius, prout patet legenti; ac proinde immerito dicit dissertator ipsum verbis citatis ostendere, *per librum repudii apud Judæos vinculum matrimonii non fuisse solutum*. Sed aliud quærere jam lubet.

LXII. Ubinam, quando & quibus verbis *generaliter & sine ulla exceptione* docuit Ambrosius conjugium semel legitime contractum non dissolvi, seu ubinam asseruit *omnimodam* insolubilitatem matrimonii, ubi illud semel legitime contractum est, prout dicit dissertator pag. 14. (63.)? Sane matrimonium inter fideles ratum non consummatum, est matrimonium legitime contractum: ergo, si subsistat, quod dissertator asserit, docuit Ambrosius matrimonium ratum non consummatum nullo casu posse dissolvi, cum, juxta ipsum, *generaliter & sine ulla exceptione*, docuerit matrimonium semel legitime contractum, numquam posse dirimi. Quis talem sequelam admittet?

LXIII. Pergit dissertator, & *ut sinistram meam verborum Apostoli interpretationem quisque clare percipiat*, pag. 14. (63.) integrum describit Ambrosii locum, quem facile, inquit, vel non legi, vel de industria omisi. En verba: „ Ostendit autem hic locus ( scilicet Moysis ) quæ propter humanam fragilitatem scripta sunt, non a Deo scripta. Unde & Apostolus: *Denuntio*, inquit,

„ non ego , sed Dominus , uxorem a viro non  
 „ discedere. Et infra : *Cæteris*, inquit, ego dico,  
 „ non Dominus : Si quis frater infidelem habeat  
 „ uxorem &c. Itaque, ubi est impar conjugium,  
 „ lex Dei non est. Et addidit : *Quod si infide-*  
 „ *lis discedit, discedat.* Simul idem Apostolus  
 „ negavit legis esse divinæ, ut conjugium qua-  
 „ lecumque solvatur, nec ipse præcepit, nec de-  
 „ dit deferenti auctoritatem, sed culpam abstu-  
 „ lit destituto. „

¶. Si locum hunc, quem revera legeram, de industria omiserim, potiori jure & majori industria deberet dissertator illum omisisse, quandoquidem novum in favorem nostræ sententiæ præbeat argumentum.

LXIV. Notandum itaque, quod tres ex Apostolo I. ad Cor. 7. textus ibidem citet Ambrosius, & ad quemlibet in verbis citatis respective alludat, dum dicit : *Simul idem Apostolus negavit legis divinæ esse &c.* Citat primo versum 10. *Iis autem, qui matrimonio juncti sunt, præcipio, non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere, quod si discesserit, manere innuptam.* Agit hic textus de fidelibus inter se junctis; prout docet Aug. lib. 1. de serm. Dom. in monte cap. 16. num. 44. „ Quid sibi ergo  
 „ vult, quod ait, *cæteris*: nisi quia superius eis  
 „ loquebatur, qui sic copulati erant, ut pariter  
 „ in fide Christi essent; cæteris vero nunc dicit,  
 „ id est eis, qui sic copulati sunt, ut non ambo  
 „ fideles sint. „ Et ad hunc textum alludens Ambrosius dicit : *Apostolus negavit legis esse divinæ, ut conjugium quaecumque solvatur.* Quod utique in nostra sententia verum est. Legis enim divinæ non est, ut initum inter fideles, seu Christianos *conjugium quaecumque solvatur*, id est, sive sit consummatum, sive non, quia in

omni prorsus casu, si fidelis mulier a viro fideli discesserit, manere debet innupta.

LXV. Si vero interpretationem Augustini rejiciens, contendas isto in loco, Apostolum non agere tantum de fidelibus inter se junctis, sed de quibuscumque, etiam in ista interpretatione, juxta nos verum est, quod *legis divinæ non sit, ut matrimonium qualecumque solvatur*, quia dum non infidelis discedit a fideli, sed mulier fidelis ab infideli, in isto casu alligata manet legi, & manere debet innupta, si ab eo discesserit, neque ibi est casus Apostoli, qui utique non agit de fideli deserente infidelem, sed de infideli deserente fidelem, dum dicit: „ *non enim servituti, subiectus est frater aut soror in hujusmodi.* „ Quidlibet ergo intelligas per *to iis autem, qui matrimonio juncti sunt, præcipio, non ego, sed Dominus*, „ &c. Id est, si intelligas fideles tantum, siue quoscumque alios, verum est, quod mulier non deserta, sed deserens, seu ab infideli discedens, manere debeat innupta, quia *generaliter & sine ulla exceptione præcepit Dominus uxorem a viro non discedere, & si discesserit, manere innuptam.*

LXVI. Secundo, citat Ambrosius versum 12. *Cæteris ego dico, non Dominus: si quis frater infidelem habeat uxorem &c.* Et de illis cæteris loquens dicit, quod nec ipse Apostolus præceperit, ut fidelis deserat infidelem cohabitare volentem, nec dederit deserendi autoritatem, quod utique verum est, cum dixerit Apostolus: *si quis frater uxorem habet infidelem, & hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam.* Quibus in verbis nec præceptum intelligitur, nec data autoritas dimittendi, sed potius consilium, aut, si mavis, præceptum non dimittendi: sed hoc iterum nostræ sententiæ ne per umbram

quidem adversatur. Videamus modo utrum, quæ sequuntur, illi non suffragentur.

LXVII. Citat Ambrosius versum 15. *Quod si infidelis discedit, discedat; non enim servituti subiectus est frater aut soror in huiusmodi.* Et in isto casu dicit Apostolum *abstulisse culpam destituito.* Quænam est culpa contra legem Dei, de non solvendo matrimonio, & de qua hic agit Ambrosius, ad quam *destituito auferendam* apostolica debuerit autoritas intervenire? Nullam invenies, nisi eam, quam pars fidelis, ab infideli destituta, commisisset, aliud incundo matrimonium, si Apostolus autoritate Dei non declarasset eam, in isto casu, servituti non esse subiectam, & qua declaratione *culpam abstulit destituito*, casu quo hic matrimonium ineat.

LXVIII. Si regeras, quod Apostolus *culpam abstulerit destituito*, quia declaravit, quod pars conversa ab infideli destituta, non debeat eam sequi, nec illi cohabitare &c., sive, quod fit absque culpa, si eam non sequatur, aut ei non cohabitaret &c.: contra est, quod, si fidelis quispiam cum infideli matrimonium iniisset, sicut cum Patritio illud iniit S. Monica, & postea, mutato animo, in odium fidei discederet infidelis a fidei, quod, inquam, talis fidelis discedentem infidelem etiam sequi non teneretur, nec ei cohabitare &c.: atqui tamen casum istum fermo Apostoli non complectitur, nec ad eum se extendit, quandoquidem, juxta Tertullianum, Chrysostomum, Hieronymum, Augustinum, Theophylactum & Theodoretum, non agat Apostolus de illis fidelibus, qui matrimonium inierunt cum infidelibus, sed de iis, qui jam matrimonio juncti, fidem amplexi sunt; ergo, dum dicit Ambrosius, Apostolum *culpam abstulisse destituito*, agit de culpa, quam commi-

fisset destitutus, aliud ineundo matrimonium, si ipsum Apostolus non declarasset servituti non esse subjectum; alias enim, quid causæ esset, cur ad alios fideles, de quibus jam memini, ejus sermo se non extenderet, si tantum declararet, quod pars conversa ab infideli destituta, non debeat eum sequi &c., cum & illi certissime non teneantur infidelem discedentem sequi, aut illi cohabitare? Signum proinde indubitatum est, quod plus exigant verba Apostoli.

LXIX. Ex dictis patet illum Ambrosii locum, quem, juxta disertatorem, vel non legeram, vel de industria omiseram, sententiæ nostræ favere potius, quam obesse. In hoc ergo hallucinatus est disertator, vel quisquamque alius, qui hoc ipsi argumentum, tamquam aliquid novi forte suggessit, sed quod respectu mei novum non erat (nam textum eundem de verbo ad verbum egomet publicis in disputationibus, exercitii gratia, diu ante proposui, quam dissertationem suam ederet vir clarissimus) in hoc, inquam, est hallucinatus, quod hæc Ambrosii verba: „ Simul idem Apostolus negavit legis esse divinæ, ut conjugium qualecumque solvatur, nec ipse præcepit, nec dedit deserenti auctoritatem, sed culpam abstulit destituto „ existimaverit easdem personas respicere, cum tamen respiciant omnino diversas, conformiter ad textus, quos citat, prout ante dixi. Prima, seu: *Apostolus negavit legis esse divinæ, ut conjugium qualecumque solvatur*, afficiunt fideles inter se junctos, quorum, si unus ab alio discesserit, semper manere debet innuptus, qualecumque sit eorum matrimonium, sive consummatum, sive non.

LXX. Verba sequentia, seu: *nec ipse præcepit, nec dedit deserenti auctoritatem*, illam partem

conversam concernunt, cui cohabitare consentit infidelis, & de qua dixit Apostolus: *Si quis frater uxorem habet infidelem, & hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam.*

Per postrema verba ostendit, juxta Apostolum, non esse eandem causam partis conversæ, cui cohabitare consentit infidelis, & ejus, a qua infidelis discedit, sed omnino diversam, & ideo addit: *sed culpam abstulit destituto*, ut proinde, quamvis culpa sit in parte conversæ, si aliud matrimonium ineat, dum infidelis ipsi cohabitare non renuit, culpa tamen non sit, si aliud contrahat, dum ab ea infidelis discedit, utpote quam, in isto casu, aufert Apostolus, dicens, *Servituti non esse subiectum fratrem aut sororem in hujusmodi.*

Manet proinde non tantum non infirmatum, sed potius hoc Ambrosii textu confirmatum, quod ex ipso in dissertatione mea produxi, ut probarem illum omnino censuisse in casu Apostoli licitum esse parti conversæ ad secunda vota transire.

LXXI. Ibidem etiam pag. 17. ostendi non agere Ambrosium de matrimonio Christianorum cum infidelibus, prout prætendebat quidam Gallus, sed de matrimonio infidelium inter se, & quorum unus convertebatur, altero in infidelitate remanente, & a parte conversæ discedente, quandoquidem referat se sanctus doctor ad locum Apostoli: *Quod si infidelis discedit, discedat &c.* & quem constat ibidem de hujusmodi matrimonio agere. Deinde, ut ibidem dixi, „ si de matrimonio Christianum inter & infidelem con-  
 „ tracto locutus fuisset Ambrosius, & illud cen-  
 „ suisset esse nullum (quemadmodum tunc tem-  
 „ poris nullum fuisse asserbat Gallus iste) quo-  
 „ modo potuisset dicere, quod matrimonium il-  
 „ lud, in casu Apostoli, liceat solvere? An for-

„ te solvitur matrimonium, quod non existit,  
 „ an non prærequiritur valor, seu existentia ma-  
 „ trimonii, ut possit dissolvi? Profecto perinde  
 „ fuisset, ac si dixisset Ambrosius, quod, in ali-  
 „ quo casu, liceat mulieri a viro non suo rece-  
 „ dere, qui discursus non tantum fuisset tanto  
 „ viro indignus, sed omnino ridiculus, quando-  
 „ quidem non in aliquo tantum, sed in omni  
 „ prorsus casu, debeat mulier ab illo recedere,  
 „ cui invalide conjuncta est, seu ab eo, qui vir  
 „ ejus non est.,

LXXII. Respondet dissertator pag. 18. (67.) „  
 „ Quod discursus ille Ambrosii non fuisset tanto vi-  
 „ ro indignus, neque etiam ridiculus, quod & ego  
 „ sensissem, inquit, si ad illud, quod notissi-  
 „ mum est, quodque scholares... non ignorant,  
 „ advertissem, quod conjugium recte solvi di-  
 „ catur, dum declaratur illud nulliter, seu cum  
 „ impedimento dirimente contractum fuisse: sic  
 „ frequenter satis contingit, ut rescindi dicatur,  
 „ quod nullum erat: eodemque sensu matrimo-  
 „ nia per sententiam judicis rescindi vel solvi  
 „ dicuntur, quæ nulliter contracta esse declaran-  
 „ tur.

LXXIII. At quomodo vir clarissimus tale  
 responsum potuerit dare, vix concipio. Non enim  
 ibidem agit Ambrosius de nullitatis matrimonii  
 declaratione, sed de solutione matrimonii valide  
 contracti, seu illius, de quo agebat Apostolus,  
 cum dixit: *Quod si infidelis discedit, discedat*,  
 & de cujus nullitatis declaratione nemo potest  
 dicere Apostolum ibidem egisse, nisi se velit ri-  
 sui exponere. Subinde ergo dicatur in variis casi-  
 bus matrimonium solvi, dum illud declaratur esse  
 nullum (quod tamen declarare non spectat ad  
 ipsos contrahentes, de quibus hic agit Ambro-  
 sius, sed ad iudices) non ideo recte dicitur, quod de

simili solutione, seu nullitatis declaratione agat Ambrosius in explicatione textus Apostoli, quem de matrimonii valide contracti solutione (quocumque modo solutionem illam intelligas, id est, sive quoad vinculum, sive quoad habitationem) certum est egisse in his verbis: *Quod si infidelis discedit, discedat.*

LXXIV. Fallitur interim dissertator, dum ait: "Quod conjugium *recte* solvi dicatur, dum declaratur illud nulliter, seu cum impedimento dirimente contractum fuisse. Aliter sane loquitur Justinianus Nov. 22. de nuptiis, ubi cap. 10. de hac expressione loquens dicit: "Si vero ab initio putaverit aliquis liberæ jungi personæ, illa vero famula postea declaratur existens, non dicimus SOLVI MATRIMONIUM, sed ab ipso initio neque matrimonium fieri. Ex quo sequitur, quod, si subinde solvi apud nonnullos dicatur, quod nullum declaratur, hoc non *recte*, sed improprie dicatur.

LXXV. Proinde verum manet, quod, agendo de matrimonio invalido fidelis cum infideli, indignum fuisset Ambrosio ratiocinium, & prorsus ridiculum dicere, quod liceat fideli in aliquo casu matrimonium solvere, nempe dum discedit infidelis, quia in omni casu tenetur pars, sive fidelis, sive infidelis, ab illo recedere, cui valide conjuncta non est: ergo nullatenus potest intelligi Ambrosius de matrimonio invalido, quod cum infideli contraxisset fidelis, nisi velis eum dixisse, *quod detur casus aliquis, in quo licitum est mulieri recedere a viro non suo.* Quod ratiocinium non videtur potuisse in tanti viri mentem cadere. His adde, quod Ambrosii tempore, invalida non essent matrimonia Christianorum cum infidelibus; ergo &c.

LXXVI. At, inquit dissertator pag. 16. (65.)

M



irrita erant ejusmodi matrimonia per legem Valentiniani, Theodosii & Arcadii latam Thesſalonicæ prid. id. Martii 388., in qua ſtatuitur:  
 „ Ne quis Chriſtianam mulierem in matrimo-  
 „ nium Judæus accipiat, neque Judææ Chriſtia-  
 „ nus conjugium fortiatur, nam ſi quis aliquid  
 „ hujusmodi admiferit, adulterii vicem commiſſi  
 „ hujusmodi crimen obtinebit: libertate in ac-  
 „ cuſandum publicis quoque vocibus relaxata. „

Verum aſſertioni meæ non adverſatur lex iſta, quia etiam in ſuppoſito, quod per eam dirimantur cõjugia Chriſtianorum cum Judæis, quod examinare non eſt hujus loci, manet verum, quod dixi, nempe tempore S. Ambroſii invalida non fuiſſe matrimonia cum infidelibus, ſcilicet generaliter, prout ſonat mea propoſitio.

LXXVII. Hoc ſenſit diſſertator, & ideo addidit, quod „ recte Gothofredo *ad L. 11. Cod.*  
 „ *Theod. de nuptiis*, eadem ea tempeſtate paga-  
 „ norum ratio fuerit &c. „ Sed hoc dici non poteſt: conſtat enim, quod nulla lex poſitiva, hoc vel illud præcipiens aut prohibens, unquam ſe extendat ultra caſum a lege expreſſum, etiamſi ſupponatur eadem, imo major ratio, unum potius præcipiendi, aut prohibendi, quam aliud; unde communiter & recte dicitur, quod in poſitivis non valeat argumentum a pari.

LXXVIII. Sed, ut de hoc diſſertatorem plenius convincam, ſuppone hanc legem ferri: „  
 „ ne quis catholicam mulierem in matrimo-  
 „ nium Socinianus accipiat, neque Socinianæ  
 „ catholicus conjugium fortiatur, nam ſi quis  
 „ aliquid hujusmodi admiferit, adulterii vicem  
 „ commiſſi hujusmodi crimen obtinebit &c. „  
 Quis inde, quæſo, poterit inferre invalidum eſſe catholici cum Lutherana, vel catholicæ cum Lutherano connubium? Nemo proſus. Hujusce

rei ratio est, quia, si voluisset legislator omnia generaliter catholicorum cum hæreticis connubia irritare, unam hæreseos speciem præ alia non nominasset; ergo similiter, si voluisset Theodosius omnia Christianorum cum infidelibus matrimonia reddere irrita, unam infidelitatis speciem præ alia non designasset, sed generaliter dixisset: *Ne quis Christianam mulierem in matrimonium infidelis accipiat &c.*

LXXIX. Ut autem nihil ex dissertatoris rationibus omittamus, expendere juvat, quod dicit pag. 18. (67) & 19. (68) " Non bene concipimus, inquit, illud quorundam scholasticorum assertum, quo volunt Apostolum hic promulgasse exceptionem a lege connubii in favorem fidei... propter quam concederetur facultas parti conversæ alias nuptias ineundi. Hanc nec Gratianus, nec Innocentius III., nec S. Thomas adducunt. "

2. Quod non bene concipit dissertator, optime concepit Benedictus XIV. lib. 6. de synodo cap. 4. CERTUM EST, inquit, " infidelium conjugium ex privilegio in fidei favorem, a Christo Domino concessio, & per Apostolum Paulum I. ad Cor. 7. promulgato, dissolvi, cum conjugum alter Christianam fidem amplectitur, renuente altero, in sua infidelitate obdurato, cohabitare cum converso &c. " Sed ad hoc argumentum, quod dissertationis meæ pag. 27. proposui, non respondit dissertator, & verosimiliter, quia etiam non bene concepit, quid esset respondendum.

LXXX. De cætero, quid sibi vult, dum ait: hanc exceptionem nec Gratianum, nec Innocentium III., nec S. Thomam adducere? Nonne illi concorditer asserunt, in casu Apostoli, licitum esse parti conversæ alias nuptias inire? Non-

ne hoc asserendo, consequenter asserunt, respectu partis conversæ a lege connubii in gratiam fidei exceptionem esse, cum sine ista exceptione ipsi procul dubio non esset licitum ad secunda vota transire, nec hoc ipsi possent asserere? Quod ergo dicit dissertator ab illis non adduci, adducitur omnino, si non *formaliter & explicitè*, saltem *æquivalenter & implicite*, cum eorum assertio exceptionem illam a lege connubii, respectu partis conversæ, necessario significet. Vel ergo sustinere debet dissertator, quod aliquid implicite & æquivalenter dicere, non sit illud dicere, quod nemo admittit, vel fateri debet se non recte ratiocinari.

LXXXI. Prosequitur pag. 19. (68.)” An forte  
 „ pro parte, quæ convertitur, ipsa fides sufficiens  
 „ favor non est, ut superaddi debuerit facultas  
 „ ad secundas nuptias convolandi.. quibus pri-  
 „ mæ dissolverentur?,,

R. In favorem fidei facultatem illam Christus concessit, non quod fides sufficiens favor non foret, sed ob hominum infirmitatem, quorum sicut multi ob emolumentum temporale fidem non amplectuntur, imo subinde eam deserunt, ita multi considerantes se baptizatos, a parte sua esse deserendos, & ad continentiam redigendos, a suscipiendo baptismo sapius removerentur.

LXXXII. Si petas: Quare igitur idem non fecit respectu hæreticorum?

R. Quod, ubi agitur de Christi beneplacito, peti non possit *quare*, vel *quomodo*; sufficere debet voluntas ejus per continuam ecclesiæ proximè manifestata.

At, inquit, *debuissemus & dotem adjicere.*

R. Intempestive ridet dissertator. Quod in ecclesia accepimus, hoc docemus, nihil adjicien-

tes vel minuentes. Nostrum non est loqui de dote, sed adversus novatores ecclesiæ dogmata defendere. Præterea, definiuit ecclesia, matrimonium ratum non consummatum per solemnem professionem dirimi, & hoc definiendo declaravit parti, in sæculo remanenti, liberum esse ad alias nuptias transire: an per derisionem aude- ret dicere, quod debuisset dotem adjicere?

LXXXIII. Pergit ibidem: " Qui hoc asserit, simul admittat necesse est, Apostolum, per privilegium, quod eum hic concessisse dicunt, fictis & non sinceris conversionibus ansam dedisse, simulque voluisse, ut evangelium libidini ac voluptati deserviret: quo enim pacto credemus hominem illum erga religionem esse bene adfectum, qui erga legis naturalis obligationem male adfectus est, sicque sæpe destitueret senectutem illius, cujus defloraverat juventutem? Aut quo animo religionem Christianam amplectetur, quam videt suæ voluptati & deliciis obsequentem? "

LXXXIV. R. Qui hoc asserunt, sunt summi pontifices, sunt episcopi, interpretes, theologi & canonistæ omnes, viri toto orbe & pietate & doctrina spectatissimi. Hi ergo omnes, juxta disertatorem, admittant necesse est, Apostolum *fictis & non sinceris conversionibus ansam dedisse, simulque* VOLUISSE, UT EVANGELIUM LIBIDINI AC VOLUPTATI DESERVIRET. Quis in ecclesia ejusmodi sermonem audivit unquam? Deinde Eccle. 8. v. 11. scriptum est: *Quia non profertur cito contra malos sententia, absque timore ullo filii hominum perpetrant mala.* An ideo, seu quia bonitate Dei abutuntur multi, necesse est, ut admittamus Deum peccatis eorum ansam dare? Quis ejusmodi blasphemiam ferret? Ergo, licet nonnulli abutentes privile-

gio, quod promulgat Apostolus, non sincere, sed fîcte converterentur, non ideo necesse foret, ut in hac sententia admitteremus *Apostolum fîctis & non sinceris conversionibus ansam dedisse*. Adferre saltem debuisset disertator aliquam talis asserti rationem, sed nullam profus assert.

LXXXV. Sed & illud quomodo ausus est scribere: *Quo animo religionem Christianam amplectetur homo, quam videt suæ voluptati & deliciis obsequentem?* Numquid religio Christiana docet, quod, juxta Apostolum, pars conversa, non obstante baptismo, maneat conjugata, quod parti conversæ, per hoc, quod conversa sit, non liceat aliud matrimonium inire, sed ad hoc requiratur, ut pars infidelis ipsi vel nolit cohabitare, aut non pacifice, seu non nisi cum injuria Salvatoris? Hocine est *religionem Christianam voluptati & deliciis obsequi?* Nimum sane exorbitat disertator.

His adde, quod ex toto ejus discursu necessario sequatur, Deum, ne potentia quidem extraordinaria, posse in casu, de quo agimus, matrimonium solvere, quia ne potentia quidem extraordinaria potest velle, *ut evangelium libidini ac voluptati deserviat*, quod tamen juxta disertatorem continget, si, in casu Apostoli, matrimonium dirimatur. Placetne disertatori hæc sequela?

LXXXVI. Præterea, si 1. ad Cor. 7. non doceat Apostolus, quod pars conversa, infideli discedente, possit aliud matrimonium inire, cur ergo iterum ad probationes meas non responderet? Ostendi dissertationis meæ pag. 10., quod, quando de sola habitationis separatione agit Apostolus, sedulo moneat, quod, si a marito discesserit mulier, manere debeat innupta, ut patet ex *1. 11.*: ergo, si de eadem egisset *1.*

15., eadem illi cura fuisset, monendi partem conversam, ut similiter innupta maneret, & procul dabo explicasset, de qua servitute ageret, dum dicebat, quod, discedente infideli, non esset servituti subiectus frater aut soror in huiusmodi; explicasset, inquam, quod, licet non foret in isto casu pars conversa servituti illi subiecta, qua tenetur uxor viro, & vir uxori debitum reddere, illique cohabitare, ab illa tamen matrimoniali servitute non esset libera, qua tenetur uterque conjux, alterutro vivente, ad alias nuptias non transire, & consequenter quod, discedente infideli, deberet pars conversa manere innupta, maxime cum multo major esset ratio hoc monitum dandi  $\psi$ . 15., quam  $\psi$ . 11. Hoc posterius ibidem probavi num. XIII. hoc ratiocinio.

LXXXVII. Versu 11. non dixerat Apostolus, mulierem a viro discedentem, servituti non esse subiectam, quod tamen dixerat  $\psi$ . 15., & consequenter in versu 11. nihil erat, quod vel minimam potuisset dare occasionem existimandi mulierem a viro discedentem esse liberam, & posse ad alias nuptias transire. Hoc tamen non obstante, seu quamvis nullam rei istius existimandae occasionem prae buisset, monendam duxit mulierem, a viro recedentem, ut maneret innupta; ergo a fortiori idem monitum dare debuisset  $\psi$ . 15., quandoquidem dicendo simpliciter & sine addito partem conversam, infideli discedente, servituti non esse subiectam, occasionem quam maximam dedisset existimandi, partem illam esse omnino liberam, & ad secunda posse vota migrare, quod num. XIV. in hunc modum confirmavi.

LXXXVIII. Qui simpliciter & absolute dicit aliquem servituti matrimoniali non esse subiec-

tum, simpliciter & absolute dicit illum esse liberum, cum nihil aliud sit esse liberum, quam servituti non subiectum. Dixerat autem Apostolus simpliciter & absolute partem conversam, discedente infideli, servituti non esse subiectam; ergo simpliciter & absolute pronuntiaverat eam esse liberam; & consequenter de omnimoda libertate a matrimoniali servitute egerat, quia, si de illa non egisset, necessario debuisset propositionis suæ generalitatem restringere, explicando de qua libertate ageret, quandoquidem hoc non explicando, & suæ propositionis generalitatem non restringendo, ansam præberet existimandi accipienda esse verba, prout sonant, & consequenter ab omnimoda servitute matrimoniali liberam esse partem conversam, seu ad secundas posse nuptias transire. Atqui tamen hoc non fecit Apostolus, & quod tam serio monuit v. 11., non amplius monet v. 15., non dicit, quod pars conversa, discedente infideli, manere debeat innupta, sed simpliciter & absolute asserit, quod, *in hujusmodi*, non sit servituti subiectus frater aut soror: ergo &c.

LXXXIX. Præterea, ut dixi ibidem pag. 11., agit Apostolus v. 11. de muliere virum deserente: *Quod si discesserit, manere innuptam*, & quidem interdum deserente culpabiliter, cum mulieres, viros suos deserentes, non sint semper innocentes. v. autem 15. agit de muliere vel viro, qui sine ulla culpa deseritur a comparte infideli. Certum est autem, quod a muliere virum suum deserente, & quidem interdum culpabiliter, per se & generaliter non sit ducenda paritas ad mulierem fidelem, quæ virum non deserit, sed ab ipso deseritur, & quidem sine ulla ipsius culpa. Ergo ex eo, quod mulier virum suum deserens, & quidem interdum culpabiliter,

manere deberet innupta, per se loquendo non sequebatur, quod pars conversa, quæ non deferebat, sed deferebatur, & sine ulla ipsius culpa, etiam manere deberet innupta. Ergo iterum ex hoc capite multo major erat ratio partem conversam monendi  $\psi$ . 15., quod, discedente infideli, manere deberet innupta, quam simile monitum dandi  $\psi$ . 11., quandoquidem per se & generaliter loquendo non fit, nec debeat esse eadem conditio illius, qui deseritur, & qui deserit; illius, qui est sine culpa, & qui est culpabilis. Hoc tamen non fecit Apostolus; ergo &c. Ad hæc omnia, quæ inter fundamentales sententiæ nostræ rationes non infimum tenent locum, ne verbum quidem reposuit dissertator, sed perinde se habuit, ac si illa ne legisset quidem. Sed ipsum, ad Augustinum properantem, sequamur.

XC. Fundat se dissertator pag. 19. (68.) & seq. in libris Augustini de adulterinis conjugis, quorum, inquit, occasio fuit, „ quod Pollentius vellet „ matrimonii vinculum solvi per adulterium: „ item infidelitatem unius conjugis non esse „ causam justam parti fideli sese separandi ab „ infideli, quoad torum & habitationem, quando pars infidelis cohabitare volebat. „

R. Verum est, quod hic dicit dissertator, sicut & illa, quæ subdit, nempe, quod „ S. Aug., „ in suis libris, multis ostenderit adulterium non „ solvere matrimonii vinculum, quamquam eo „ casu licita esset, quoad torum, separatio. „

Similiter verum est, quod S. Aug., ex Apostolo „ probet infidelitatem unius partis justam „ quoque causam esse separationis quoad habitationem, licet illa non expediat, dum pars infidelis cohabitare vult; monente, seu præcipiente Apostolo. „ Hæc, inquam, vera sunt.



XCI. Sed quid sibi vult dissertator, dum, tamquam sententiæ nostræ fatalem, objicit hunc Augustini textum lib. 1. cap. 25. ? „ Propter quodlibet tamen fornicationis genus, sive carnis, sive spiritus, ubi & infidelitas intelligitur, & dimisso viro non licet alteri nubere, & dimissa uxore non licet alteram ducere, quoniam Dominus nulla exceptione facta dixit: Si uxor dimiserit virum suum, & alteri nupserit, mœchatur, & omnis, qui dimiserit uxorem, & alteram duxerit, mœchatur, ? Quid, inquam, sibi vult, dum contra nostram sententiam illa objicit, quæ in meâ dissertatione pag. 41. & seq. ostendi non continere casum Apostoli; seu, cur volens probare, quod negamus, præcise probat, quod admittimus? Monueram dissertationis meæ pag. 22. in hoc adversarios hallucinari, quod, volentes probare, in casu Apostoli, licitum non esse parti conversæ ad secundas nuptias transire, argumenta proferrent, quæ ad casum Apostoli, nullatenus spectarent. „ Cur ergo ad hoc non reflexit dissertator?

XCII. Admitto itaque cum Augustino, quod, propter quodlibet fornicationis genus, sive carnis, sive spiritus, seu quod, propter infidelitatem dimisso viro, non liceat alteri nubere, & dimissa uxore, non liceat alteram ducere: Admitto, quod nullam prorsus patientur exceptionem hæc Domini verba: *Si uxor dimiserit virum suum, & alteri nupserit, mœchatur, & omnis, qui dimiserit uxorem, & alteram duxerit, mœchatur.* Et simul, tanquam certissimum statuo, quod, quicumque fidelis ob infidelitatem dimittit compartem, a qua non dimittitur, sed ei pacifice consentit cohabitare, innuptus debeat manere. Sed quid inde contra nostram sententiam potest erui, cum ibi non sit casus

Apostoli, in quo utique non agitur de muliere (idem est de viro) quæ ob infidelitatem deserit maritum, sed quæ, ob susceptam fidem, deseritur a marito, & inter utrumque casum nulla possit, ut per se patet, institui paritas? Ex his patet quid ad subsequentia, quæ dissertator subnectit, sit respondendum.

XCIII. "Igitur, inquit, juxta Augustinum, „ nec isto casu, ubi justa est separatio, unquam licet alteri nubere. „

R. Optime infert dissertator, quia, juxta Aug., etiamsi infidelis non discedat, sed cum fideli habitare consentiat, nihilominus justa est, respectu fidelis, causa separationis, nec tamen, si sese separaverit, alteri nubere poterit, quia privilegium, quod Apostolus promulgavit, non est extendendum ultra id, quod sonat: non dixit autem: *Si fidelis*, sed, *si infidelis discedit* &c. Et respectu eorum, qui dimittunt conjuges, generaliter, & nulla exceptione facta, Dominus dicit: *Si uxor dimiserit virum suum, & alteri nupserit, moechatur* &c.

XCIV. Quod autem non agat Aug. de casu, quo fidelis ab infideli deseritur, sed, quo fidelis infidelem cohabitare consentientem deserit, vidisset dissertator, si Augustinum attente legisset: ibi siquidem, seu in eodem, quod citat capite, paulo ante verba objecta ex Apostolo, dicit Aug. *si quis frater habet uxorem infidelem, & hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam* &c. Cumque ostendisset, quod, quamvis infidelem cohabitare volentem liceat dimittere, id tamen non expediat, simul ostendit & probat, quod, si fidelis fecerit, quod non expedit, id est, si dimiserit infidelem, cohabitare volentem, in isto casu ad alias non possit transire nuptias, dicens: *Propter quodlibet*

tamen fornicationis genus, sive carnis, sive spiritus, ubi & infidelitas intelligitur, & DIMISSO VIRO, non licet alteri nubere &c. Proinde tam certum, tam evidens est, non agere ibidem Augustinum de casu Apostoli, quam certum, quam evidens est, casum mulieris, propter infidelitatem maritum cohabitare volentem deserentis, non esse casum mulieris, cui maritus propter fidem cohabitare non vult, ideoque eam deserit. Interim dissertatorem sequamur.

XCV. Si, inquit pag. 20., (69.) "dum pars infidelis legitime cohabitare nolit, solvatur matrimonii vinculum, potuissetne Augustinus simpliciter & generaliter dicere, verba Domini nullam pati exceptionem, eo in loco, ubi de infidelitate, seu de spirituali fornicatione agit & textum Apostoli ex professo examinatum, atque etiam pro eodem sumere, quod vinculi matrimonii solutionem attinet, fornicationem carnis & fornicationem spiritus, & asserere, neutro casu, parte una recedente, sive quia fornicata est carne aut spiritu, alteri ad alia vota transire licere?,"

XCVI. R. Non tantum potuit, sed etiam debuit Aug. simpliciter & generaliter dicere, verba Domini nullam pati exceptionem, etiam si, dum infidelis legitime non vult cohabitare, matrimonii vinculum solvatur, aut solubile fit. Ratio in promptu est: quia, dum infidelis parti conversæ non vult legitime cohabitare, in isto casu pars conversa non dimittit infidelem, ut per se patet, sed dimittitur ab infideli; Dominus autem, in isto loco, non agit de eo, qui dimittitur, sed, qui dimittit: *Si uxor, inquit, dimiserit virum suum, & alteri nupserit, mœchatur, & omnis, qui dimiserit uxorem, & alteram duxerit, mœchatur.* Quæ verba, ut su-

pra dixi, nullam patiuntur exceptionem, cum etiam in nostra sententia verum sit, quod fidelis, dimittens infidelem, legitime volentem cohabitare, seu a quo, saltem æquivalenter, non dimittitur, si alteri nupserit, mœchetur. Sed quid hoc ad casum Apostoli?

XCVII. At, inquit dissertator pag. 21. (70.)  
 „ Si Pollentius credidisset parte infideli discedente, parti fideli jus esse aliud connubium ineundi, hoc ipsum non parum ejus causam juvasset... Siquidem potuisset hic dicere Pollentius: juxta te, propter fornicationem spiritus, dum pars infidelis cohabitare non vult, solvitur vinculum matrimonii; ergo etiam propter fornicationem carnis, dum pars eo sine fornicatur, ut non cohabitet, solvetur vinculum matrimonii. „

R. Offendisset profecto Pollentius se non polleere ingenio, si eo modo fuisset argumentatus, quo ipsum potuisse argumentari dissertator asserit, utpote, qui in positivis existimasset argumentari se posse *a pari*. Cum ergo hoc argumentum non objecerit Pollentius Augustino, sed mihi potius, sub nomine Pollentii, illud videatur dissertator objicere, respondeo, disparitatem esse, quod unum Dominus prohibeat, alterum autem, teste Apostolo, permittat. Quid ad hoc respondisset Pollentius, si hujusmodi argumentum Augustino proposuisset, & ab ipso simile responsum accepisset? Nemo non videt, quod probare debuisset contra Augustinum, non magis unum a Domino permitti, quam alterum. Idem ergo probandum incumbit dissertatori, qui, sub nomine Pollentii, illud mihi argumentum implicate proponit.

XCVIII. Frustra ergo dicit ibidem, quod „ male omnino confutasset Augustinus Pollentium,

„ si, in aliquo casu possibili, matrimonii vinculum propter infidelitatem solvi posset. „ Ex quo enim capite illum male confutasset, cum jam ostenderim ab uno casu ad alium duci nullatenus posse argumentum, seu nullatenus posse inferri, quod ratione adulterii solvatur vinculum matrimonii, etiamsi solvatur, aut solubile fit, dum parti conversæ renuit infidelis cohabitare ?

XCIX. Addit, quod Aug. „ asserat vinculum „ matrimonii perpetuo subsistere, solaque morte „ unius partis solvi „ ad quod probandum citat Augustinum lib. 2. de adult. conjug. cap. 3. num. 4. At, si aliquid inde velit conficere, dicat ergo, juxta Aug. non nisi sola morte naturali, de qua ibidem agit, matrimonium ratum, non consummatum, dirimi, quod est erroneum. Itaque

R. Sicut statuit Aug. sola morte matrimonium solvi, ita docet solo baptismo catechumenis peccata dimitti : *Quantumcumque*, inquit tract. 13. in Joan. *Catechumenus proficiat, adhuc sarcinam iniquitatis suæ portat : non illi dimittitur, nisi quando venerit ad baptismum.* Atqui inde non potest dissertator inferre, quod, juxta Aug., catechumenus, perfecta charitate præditus, ante realem sacramenti susceptionem non justificetur, cum hic sit error ab ecclesia damnatus; ergo nec potest ex textu, quem citat, deducere, quod juxta Aug. vinculum matrimonii non solvatur in casu Apostoli. Sicut ergo, dum ait Aug. non dimitti catechumeno sarcinam iniquitatis, nisi quando venerit ad baptismum, agit de communi, seu consueto justificationis cursu, ita, dum docet sola morte matrimonium solvi, de illa solutione agit, quæ fit secundum generalem & ordinariam legem, & juxta quam

utique mors sola matrimonium solvit, & *nuptius viri posterioris mulier uxor esse incipit, nisi prioris esse deserit*, prout dicit Aug., quem citat dissertator, ac proinde in fumum abeunt, quacumque ibidem conegit.

C. Ne interim aliquid intactum reliquisse videamur, dissertatoris verba subijciamus. "Deum, „ inquit, instituisse secundas nuptias, ut per „ has priores solveret, non credimus; nec id „ rationi, aut menti ecclesie consentaneum videtur; nam sacri canones secundas fidelium „ nuptias certo sensu semper improbarunt; „ imo & secundo nubentibus penitentiam quamdam imposuerunt, ut patet ex *can. 7. synodi Neo-Cæsariensis*, irregularitate bigamos „ notantes.,

R. Si hoc menti ecclesie consentaneum non videatur, quomodo igitur dispersa toto orbe ecclesia, quotiescumque casus contingit, ad secundas nuptias illum admittit, quem in odium fidei pars infidelis deserit? Propono itaque dissertatori hoc dilemma: "Vel ecclesia, in casu „ Apostoli, partem conversam ad secundas nuptias admittens, agit contra propriam mentem, „ vel non. Si contra illam non agat; ergo menti ejus consentaneum est, quod dissertator dicit non esse consentaneum, & consequenter „ non subsistit ejus assertio. Si contra illam agat; ergo dispersa toto orbe ecclesia in isto casu nihil aliud est, quam illius, quod „ ipsi dicat conscientia, pravaricatrix continua „ Admittet ne hoc quispiam?

CI. Quamvis igitur, ut dissertator recte advertit, sacri canones secundas fidelium nuptias, certo sensu, semper improbarint, non ideo dici potest ecclesiam non sensisse, in casu Apostoli, **matrimo-**

matrimonium dirimi, quandoquidem, in casu isto, a secundis nuptiis, (si aliud non obstabat) neminem unquam repulerit; sed inde tantum potest erui, quod, ecclesia majorem in filiis suis perfectionem exoptasset, seu maluisset, ut privilegio sibi concessio non uterentur. Expendimus dissertatoris argumentum ab auctoritate, seu a sensu ecclesiæ: illud modo discutiamus, quod desumit a ratione.

CII." Ratio, inquit pag. 23. (72.) etiam simile  
 „ quid non patitur. Quid? Sola voluntas secundas nuptias ineuntis sufficiet, ut primas dirumpat, & actus similis, qui contractum illum naturalem & sacrum efficit, etiam ille erit, per quem ejusdem contractus dissolutor quis constituetur? Profecto idem hoc est, ac si quis diceret, rem constitui per illud, quod ejus essentiam destruit. „

R. Si quid probet hujusmodi argumentum, hoc utique iterum probat, quod ante jam dixi in aliquo simili, scilicet, ne per Deum quidem, in casu Apostoli, posse matrimonium solvi, quia ne per Deum quidem fieri potest, ut *res constituatur per illud, quod ejus essentiam destruit*. Placet ne hoc dissertatori? Reflectere debuisset, quod non ex natura rei, neque in vim secundi contractus nuptialis, qua talis, asseramus, in casu Apostoli, primum dissolvi, sed ex sola voluntate Dei, qui utique, quod conjunxit, ubi vult, quando vult, & quomodo vult, solvit. Ad hoc, inquam, reflectere debuisset, & ita non fuisset contumaciatus: vidisset enim, quod, quamvis sic non possit, ut *res constituatur per illud, quod ejus essentiam destruit*, nullatenus tamen impeditur, quominus, ex voluntate Dei, primus contractus nuptialis solvatur, dum a parte conversa secundus inicitur.

CIII. Deinde, numquid posset princeps supremus statuere, ut, si emptor prædii infra annum non solverit pretium, possit venditor illud alteri vendere, sic, ut secunda venditione prima solvatur? De hoc nullatenus dubito. Quis autem, in isto casu, dixerit, quod *res constituarur per illud, quod ejus essentiam destruit*? Quod *sola voluntas prædium secundo vendentis sufficiat, ut primam venditionem dissolvat*? Nugæ. Debuisset dissertator probare, quod, in casu nostro, similis Dei voluntas non interveniat, & non in ejusmodi ratiociniis, nihil significantibus, operam perdere. Sed redeamus ad Augustinum.

CIV. Asserit dissertator pag. 23. (72.) absolutam matrimonii insolubilitatem adstruxisse Augustinum *Lib. de fide & oper. cap. 16.*, quia hæreticis quibusdam, qui contendebant solam fidem prodesse ad salutem, & ad hoc probandum allegabant verba Apostoli: *Quod si infidelis discedit, discedat &c.*, in hunc modum respondet: "Non attendunt, *eo modo* illam rectissime dimitti, si viro suo dicat, non ero uxor tua, nisi mihi vel de latrocinio divitias congeras, aut nisi solita lenocinia, quibus domum nostram transigebas, etiam Christianus exerceas; aut si quid aliud vel facinorosum vel flagitiosum in viro noverat, quo delectata, vel libidinem explebat, vel facilem victum habebat, vel etiam incedebat ornatio: tunc enim ille, cui uxor hoc dicit... procul dubio plus tenebitur amore divinæ gratiæ, quam carnis uxoriæ, & membrum, quod eum scandalizat, fortiter amputat."

CV. R. Si Aug. hoc in loco adstruxerit *absolutam matrimonii insolubilitatem*, ergo negavit per professionem religiosam matrimonium ratum non consummatum dissolvi, quia, quod *absol-*



itate est insolubile, nullo casu solvitur: atqui hoc certo dici non potest, ergo nec illud. Certe, si aliquid probent præfata Augustini verba, non absolutam matrimonii indissolubilitatem, sed ejusdem potius dissolubilitatem probant, cum terminus *amputat*, quo Augustinus utitur, ideam ingerat dissolutionis, non minus realis & perfectæ, quam sit dissolutio membri, quod, a corpore amputatum, nullo amplius vinculo ipsi conjungitur. Unde, si alterutri, non adversario, sed mihi favet locus iste: adeo in suis probationibus ipse felix est!

CVI. Notat dissertator pag. 24. (73.) "Augustinum hoc in loco hæc Apostoli verba: *Si infidelis discedit, discedat*, perinde accepisse, ac si verbum illud *discedat*, ad fidelem pertineret &c. Quod, inquit, manifeste indicant hæc verba: *Id est, ut propter fidem Christi, etiam ipsa uxor, legitima societate conjuncta, sine ulla culpa relinquatur*, quæ omnino refferri debent ad partem fidelem.,"

R. Si hæc scripserit dissertator, omnino oblitus est pag. 24. (73.) eorum, quæ scripserit pag. 23. (72.) Ibi siquidem docuerat hanc esse objectionem hæreticorum, quam sibi proponit Augustinus. Verba ipsius sunt: "Occasio erat objectio aliorum, qui contendebant fidem sine operibus prædesse ad salutem, quam cap. 16. num. 28. sibi his verbis proponit. Quam ob rem ubi Apostolus dicit: *Quod si infidelis discedit, discedat; non enim servituti subjectus est frater aut soror in hujusmodi*; id est, ut propter fidem Christi, etiam ipsa uxor legitima societate conjuncta sine ulla culpa relinquatur, si cum viro Christiano, propter hoc quia Christianus est, permanere noluerit.," Ecce clare propositam hæreticorum objectionem, ad quam,

inquit differtator ibidem? respondet Aug. *Non*  
 „ *attendunt* &c., Quomodo igitur potest ex  
 verbis supra relatis asserere, Augustinum Apo-  
 stoli verba perinde accepisse, ac si verbum illud  
*discedat*, ad fidelem pertineret, cum ipsemet  
 asserat hanc esse hæreticorum objectionem, quam  
 sibi Aug. proponit?

CVII. Sed ne simus tam rigidi censores, &  
 concedamus, quod verbum *discedat*, juxta Aug.,  
 fidelem respiciat; quid inde sequetur?

„ Si ly *discedat*, inquit, partem fidelem res-  
 „ piciat, adeo, ut etiam ipsi fas sit eo casu  
 „ recedere, quod ante, *obstante præcepto Apo-*  
 „ *stoli*, ipsi fas non erat; discessus autem, de  
 „ quo ante, non vinculi solutionem, sed solam  
 „ habitationem respiceret, prout & fatetur dif-  
 „ fertator, clarum est & hanc desertionem,  
 „ quæ jam, discedente parte infideli, parti fi-  
 „ deli licita est, solam habitationem respicere.,

R. Neg. suppositum, quod ex verbo *discedat*,  
 secundum se sumpto, & independenter a cir-  
 cumstantiis, probemus matrimonium solvi, sed  
 ex eo maxime probamus, quod dixerit Aposto-  
 lus, sine ulla exceptione, non esse servituti  
 subjectum fratrem aut sororem in hujusmodi,  
 nec amplius addiderit, quod pars fidelis, disce-  
 dente infideli, manere deberet innupta, quod  
 tamen antea sedulo monuerat, agendo de mu-  
 liere, a viro suo discedente, ad quam probatio-  
 nem, ut ante jam dixi, non respondit differ-  
 tator.

CVIII. Quærit pag. 25. (74.) „ de qua deser-  
 „ tione egerint illi, contra quos agit Aug., &  
 „ quam existimabant parti converiæ fore lici-  
 „ tam? An talis esset ista desertio, quæ simul  
 „ esset vinculi solutio, an vero talis tantum

„ effet, qua partem fidelem liberam volebant  
 „ ab obligatione tori & habitationis? „

R. Quod de nulla *determinate* egerint, sed simpliciter probare voluerint, quantum valeat sola fides, quia scriptum est: *Quod si infidelis discedit, discedat*, abstrahendo, utrum ille textus deberet intelligi de solutione vinculi, an vero solius habitationis & tori, quod utique ad eorum scopum erat prorsus impertinens. Unde etiam generaliter & indeterminate respondit Aug., non significans ibidem utrum de solutione vinculi, an non, Apostolus intelligeretur, quia de ista quaestione ibidem non agebatur. Tantum ergo abest, ut in isto loco Aug. *adstruat absolutam matrimonii insolubilitatem*, prout asserit differtator, ut illius ibi nequidem meminerit, prout patet legenti textum.

CIX. Rursus & eodem cum successu opponit pag. 26. (75.) Augustinum lib. cont. Adimant. cap. 3., ubi asserit, quod propter regnum cælorum relinquenda sit uxor, ad quod confirmandum citat Apostolum, dicens: „ Sicut Aposto-  
 „ lus dicit: *Si quis fidelis habeat uxorem infide-*  
 „ *lem, & hæc consentit habitare cum illo, non*  
 „ *dimittat eam.* Significat utique, quod si non  
 „ consentit habitare cum illo, id est si execra-  
 „ tur in illo fidem Christi, & non eum pati-  
 „ tur, quod Christianus est, relinquenda est  
 „ propter regnum cælorum: sicut idem Apo-  
 „ stolus in sequentibus dicit: *Quod si infidelis*  
 „ *discedit, discedat; non est enim servituti subje-*  
 „ *ctus frater aut soror in hujusmodi.* Si quis er-  
 „ go relinquit regnum cælorum, dum non vult  
 „ relinquere uxorem non ferentem Christia-  
 „ num virum, improbatur a Domino; & item,  
 „ si quis vir relinquit uxorem, dato libello re-  
 „ pudii, cum causa non existit, aut fornica-

tionis, aut obtinendi regni cælorum, simili-  
ter improbat a Domino. „

CX. Notat dissertator ibidem, quod „Augusti-  
nus in hoc loco pari modo loquatur, prout  
„ præcedenti. „

R. Nihil hoc asserto verius. Loquitur sane  
hoc in loco Aug. eo modo, quo in præcedenti  
locutus est; quia, sicut in præcedenti ne ver-  
bum quidem habuit, quo absolutam, seu pro  
omni casu matrimonii insolubilitatem significa-  
ret, prout jam ostendi, ita nec in hoc vel mi-  
nimam absolutæ illius, seu pro omni casu in-  
solubilitatis mentionem facit, ut vel ex ipso  
textu allegato manifestum est. In hoc dicitur  
quidem, quod propter regnum cælorum dimit-  
tenda sit uxor, & quod tamen, cum causa non  
existit, improbetur a Domino, qui eam dimit-  
tit, sed, ut in variis aliis petii, iterum peto:  
Quanam est hæc sequela: „ Juxta Aug. dimitten-  
„ da est uxor propter regnum cælorum, & si-  
„ mul, qui eam sine causa dimittit, improba-  
„ tur a Domino: ergo juxta Augustinum ab-  
„ solute & in omni casu matrimonium est in-  
„ solubile? „ Ne Argus quidem istius sequelæ  
in Augustini verbis vel umbram conspexerit.

CXI. Porro censuisse Augustinum in casu A-  
postoli matrimonium solvi, dissertationis meæ  
pag. 42. & seq. hoc ratiocinio probavi. Juxta  
Aug. Apostolus dumtaxat consulit, ut fidelis  
conjugem infidelem cohabitare volentem non  
dimittat; ac proinde non tenetur fidelis cum  
eo remanere, sed potest illum, quoad habita-  
tionem & torum deserere, quandoquidem con-  
siliium nullam imponat obligationem; ergo, jux-  
ta Aug., liberatio a servitute, de qua loquitur  
Apostolus, dum dicit servituti non esse subje-  
ctum fratrem aut sororem, & quam restringit

ad casum, quo a parte fideli discedit infidelis, non intelligitur de servitute, qua tenetur uxor viro & vir uxori debitum reddere, illique cohabitare, sed de servitute, qua tenetur uterque conjux, altero vivente, aliud matrimonium non inire, & a qua servitute partem conversam, discedente infideli, Apostolus pronuntiat liberam.

CXII. Prob. conf. Juxta Aug. liberationem a prima servitute, seu ab ea, qua tenetur uxor viro & vir uxori debitum reddere illique cohabitare, jam habet pars conversa, etiamsi non discedat infidelis, sed illi cohabitare consentiat, prout supra vidimus: ergo juxta Aug. dum Apostolus dicit, quod, discedente infideli, non sit servituti subjectus frater aut soror, de illa servitute non agit, a qua pars fidelis jam est libera, etiamsi non discedat infidelis, sed de alia, a qua demum liberatur, dum infidelis discedit.

CXIII. Sane, necessario sequitur, quod illa liberatio a servitute, quam restringit Apostolus ad casum, quo a parte conversa discedit infidelis, non sit illa liberatio, quam pars conversa jam habet, etiamsi infidelis non discedat; ergo est alia liberatio, quam non habet, dum infidelis ei cohabitare consentit, & quam habet, si ab ea discedat. Quænam est autem, juxta Aug. illa liberatio, quam habet pars fidelis, dum ab ea discedit infidelis, & quam non habet, dum illi cohabitare consentit? Nulla sane alia est, quam liberatio ab illa servitute, qua tenentur conjuges, altero vivente, ad secundas nuptias non transire; quandoquidem liberationem ab alia servitute, qua tenetur uxor viro & vir uxori debitum reddere, illique cohabitare, juxta Aug. habeat pars fidelis, indepen-

denter a discessu partis infidelis. Ita, inquam dissertationis meæ loco citato, ratiocinatus sum.

CXIV. Quam autem efficax sit istud ratiocinium, patet ex responso dissertatoris, qui ad illud nihil aliud reponere potuit pag. 12. (61.) quam dicendo: " Imo vero, de eadem (servitute) agit Apostolus, de qua dixerat: *Ego dico, non Dominus: Si quis frater uxorem habet infidelem, & hæc cõsentit habitare cum illo, non dimittat illam.* De illa proinde servitute agit, quam quidem Dominus non præceperat, sed quam ipse Dei spiritu inspirante convenienter consuluerat.,"

R. Perinde est, ac si diceret, Apostolum agere de servitute, quæ est servitus, quia, quod ex mero consilio quispiam agit, & in ejus potestate illud agere & non agere, nullo profusus sensu servitus dici potest. Dari quidem potest alicui consilium, ut in existente servitute maneat, sed ipsi non potest consuli, ut maneat in servitute, quæ non existit, est siquidem implicancia in terminis: atqui, juxta Augustinum, non existit illa servitus, qua teneatur fidelis manere cum infideli, etiam cohabitare volente; ergo &c.

CXV. Pergit dissertator: " Totum, quod hic Apostolus velit, est, partem fidelem, dum conjux infidelis discedit, liberam esse a consilio seu præcepto, quod ipse dederat, adeoque ab alia servitute, respectu habito ad præceptum Apostoli, a qua demum liberatur, dum infidelis discedit, licet de eadem, respectu habito ad præceptum Domini, jam ante esset libera, utpote quod tali casu non adesse adseruisset Apostolus,,"

R. Si obscurum illum clarissimi dissertatoris textum intelligam, nihil aliud continet, quam

quod ante dictum est, ut proinde aliud necesse non sit respondere. Totum itaque, quod hic Apostolus vult, est, partem fidelem, dum conjux infidelis discedit, liberam esse ab obligatione, qua constringebatur, dum infidelis non discedebat, prout naturalis & obvius verborum sensus importat. Quid enim obvie & naturaliter significant hæc verba: *non enim servituti subiectus est frater aut soror in hujusmodi*, nisi quod in hujusmodi casu amplius non maneat obligatio, quæ manebat in alio.

CXVI. Sane servitus, de qua hic agitur, concipi non potest absque ulla obligatione, ita, ut, si omnem obligationem tollas, necesse sit ipsam quoque servitutem tolli, & viceversa: atqui tollit Apostolus servitutem, dum dicit: *Non enim servituti subiectus est frater &c.*, ergo tollit obligationem. Quam obligationem? Utique illam, quæ aderat, ut per se patet, & non illam, quæ non aderat. Atqui juxta Aug., ex professo hoc probantem contra Pollentium, non aderat respectu fidelis obligatio cohabitandi, etiam si cohabitare consentiret infidelis, quandoquidem, fatente etiam disertatore, hoc non præcipiat Dominus; ergo de illa, juxta Aug., non agit Apostolus, dum dicit, discedente infideli, non esse servituti subiectum fratrem aut sororem, sed de illa, qua tenebatur alias nuptias non inire, dum infidelis pacifice volebat cohabitare, & quam, ipso discedente, solutam declarat. Hoc si non sit peremptorium, nescio quid umquam tale sit futurum.

CXVII. Instat interim disertator pag. 27. (76.) &, ut nullum, inquit, de mente Augustini dubium supersit, adfert concilium Africanum VII., anno 407. habitum, cui interfuit Augustinus, & in quo conceptus est canon sequens,

qui in codice Africanæ ecclesiæ est 102. *Placuit, ut secundum evangelicam & apostolicam disciplinam, neque dimissus ab uxore, neque dimissa a marito alteri jungatur. Ita maneat, aut sibi concilientur, quod si contempserint, ad pœnitentiam redigantur. In qua causâ legem imperialem petendum est promulgari.*

CXVIII. At doleo, quod hisce refellendis debeam tempus impendere. Nonne videt dissertator, quod ibi agatur de matrimoniis Christianorum inter se? Nonne hoc evidentissime expriment concilii istius patres, dum dicunt: *Quod si contempserint, ad pœnitentiam redigentur?* Redegit ne umquam, aut potestne ecclesia infideles, sibi non subiectos, ad pœnitentiam redigere? Neutiquam, sed debet respectu eorum cum Apostolo I. ad Cor. 5. dicere: *Quid enim mihi de iis, qui foris sunt, judicare.* Atqui tamen, si non ageretur de matrimoniis Christianorum inter se, infideles perinde ac fideles ad pœnitentiam redigeret ecclesia, quandoquidem agendo de illis matrimoniis, de quibus in hac quæstione est sermo, tam posset esse infidelis dimissus a fidei, quam fidelis ab infidei, & tam dimissum, quam dimissam generaliter redigeret ad pœnitentiam; ergo quam certum est, quod ecclesia non nisi Christianos possit ad pœnitentiam redigere, tam certum est, quod non agat concilium istud, nisi de matrimoniis Christianorum inter se.

CXIX. Merito autem in hac causa censuit *legem imperialem petendum esse promulgari*, nempe, ut suum decretum tanto efficacius mandaretur executioni. Notum enim est, quod sint & esse debeant imperatores & reges Christiani ecclesiæ defensores & protectores: illam autem non parum protegunt & defendunt, dum ejus



decretorum executionem urgent, de quo intelligitur illud Augustini lib. 3. cont. Cresconium cap. 51. *In hoc reges, sicut eis divinitus præcipitur, Deo serviunt, si in suo regno bona jubeant, mala prohibeant, non tantum, quæ pertinent ad humanam societatem, sed etiam, quæ ad divinam religionem.*

CXX. Pag. 28. (77.) Iterum repetit dissertator, quæ alibi inculcaverat, dicens ibidem: "Itaque sententia adversariorum favere videtur hæreticis contendentibus per adulterium matrimonii vinculum solvi."

R. Ergo saltem per septem sæcula visa est ecclesia toto orbe dispersa hæreticis favere, quia saltem tanto tempore docuit, in casu Apostoli, matrimonium dissolvi. Potestne quidpiam magis temerarium dici? Hoc tamen necessarie sequitur, si dissertatoris assertio subsistat. Sed videamus, qua de causa favere videantur hæreticis, qui communem ecclesiæ sensum defendunt, seu qui, in isto casu, matrimonium dirimi asserunt.

CXXI. Illam ibidem assertert dissertator. "Si enim, inquit, ex Augustino semel constat, seu ex aliis patribus, seu ex generali ecclesiæ praxi.. fornicationem spiritualem, vel in aliquo casu possibili matrimonii vinculum dissolvi; qui contra ipsos probabitur fornicationem carnalem illud ipsum, in aliquo casu, non efficere? Cum Augustinus de utraque fornicatione eodem modo loquatur, eademque ponat momenta rationis?"

R. Tenuis profecto theologus, qui illam non videt, quam supra disparitatem dedi, nempe, quod unum Dominus in evangelio prohibeat, aliud vero, promulgante Apostolo, permittat. Deinde, ut iterum, licet non sine tædio, repe-

tam, quod ante dixi, fornicatio spiritualis matrimonii vinculum non dissolvit, sed, ut possit dissolvi, requiritur, ut a parte fidei discedat infidelis, cum in isto tantum casu dixerit Apostolus: *Non enim servituti subiectus est frater aut soror.*

CXXII. Neque etiam verum est, quod dissertator asserit, nempe, quod *Augustinus de utraque fornicatione eodem modo loquatur, eademque ponat momenta rationis*: Ubi enim, & quando fornicationem carnalem cum spirituali comparans, vel a longe significavit Aug., non magis in casu Apostoli quam in casu adulterii posse matrimonium dirimi? Proferat dissertator verba Augustini, si ipsum legerit, si non legerit, desinat dicere, quod *Augustinus de utraque fornicatione eodem modo loquatur, eademque ponat momenta rationis*, scilicet quoad omnia, prout ipse intelligit. Vibratam igitur in me sagittam in vibrantem retorqueo.

CXXIII. Docet Trid. matrimonium ratum per solemnem in religione approbata professionem dissolvi; ergo viam sternit ad hunc errorem, quod saltem matrimonium ratum adulterio dissolvatur, iisque favet, qui hoc vellent contendere, quia, *si vel in aliquo casu possibili constet matrimonium ratum non consummatum dirimi, qui probabitur adulterium illud ipsum non efficere*? Potestne catholicus quispiam admittere hanc sequelam? Est tamen argumentum hoc argumento dissertatoris per omnia simile.

CXXIV. A sanctis patribus, quorum ne quidem unum potuit invenire, qui diceret, in casu Apostoli non esse licitum parti conversæ alias nuptias inire, ut patet lectori, pergit dissertator ad imperatores pag. 29. (78.) & seq.

Objicit itaque, quod imperatores, Constanti-

nus magnus, Honorius & cæteri, qui de divortiorum causis plures ediderunt constitutiones, casus Apostoli non meminerint, & inde infert pag. 31. (80.) nostram *verborum Apostoli interpretationem ad sextum usque seculum incognitam prorsus & inauditam fuisse.*

CXXV. R. Prudentiores sane erant imperatores, quam ut inter divortiorum causas, ab ipsis recensitas, casum Apostoli collocarent. Causas siquidem, ob quas matrimonium solvi permittebant, *non ex doctrina Christi*, ut ait dissertator, *sed ex moribus Romanis* trahebant, quas *pro morbo reipublicæ statu* permittere & mutare se posse arbitrabantur, prout exigebant circumstantiæ, sicut reipsa de divortiiis varia mutavit Justinianus, prout novit dissertator. Causa autem matrimonium dissolvendi, in casu Apostoli, aliunde proveniebat, nimirum a traditione divina, quam nobis promulgavit Apostolus, ac proinde stabilis erat & perpetua, seu a nulla potestate humana dependens. Obstabat ergo innata sacris imperatoribus prudentia, quominus inter divortiorum causas, quas in suis constitutionibus recensebant, & pro illius temporis ratione tolerabant, ac circumstantiarum varietate mutabant, & quæ, fatente pag. 29. (78.) dissertatore, erant *contra legem Christi*, casum Apostoli constituerent, quandoquidem privilegium ad secundas nuptias convolandi, quod isto in casu Christus concessit, non pro morbo alicujus *reipublicæ statu*, ut loquitur dissertator, *sed in favorem fidei* esset datum, & usque ad consummationem seculi duraturum.

CXXVI. Quod dixi de imperatoribus, idem quoque dicendum de variis conciliis, quæ refert dissertator pag. 31. (80.) & seq., & in quibus varia divortia tolerata sunt, *quæ modo*

*ab ecclesia improbantur*, nec tamen de casu Apostoli mentio facta est. Nöluerunt scilicet istorum conciliorum patres miscere sacra prophanis, prout etiam non conveniebat; nöluerunt, inquam, inter ea, quæ mere tolerabant, & quæ modo ab ecclesia improbantur, loqui de solutione matrimonii, quæ fieri potest in casu Apostoli, cum nimis foret ipsis persuasum eam talem non esse, quæ inter res mere toleratas posset constitui, aut ab aliqua potestate unquam improbari.

CXXVII. Objicit etiam pag. 32. (81.) Quod Bonifacius martyr, archiepiscopus Moguntinus, prætensam hanc in casu Apostoli exceptionem, non minus quam cæteri, penitus, ignoraverit, cum in statutis anno 745. editis, ita loquatur: *Admoneat etiam unusquisque presbyterorum publice plebem, ab illicitis connubiis abstinere, & secundum Dei mandatum legitimum conjugium nequaquam posse ulla occasione separari, excepta fornicationis causa, nisi cum consensu amborum, & hoc propter servitium Dei.* Quæ verba exponens dissertator dicit: "Mani-  
,, festum est Bonifacium hic agere de separa-  
,, tione quoad torum, & non de solutione vin-  
,, culi.,"

CXXVIII. R. Non minus manifestum est, quod dissertator in causæ suæ favorem Bonifacium citans, tantum hallucinetur, quantum potest quis maxime. Si enim, quod nullatenus inficior, agat hic Bonifacius de *separatione quoad torum & non de solutione vinculi*, certum est, quod non agat de casu Apostoli, quandoquidem in casu isto, etiam juxta dissertatorem, possit legitimum conjugium separari quoad torum, licet fornicationis causa non interveniat. Atqui tamen asserit Bonifacius *legitimum conju-*

gium nequaquam posse ulla occasione (quoad torum) separari, excepta fornicationis causa; ergo in toto illo contextu de casu Apostoli non agit Bonifacius, sed dumtaxat de causa separationis perpetua quoad torum, quæ causa perpetua non est, nisi alterutrius conjugis fornicatio, vi cuius fit, ut v. g. maritus adulteræ sic eam possit ejicere, ut nequidem emendatam debeat recipere. Nec refert, quod dicat *ab illicitis connubiis abstinendum*: quænam enim iterum est hæc sequela: "Monet Bonifacius, ab illicitis connubiis abstinendum; ergo monet, quod, in casu Apostoli, aliud non liceat inire connubium? Nemo sane est nostrum, qui idem non dicat, quod sanctus ille martyr.

CXXIX. At, inquit dissertator pag. 33. (82.) *Illicita connubia vocat, quæ alterutro ex conjugibus vivente, ineuntur, & ab iis abstinendum esse docet.*

R. Merito hoc docet: qui enim non possunt a suis conjugibus ulla occasione separari, excepta causa fornicationis, illi non sunt, de quibus dicit Apostolus: *Quod si infidelis discedit, discedat, non enim servituti subiectus est frater aut soror in hujusmodi*, prout patet. Si itaque illi, de quibus loquitur Bonifacius, & de quibus non agit Apostolus, alterutro ex conjugibus vivente connubia ineant, adulteria perpetrant, a quibus abstinendum recte docuit Bonifacius.

CXXX. Cum autem meminerit dissertator S. Bonifacii martyris archiepiscopi Moguntini, abs re non erit unum etiam archiepiscopum Moguntinum proferre in medium. Is est Rabbanus Maurus, author seculi noni, cuius eruditionem tota novit ecclesia. Is porro tomo 5. pag. 311. col. 1. paulo post medium ita loquitur: "*Quod si infidelis discedit, discedat.*

„ Propositum religionis custodit, præcipiendo  
 „ ne Christiani relinquunt conjugia (hoc res-  
 „ picit immediate præcedentia) sed si infidelis  
 „ odio Dei discedit, fidelis non erit reus dis-  
 „ soluti matrimonii; major enim causa Dei est,  
 „ quam matrimonii: *Non est enim frater aut*  
 „ *soror servituti subiectus in hujusmodi*; hoc est,  
 „ non debetur reverentia conjugii ei, qui hor-  
 „ ret authorem conjugii: non enim ratum est  
 „ matrimonium, quod sine Dei devotione est,  
 „ ac per hoc non est peccatum ei, qui dimit-  
 „ titur propter Deum, si alii se junxerit: con-  
 „ tumelia enim Creatoris solvit jus matrimonii  
 „ circa eum, qui relinquitur, ne accusetur alii  
 „ copulatus. Infidelis autem discedens, & in  
 „ Deum & in matrimonium peccare dignoscitur,  
 „ qui noluit sub Dei devotione habere conju-  
 „ gium. Itaque non est ei fides servanda conjugii,  
 „ qui ideo recessit, ne audiret authorem esse  
 „ Christianorum Deum conjugii: nam si Hefdra  
 „ dimitti fecit uxores aut viros infideles &c.,  
 „ quanto magis, si infidelis discesserit, libe-  
 „ rum habebit arbitrium, si voluerit nubere  
 „ legis suæ viro? „

Dicet forte dissertator, quod & hic archie-  
 piscopus sequatur Ambrosiastrum, ut sic ejus  
 possit auctoritatem eludere (aliud siquidem non  
 solet dicere, dum non potest argumenta solve-  
 re) sed de hoc postea.

CXXXI. Ut præoccupet dissertator generale  
 responsum, quod ad ejus argumenta dari pos-  
 set, dicendo nimirum, illa esse negativa, &  
 consequenter hoc in casu nullius esse momenti,  
 cogitandum monet pag. 33. (82.) „ Validissimum  
 „ esse negativum argumentum, cum universale  
 „ formatur, & totam materiæ rationem coer-

„ cet

„ cet ; cogitet, inquit, quod cum nullus om-  
 „ nino scriptor æqualis, nullum prorsus tradi-  
 „ tionis monumentum æquale vel suppar alicui  
 „ doctrinæ vel facti præstet testimonium, tunc  
 „ ex eo silentio, maxime si 600., vel 700. an-  
 „ norum sit, efficacissimum desumatur argumen-  
 „ tum: alias enim nullus fabulas confutandi  
 „ superesset locus. „

CXXXII. R. 1<sup>o</sup>. Retorquendo argumentum.  
 Inter SS. PP. ne unus quidem est, qui, agens  
 de verbis Apostoli, *quod si infidelis discedit, dis-  
 cedat, non enim servituti subiectus est frater aut  
 soror in hujusmodi*, eo modo illa explicaverit,  
 quo explicat dissertator, ne unus, inquam, est,  
 qui illam immunitatem a servitute sic intelli-  
 gendam dixerit, ut tantum importaret liberatio-  
 nem ab obligatione cohabitandi, non autem li-  
 bertatem ad secunda vota transeundi; ergo eo-  
 rum constans perpetuumque super ista explica-  
 tione silentium, validissimum est argumentum,  
 quod dissertatoris explicatio non subsistat; alias  
 enim, cum juxta ipsum pag. 31. (80.) *casus similes  
 frequentissime occurrere deberent*, monuissent pro-  
 cul dubio & monere debuissent, quod, disce-  
 dente infideli, partem fidelem non eximeret  
 Apostolus ab obligatione ad alias nuptias non  
 transeundi, & consequenter, quod manere debe-  
 ret innupta.

CXXXIII. Dixi: *monere debuissent &c.*, quia  
 generalia sunt hæc Apostoli verba: *Non enim  
 servituti subiectus est frater aut soror in hujus-  
 modi*, natumque erat fieri, ut etiam a fideli-  
 bus generaliter, & de liberatione ab omnimo-  
 da matrimoniali servitute intelligerentur, si non  
 essent moniti, quod cum antedicta limitatione  
 essent intelligenda. Hoc autem ne unus quidem  
 SS. patrum præstitit; ergo dissertatoris explica-

tio non subsistit. Deinde, utrum fuerit tantum hac super re silentium, quantum asserit dissertator, visum est in antecedentibus, in quibus ostendi SS. Justinum, Ambrosium, Chrysostomum & Augustinum sensisse nobiscum.

CXXXIV. Cur autem SS. PP. in casu Apostoli libertatis ad secunda vota transeundi sapius & expressius non meminerint, difficile non est conicere: nam, ut recte advertit dissertator pag. 23. (72.) *sacri canones secundas fidelium nuptias certo sensu semper improbarunt*: ideo igitur noluerunt sancti patres sapius & expressius inculcare in casu Apostoli licitum esse fidei ad secundas transire nuptias, quia illas certo sensu improbant.

CXXXV. R. 2<sup>o</sup>. Si argumentum cum argumento comparetur, id est negativum cum positivo, debet procul dubio, cæteris paribus, positivum prævalere negativo. Cum ergo, juxta dissertatorem, ex negativo efficacissimum desumatur argumentum, *maxime si silentium 600. vel 700. annorum sit*, ex positivo desumetur efficacius, & maxime, si fuerit ejusdem ætatis: atqui a seculo duodecimo ad decimum octavum usque, constans fuit ecclesiæ doctrina, quod, in casu Apostoli, posset matrimonium dissolvi; ergo ex hoc tot annorum ecclesiæ testimonio, positivum & tam efficax desumitur argumentum, ut omnes negativi vires penitus elidat, illudque velut *telum imbelles & sine ictu* repellat. His adde, quod supra jam dixi, nempe quod SS. PP. de solutione matrimonii rati per professionem religiosam sapius non sint locuti, quam de solutione matrimonialis vinculi in casu Apostoli. Quid autem inde potest inferri, an forte, quod erraverit ecclesia, dum definivit illud dissolvi?



CXXXVI. In favorem sententiæ suæ adducit etiam disertator pag. 34. (83.) venerabilem Bedam, qui in caput 10. Marci ita commentatur. „Una solummodo causa est carnalis fornicatio, una spiritualis, timor Dei, ut uxor dimittatur, sicut multi religionis causa fecisse dicuntur: *Nulla autem causa est, Dei lege per-scripta, ut vivente ea, quæ relicta est, alia ducatur.* „ At respondi dissertationis meæ pag. 45. quod ibi iterum non sit casus Apostoli, quia, etiam supponendo, quod tamen verum non est, agere Bedam de infidelibus conjugibus, quorum unus convertitur, & alter non, equidem non agit de illis, qui a parte infideli dimittuntur, sed qui partem infidelem pacifice cohabitare volentem dimittunt, quo casu fatemur ipsis non licere aliud matrimonium inire.

CXXXVII. Reponit disertator ibidem me non reflectere, „ Bedam ly *discedat*, quemadmodum „ & Augustinus, non ad partem infidelem, sed „ ad partem fidelem referre: adeoque ipsum op-timo jure de parte fidei dixisse; in casu A-postoli non licere, ut vivente ea, quæ „ *relicta est*, alia ducatur. „

R. Ipse potius non reflectit, quod, etiam referendo ly *discedat* ad partem fidelem, nihilominus pars fidelis sit adhuc dimissa & non dimittens: agit tamen Beda de eo, qui uxorem dimittit, ut patet ex textu; ergo non agit de casu Apostoli, ad quem utique requiritur, ut pars fidelis in odium fidei dimittatur ab infideli. Major certa est, quia etiam referendo ly *discedat* ad partem fidelem, hæc non discedit, nisi quia infidelis primo discedens ipsam dimittit, nolendo ipsi cohabitare, vel non nisi cum injuria Creatoris. Ergo etiam facta relatione verbi *discedat* ad partem fidelem, hæc adhuc est dimiss-

fa & non dimittens, saltem virtualiter, de quo casu non agit Beda, sed de illo, quo fidelis dimittit infidelem pacifice cohabitare volentem, cum hoc solo casu pars infidelis possit esse pars, *quæ relicta est.*

CXXXVIII. Refert etiam dissertator pag. 35. (84.) textum Theophylacti, cujus memini dissertationis meæ pap. 46. & in hunc modum concludit pag. 36. (85.) Itaque verba: *satius est connubium, solvere, quam pietatem, melius est secedere, quam altercari*, solo nomine divortii explicat. Illud, autem intelligere de vinculi solutione, ab expressione patrum, sepositis circumstantiis, alienum est. At rectius dixisset, quod, sepositis circumstantiis, intelligere dumtaxat de separatione habitationis, id *solvere connubium, facere divortium*, a consueto istorum temporum loquendi modo esset alienum, quandoquidem, per se loquendo, per id *solvere connubium, facere divortium*, olim nihil aliud intelligeretur, quam solutio vinculi, prout novit dissertator.

CXXXIX. De cætero illum Theophylacti locum non citavi, ut nostram inde sententiam probarem, quamvis, ut jam videtur, facere id potuissem; sed, ut refutarem advocatum illum, qui in sua consultatione assererat se Theophylactum examinasse, & interim Theophylactum nequidem viderat, cum loco verborum Theophylacti, obruderet verba Cajetani, quorum nihil habetur in Theophylacto. Illum, inquam, non citavi, ut nostram inde sententiam probarem, sed, ut viderent adversarii, quibuscum tunc agebam, quid haberet, & *quantum ipsis faveret Theophylactus*, prout dixi loco dissertationis meæ supra citato.

CXL. Quærit dissertator pag. 39. (87.), *Qua fide, falsitatis accusem Fra-Paolo, referentem patrem*

„ Soto , cum in concilio Tridentino esset ,  
 „ multum operæ posuisse in verbis S. Pauli ex-  
 „ plicandis, neque veritum fuisse dicere, *melio-*  
 „ *rem* esse sensum Cajetani, quod illa etiam S.  
 „ Pauli separatio fidelis ab infideli, non intel-  
 „ ligatur quoad vinculum matrimonii, atque  
 „ rem esse a sancta synodo diligenter confide-  
 randam. „

CXLI. R. Illum falsitatis accuso, quia omnes  
 circumstantiæ clamant non tantum non conti-  
 gisse, sed nec, saltem moraliter loquendo, po-  
 tuisse contingere, quod refert Fra-Paolo. Sunt  
 autem hæ circumstantiæ.

Primo, Petrus Soto absolute & sine ulla du-  
 bitatione sustinebat, in casu Apostoli partem  
 conversam ad secundas posse nuptias transire;  
 dicit enim tract. de institutione sacerdotum cap.  
 12. *Ex quo etiam illud secundum probatur, quod*  
*scilicet, discedente infideli... liceat fideli contrahe-*  
*re matrimonium.* Fieri igitur non potest, ut non  
 veritus fuerit *dicere, meliorem esse sensum Cajeta-*  
*ni*, prout refert Fra-Paolo, quia, dum vir sen-  
 satus & prudens sententiam aliquam absolute  
 sustinet, numquam existimat, vel existimare  
 potest, opinionem suæ oppositam esse *verio-*  
*rem*; sustinebat autem Soto absolute & sine ulla dubi-  
 tatione, in casu Apostoli matrimonium dissol-  
 vi, prout jam vidimus; ergo sententiam suæ  
 oppositam nec existimavit, nec existimare potuit  
 esse *verio-*rem.

CXLII. Secundo, asserbat Soto eam, quam  
 tradebat, esse claram Apostoli doctrinam, sub-  
 dit enim: *Paulus enim aperte hoc docet*, nempe  
 in casu, de quo agitur, dissolvi matrimonium.  
 Dissertatoris conscientiam hic convenio. Fierine  
 potest, ut, qui existimat, & sustinet ab Apo-  
 stolo aliquid *aperte doceri*, oppositum dicat esse

*verius?* Hoc nimirum ferit humanum sensum. Ergo mecum fateatur necesse est, si ingenue velit loqui, falsum esse, quod refert Fra-Paolo.

CXLIII. Frustra dixeris, patrem Soto suam, in concilio Tridentino, mutasse sententiam, & adoptasse illam, quæ erat Cajetani, supposito, quod illa ipsius fuerit, quam ipsi tribuunt adversarii. Hoc, inquam, dici non potest, quia vel sententiam suam mutasset propter rationes, quas producebat Cajetanus, vel propter ejus auctoritatem.

Primum dici non potest, quia Cajetanus nullam produxit illius sententiæ rationem; ergo propter ejus rationes dici non potest Petrum Soto suam mutasse sententiam.

Multo minus asseri potest secundum: primo, quia si de auctoritate, seclusis rationibus, agebatur, major erat auctoritas S. Thomæ, quam Cajetani, prout optime noverat Soto; ergo, agendo de auctoritate, minorem non prætulisset majori, seu non deseruisset S. Thomam absolute docentem, quod in casu Apostoli solvatur matrimonium, ut sequeretur oppositam Cajetani sententiam.

CXLIV. Tertio, quia in materia dogmatis Petrum Soto non movebat auctoritas Cajetani, quod vel ex eo patet, quod loco supra citato deferat Cajetanum, ut communem sequatur ecclesiæ sensum. *Quamquam*, inquit lect. 12. *Cajetanus probabile putet, papam dispensare posse, ut dissolvatur (matrimonium fidelium non consummatum) & aliud contrahatur... ecclesia tamen hoc non recipit, nec unquam consuetum est.* Ergo propter Cajetani auctoritatem sententiam suam non mutavit Soto, maxime, cum fateretur Cajetanus, ecclesiam in illo sensu Apostoli verba intelligere, quo Soto illa intelligebat. Ita

siquidem loquitur scribens in cap. 7. 1. ad. Cor.  
 „ *Quod si infidelis discedit, ..... discedat, separe-*  
 „ *tur. Non enim servituti subiectus est frater aut*  
 „ *soror in hujusmodi: hoc est, in ejusmodi even-*  
 „ *tu non est servituti conjugii subiectus frater*  
 „ *vel soror... In hoc sensu communiter intelligit*  
 „ *hæc Pauli verba ecclesia.* Hinc enim intelli-  
 „ git liberum esse tam Christianum, quam  
 „ Christianam conjugem, si infidelis conjux se-  
 „ paretur, *ad contrahendum cum alio seu cum*  
 „ *alia conjugium.* „ Hæc tam clara, tam perspi-  
 „ cua sunt, ut asserere Petrum Soto sententiam  
 „ mutasse, propter Cajetani auctoritatem, sit in  
 „ ipsa luce meridiana cæcutire.

CXLV. Subolfecisse hoc videtur dissertator,  
 & ideo subdit pag. 41. (90.) „ Non diximus P.  
 „ Soto propter auctoritatem Cajetani hanc suam  
 „ priorem sententiam *totaliter* deseruisse. Potuit  
 „ namque, auctoritate Cajetani motus, dicere,  
 „ quæ dixit, licet paulisper adhuc in senten-  
 „ tia, quam ante docuerat, permaneret. „

ꝛ. Nolo hic par pari referre, nolo, inquam,  
 dissertatori reddere sua verba, quæ habet pag.  
 43. (92.) *Quis homo sani cerebri dixerit. &c.* Sed  
 simpliciter petam, utrum ad sua dicta reflexerit?  
 Potestne aliquis sententiam suam magis *totali-*  
 „ *ter* deserere, quam affirmativam mutando in ne-  
 „ gativam, seu negando, quod affirmaverat? Potest-  
 „ ne quispiam *permanens paulisper in sententia,*  
 „ *quam ante docuerat, nempe, Paulum aperte do-*  
 „ *cerè, in casu, de quo agitur, matrimonium*  
 „ solvi, dicere sententiam oppositam, seu, quæ di-  
 „ cit illud non solvi, esse *veriores*, sicut post Fra-  
 „ Paolo asserit dissertator Petrum Soto dixisse?  
 „ Ista sibi nimium adversantur, nec concipio, qui  
 „ in mentem dissertatoris cadere potuerint.

CXLVI. Sed & quomodo illud non timuit

afferere: *Potuit namque* (Soto) *authoritate Cajetani motus dicere, quæ dixit &c.* Cum ipsemet, qui authoritatem Cajetani hic, seu pag. 41. (90.) urget, dixerit pag. 37. (86.) quod Cajetanus, ut Paulum cum Domino conciliet, *magnas nugas agit?* Multum profecto laudat utrumque authorem, quem citat, dum unum dicat authoritate alterius, qui *magnas nugas agit*, potuisse moveri. Verba tamen sunt dissertatoris, qui ibidem, seu pag. 37. (86.) ita loquitur.

CXLVII. „ Hic Cajetanus quidem admittit  
 „ textum communiter exponi de solutione vin-  
 „ culi, sed simul asserit textum Pauli litterali-  
 „ ter hoc non sonare, licet propter communem  
 „ istam scholasticorum traditionem, quæ suo  
 „ tempore jam aliquas ecclesiæ provincias inva-  
 „ serat, videatur admittere Dominum hanc po-  
 „ testatem solvendi matrimonium tantum de-  
 „ disse marito propter fornicationem uxoris,  
 „ quam Paulus concedit utrique conjugii; adeo-  
 „ que, ut salvet istam sententiam, & Paulum  
 „ cum Domino conciliet, dubitanter magno co-  
 „ natu *magnas nugas agit*. Similis in eo ado-  
 „ lescenti, qui propter reverentiam patris,  
 „ præcepto patris, quod ipse non rectum putat,  
 „ obsequi videtur: sed non sine murmuratio-  
 „ ne. „ Ecce quomodo Cajetanum uno loco  
 „ tamquam nugatorem traducat, & ludibrio ex-  
 „ ponat, & in alio asserat, potuisse Petrum Soto,  
 „ celeberrimum, inquam, istum theologum, au-  
 „ thoritate illius moveri, ut diceret, quæ ab ipso  
 „ dicta refert Fra-Paolo, nempe *veriolem* esse illius  
 „ sententiam.

CXLVIII. Deinde non docuit Cajetanus in casu Apostoli matrimonium non dissolvi; ergo dicere non potuit Soto, qui illud dissolvi docebat, sententiam ejus *veriolem* esse, quam suam.

Antecedens probavi dissertationis meæ pag. 38., ubi, inter cætera, ostendi, quod Cajetanus non tantum admitteret ecclesiam hæc Pauli verba: *Quod si infidelis discedit, discedat: non enim servituti subiectus est frater aut soror in hujusmodi*, communiter intelligere de solutione vinculi, sed etiam hanc ejus interpretationem approbaret, dicens: „ Qui tamen *antiquo usu* „ sensum communem textus hujus firmatum „ credo: & *textus capax est hujus sensus communis.* „ Quomodo textus Apostoli, juxta Cajetanum, capax est illius sensus, in quo illum *communiter intelligit ecclesia*, si illum non contineat, & quomodo potest illum continere, si falsus sit communis ille sensus, quo ipsum ecclesia intelligit? Sane, ut ibidem dixi, asserere, quod aliqua propositio *hunc vel istum sensum nullatenus contineat*, & tamen quod *hujus vel istius sensus capax sit*, est implicantia in terminis. Atqui, ut vidimus, asseruit Cajetanus, quod textus Apostoli capax esset illius sensus, in quo illum *communiter intelligit ecclesia*; ergo existimavit, quod communem illum ecclesiæ sensum textus Apostoli contineret, seu, quod, juxta illum textum, solveretur matrimonii vinculum, prout intelligebat ecclesia, licet, ut ipse putabat, non tam clare hoc exprimeret Apostolus.

CXLIX Quomodo igitur dissertator pag. 37.(86.) de me loquens dicere potest: *Siquidem admittere debeat Cajetanum, attentis verbis prædictis, illius sententiæ fuisse*, quod non dissolveretur in casu Apostoli matrimonium, cum loco citato, non tantum hoc non admiserim, sed positive improbaverim, & ipse rationes meas nequidem ausus fuerit attingere. „ Hæc est itaque, ut „ dixi dissertationis meæ pag. 39., indubitata „ mens Cajetani, quod, sicut in ecclesia com-

„ muniter admittitur, in casu Apostoli matrimo-  
 „ nium solvi, ita etiam admitti deberet, per for-  
 „ nicationem alterutrius conjugum dirimi, cum,  
 „ ut ipse arbitratur, clara sint Christi verba,  
 „ quibus in hoc casu matrimonium dissolvi  
 „ pronuntiat, & tamen adeo clara non sint  
 „ verba Apostoli, utpote, qui expressis termi-  
 „ nis non dixit matrimonium solvi, sed tan-  
 „ tum in hujusmodi non esse subjectum fratrem  
 „ aut fororem servituti. Proinde a communi sen-  
 „ tentia non deflexit Cajetanus, sed eam po-  
 „ tius stabilivit, sustinens textum Apostoli ca-  
 „ pacem esse illius communis sensus, qui *anti-*  
 „ *quo usu ecclesiae* erat firmatus. „

CL. Ex dictis & probatis tanta patet eviden-  
 tia, quanta potest esse maxima, in concilio  
 Tridentino numquam dixisse P. Soto opinionem  
 Cajetani esse *veriorem* sua, neque etiam mo-  
 nuisse *rem esse a sancta synodo diligenter confide-*  
*randam*, cum nemo sani cerebri, qualis tamen  
 erat P. Soto, dicere possit diligenter consideran-  
 dum esse, utrum illud verum sit vel falsum, quod  
*Paulus aperte docet*. Atqui, ut vidimus, abso-  
 lute sustinebat Soto *Paulum aperte docere*, par-  
 tem conversam ad alias posse nuptias transire;  
 ergo &c. Itaque nullatenus admitti potest, quod  
 dicit Fra-Paolo, & in cujus autoritate se fun-  
 dat dissertator, utpote, qui, ut ex illustrissimo  
 domino Bossuet dixi dissertationis meae pag.  
 35., non tam fuit concilii Tridentini histo-  
 riographus, quam ejusdem *hostis declaratus*,  
 cujus proinde testimonium omni jure potest  
 repelli.

CLI. Ad hæc respondet pag. 40. (89.) „ Sint  
 „ ista vera, quoad ea, in quibus Pallavicinus ei  
 „ contradixit: quod vero hoc punctum attinet,  
 „ in quo adversarius eum mentitum esse &



publico imposuisse contendit, altum apud Pallavicinum est silentium: *ex quo silentio solidum nascitur argumentum, vera esse, quæ Fra-Paolo hic retulit.*

R. Qui pag. 17. (66.) me in *subtilitatibus scholasticis* dicit versatum magis, quam in *re historica*, ignorare non deberet, noluisse Pallavicinum omnes Fra-Paolo errores, sed graviores dumtaxat refellere, cum hoc ipsemet in apparatu ad historiam concilii Trid. declaret Pallavicinus cap. 5. num. 7. dicens; "Apud me statui sincere veritatem hic exponere, atque simul graviora mendacia refellere. Graviora, inquam, quia, quemadmodum non quæcumque vera sint, tanti sunt ponderis, ut mereantur posterorum memoris commendari, ita neque falsa quælibet tanti sunt momenti, ut operæ pretium sit eadem e posterorum fide depellere." Et cap. 7. "Jam prius monui mihi non esse propositum lectoribus exhibere molestiam singulis periodis refellendo, quidquid falsi dictum a Suavi mihi videbatur &c." Videtne modo dissertator, quam infundate dicat, ex silentio Pallavicini *solidum nasci argumentum, vera esse, quæ Fra-Paolo hic retulit.*

CLII. Ad autoritatem S. Thomæ, doctoris ecclesiæ, quam dissertationis meæ pag. 22. & seq. in favorem nostræ sententiæ adduxi, respondet pag. 41. (90.) quod "ab Innocentio III. separari non debeat; nam, inquit, sicut ejusdem autoritate in cap. 6. *de stat. monach.* motus est, ut voti solemnis indispensabilitatem, ut loquuntur, assereret, ita ejusdem autoritate in cap. 7. *de divort.* inductus est, ut crederet in casu Apostoli matrimonii vinculum solvi. Itaque, quæ quo-

„ ad hos duos casus docuit S. Thom., ad opinio-  
 „ nem Innocentii III. referri debent, quæ, si  
 „ non subsistere probetur, nihil ex S. Thoma  
 „ pro utroque hoc casu probari poterit.,

CLIII. R. Verum est, quod, si sententia  
 Innocentii III. probetur non subsistere, nec sub-  
 sistat sententia S. Thomæ, cum utriusque una  
 & eadem sit, quantum ad ea, quæ casum A-  
 postoli concernunt. Sed quomodo hoc probatur?

Probationem illam subdit ibidem dicens:  
 „ Nihil autem probare pro casu voti solem-  
 „ nis, putant multi, pari jure putamus & nos,  
 „ cum rem non evincere pro casu Apostoli.,

R. Utrum hæc serio potuerint dici, lector  
 dijudicet. Ut probeat dissertator, quod nec Inno-  
 centii III. nec S. Thomæ sententia subsistat, a-  
 deoque ex ea probari nihil valeat, dicit se *pu-  
 tare*, quod, in casu Apostoli, nihil evincat.  
 Dicat mihi, quæso, in qua patria obtineat,  
 ut aliquid *putare*, sit illud *probare*? Hæc ita-  
 que missa faciamus.

CLIV. Sed cur illud dissimulat, quod ibidem  
 proposui ex S. Th. 2. 2. q. 10. a. 12. *Ma-  
 ximam habet auctoritatem ecclesiæ consuetudo,  
 quæ semper est in omnibus æmulanda*, quam pro-  
 inde ipse est æmulatus, cum non esset de nu-  
 mero eorum, qui *dicunt & non faciunt*? Non  
 ergo deseruisset S. Th. ecclesiæ consuetudinem,  
 partem conversam ad secundas nuptias non ad-  
 mittendi, si qua talis ante tempora Innocentii  
 III. & Gratiani fuisset in ecclesia, præsertim  
 cum opposita, quæ, juxta adversarios, per Gra-  
 tianum & Innocentium III. fuisset introducta,  
 non fuisset nisi mera legis divinæ & naturalis  
 prævaricatio, quantocumque demum tempore  
 durasset. Non ergo sola Innocentii III. autho-  
 ritate motus docuit S. Th. in casu Apostoli

matrimonium solvi, sed quia optime noverat hunc esse sensum scripturæ, quem, in 1. ad Cor. 7. commentans, adferebat; ut proinde docuisset, quod docuit, etiamsi decretalis illa non exstitisset. Deinde, si ante tempora Innocentii III. & Gratiani alia fuerit in ecclesia consuetudo, quam nunc est, si aliter docuerint SS. PP. quam nunc docemus, cur ergo S. Th., qui antiquam ecclesiæ consuetudinem noverat, qui in lectione SS. patrum assiduus erat, sibi-que objicere satagebat, quidquid suæ sententiæ videbatur adversari, cur, inquam, illorum ne meminit quidem?

CLV. Dissertatorem mirum in modum premit & urget dissolutio matrimonii rati non consummati, quæ fit per solemnem in approbata religione professionem, & de qua locutus sum dissertationis meæ pag. 28. & seq., ut ostenderem, in fumum abire magnum illud, & quod adversarii tamquam insolubile jactitabant, argumentum, ex indissolubilitate matrimonii desumptum. Itaque respondet pag. 42. (91.)”  
 „ Modo, quæ diximus de absoluta matrimonii  
 „ insolubilitate, vera sint de matrimonio con-  
 „ summato, ruit omne, quod adversarii pro-  
 „ ferunt pro sua sententia. „

CLVI. R. Oppositum omnino verum est: si enim in aliquo casu dissolvatur matrimonium ratum, prout certum est dissolvi, ruit, ut verbis ejus utar, omne, quod adversarii proferunt pro sua sententia, ut patebit consideranti.

Probant primo matrimonium consummatum nullo prorsus casu dissolvi, quia dictum est: *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea... Quamobrem relinquet homo patrem suum & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una.* Atqui verba illa de omni prorsus

matrimonio legitime contracto intelliguntur, & non tantum de consummato, quandoquidem Adam nondum consummasset matrimonium, quando illa protulit; ergo tam non consummati, quam consummati matrimonii *perpetuum indissolubilemque nexum* denotant, & sic etiam illa intellexit Trid., dum ex illis generaliter, & sine ulla distinctione inter matrimonium consummatum & non consummatum, illius indissolubilitatem asseruit: atqui tamen inde non probatur matrimonium non consummatum in nullo prorsus casu dirimi; ergo nec probatur consummatum in nullo casu dissolvi, sed tantum, quod nec mutuo contrahentium consensu, nec ulla auctoritate pure humana fieri unquam possit, ut illius vinculum solvatur.

CLVII. Secundo, matrimonii consummati indissolubilitatem probant ex verbis Christi: *Quod Deus conjunxit, homo non separet*: Atqui virum & mulierem conjunxit Deus, antequam matrimonium consumment, cum *non copula, sed consensus matrimonium faciat*, prout habet commune axioma; ergo iterum verba illa tam non consummatum, quam consummatum matrimonium indissolubile asserunt. Atqui tamen ex iis non probatur, quod non consummatum in nullo casu dissolvatur; ergo nec probatur, quod consummatum in ullo casu dirimatur, sed tantum, quod in nullo prorsus casu possit homo matrimonii vinculum solvere, quod verum est. Proinde ex matrimonii non consummati dissolubilitate, *ruit omne illud, quod adversarii proferunt pro sua sententia*. Sed inspiciamus singula.

CLVIII. Ut sese a difficultatibus, quas in sua sententia invenit, expediat dissertator, nolum, quem non potest solvete, conatur sein-

dere, insinuans pag. 43. (92.) matrimonium ratum & consummatum inter fideles non esse *absolutum & perfectum*, sed dumtaxat conditionatum, & ideo partem, quæ *solemniter proficitur*, liberari, *quod, tali casu, deficiente conditione*, NUMQUAM INTELLIGATUR FUISSE MATRIMONIUM, prout docet pag. 44. (93.)

CLIX. Ecce quomodo ab una novitate ad aliam procedatur, dum antiquitatis repagulum semel frangitur. Quid ! Matrimonium non consummatum inter fideles legitime initum, parte altera solemniter proficiente, deficiente conditione, *numquam intelligitur fuisse matrimonium !* Ergo numquam intelligitur fuisse *sacramentum*, cum non possit esse sacramentum, nisi sit matrimonium : proinde, juxta disertatorem, dicendum rationem sacramenti ab hoc pendere, utrum unus conjugum sit solemniter professurus, an non, quod nemo non videt esse ridiculum.

CLX. Secundo, *si, deficiente conditione, numquam intelligatur fuisse matrimonium*, ergo, si alteruter vel uterque ante professionem cum alia persona libera habuisset carnale commercium, licet illicite egisset, non tamen veri nominis adulterium commisisset, cum non possit veri nominis adulterium intelligi, nisi veri nominis matrimonium intelligatur. Admittetne hoc disertator ?

CLXI. Tertio, si ante unius partis professionem solemnem, quam postea secutam suppono, pars altera inivisset aliud matrimonium, quod mox consummasset, sequeretur, quod validum foret ejusmodi connubium, quia, deficiente conditione, juxta disertatorem, primum numquam substitit, quod nemo in re canonica versatus admiserit.

Prob. sequela: quia res uni sub conditione donata, pendente conditione potest alteri valide donari & tradi. Admittetne hoc iterum dissertator.

CLXII. Quarto, *si, deficiente conditione, numquam intelligatur fuisse matrimonium*; ergo pars in seculo remanens, cum consanguineis partis professæ nullum contraxit publicæ honestatis impedimentum, quia ex matrimonio rato, defectu consensus invalido, illud non contrahitur: hic autem est defectu consensus invalidum, si dissertatoris dicta subsistant, cum pars una in alteram non consenserit absolute, sed sub conditione, qua non impleta, dici non potest consensisse. Sicut ergo si Titia Mævio dicat: *Accipio te in meum, si pater meus consentiat*, patre non consentiente nullum est matrimonium, nullumque cum consanguineis Titia publicæ honestatis impedimentum, ita nullum erit, si alteruter conjugum postea solemniter profiteatur, quod numquam est auditum.

CLXIII. Quinto, dicit Trid. sess. 24. de matrim. can. 1. *Si quis dixerit matrimonium ratum non consummatum per solemnem religionis professionem alterius conjugum non dirimi, anathema sit*. Quomodo illos vocat conjuges, inter quos *numquam intelligitur fuisse matrimonium*, & quomodo dicit matrimonium *dirimi*, quod numquam existit? Recurrere hic non potest dissertator ad declarationem nullitatis, quasi nimirum dumtaxat declararet Trid. in isto casu matrimonium fuisse nullum.

CLXIV. Primo, quia in canonibus suis non usa est synodus Tridentina locutione impropria; dicere autem, quod aliquod matrimonium dirimatur, dum v. g. a iudice nullum declaratur, non est propria locutio, prout supra ostendi.

CLXV.

CLXV. Secundo, quia opus non fuisset definitione Tridentina, ut sciremus contractum aliquem, sub conditione initum, deficiente conditione non subsistere, hoc enim, a minimo usque ad maximum, omnes norunt. Certum tamen est, quod, si non definivisset Tridentinum matrimonium ratum per professionem solemnem dirimi, pars longe maxima hoc negaret, assereretque, uno conjugum solemniter profitente, non posse alterum ad secundas nuptias transire, nec ullatenus dubito, quin eis assentiretur dissentator; ergo sua definitione non declaravit dumtaxat Trid. matrimonium in casu isto, deficiente conditione, fuisse nullum, sed legitime contractum & validum re ipsa dirimi.

CLXVI. Instat interim disertator pag. 42. (91.)  
 „ & S. Thomam objicit, docentem suppl. quest.  
 „ 61. a. 2. ad 2. „ ante carnalem copulam  
 „ non esse omnino translatum corpus unius sub  
 „ potestate alterius, sed, *sub conditione*, si in-  
 „ terea alter conjugum ad frugem melioris  
 „ vitæ non convolet. „

R. Si hoc D. Thomæ responsum cum objectione proposita conferatur, mox apparebit, de qua conditione in verbis illis sit intelligendus. Fuit autem hujusmodi objectio: *In ipso consensu per verba de presenti expresso, unus conjugum in alterum potestatem sui corporis transfert; ergo statim debet exigere (id est jus habet exigendi) debitum, & alter venetur reddere, & ita non potest unus, invito altero, ad religionem transire.* Ex hac objectione, ad quam respondet, dum dicit: „ ante carnalem copulam non  
 „ esse omnino translatum corpus unius sub po-  
 „ testate alterius, sed, *sub conditione*, si in-  
 „ terea alter conjugum ad frugem melioris vi-  
 „ tæ non convolet „, manifestum est, quod

conditio, de qua agit S. Th., tantum afficiat jus exigendi debitum in uno, & obligationem reddendi in altero, ita, ut ante elapsum bimestre non possit unus conjugum jure illud exigere, nec alter teneatur reddere, quia jus illud, aut, si velis, possessio juris, usque ad tempus prædictum suspenditur.

CLXVII. Sensus ergo D. Thomæ est, quod ante carnalem copulam non sit omnino translatum corpus unius sub potestate alterius cum jure exigendi debitum in una parte, & obligatione reddendi in altera, sed, *sub conditione*, quæ conditio non reddit magis contractum matrimoniale conditionatum, seu a futura conditione pendentem, quam conditio non solvendi ante bimestre pretium rei emtæ, emptionem-venditionem reddat conditionatam.

CLXVIII. Quod hæc sit certissima mens D. Thomæ, seu, quod numquam existimaverit S. Thomas, uno conjugum profitente solemniter, *deficiente conditione, numquam intelligi fuisse matrimonium*, probatur ex corpore ejusdem articuli, ubi ait: *Sicut post carnalem copulam matrimonium solvitur per mortem carnalem, ita per ingressum religionis, VINCULUM, quod est ante carnalem copulam, solvitur, quia religio est quædam mors spiritualis.* Item art. 3. ad 1. *Quando unus... vovet, tunc, quantum est in se, abrenuntiat vinculo conjugali, & ideo alter absolvitur a vinculo illo.* Ergo juxta D. Th., dum unus conjugum solemniter vovet, non intelligitur, *deficiente conditione, numquam fuisse matrimonium*, prout vult dissertator, sed e contrario intelligitur verum fuisse conjugium, utpote, quod peperit *conjugale vinculum*, quod sine vero conjugio non potest existere, & a quo pars altera absolvitur autoritate divina.



CLXIX. Culpæ differtator pag. 43. (92.) quod dixi dissertationis meæ pag. 6. nempe, fieri posse, *ut, qui nullo instanti liber est a matrimonio ante contracto, liber tamen sit a servitute matrimonii, seu ab obligatione permanendi in contracto primitus matrimonio.* Et in hunc modum interrogat: " Quod... aliam ducere non possit, (pars fidelis) numquid ex eo est, quod primum matrimonium adhuc subsistat? Quomodo ergo dici potest, quod, illo subsistente, in ejus libertate sit, ut aliud inire possit? "

R. Negando suppositum, quod, in casu Apostoli, pars fidelis aliud matrimonium inire non possit; probandum hoc ipsi foret, & non supponendum, cum sit illud ipsum, quod in præsentî questione tractatur.

CLXX. Possè autem quempiam a matrimonio non esse liberum, & tamen liberum esse ab obligatione in eodem permanendi, evidens est in matrimonio etiam inter fideles inito, quod, si non fuerit consummatum, per solemnem in religione approbata professionem dissolvitur, quo casu fidelis non est liber a matrimonio, cum sit matrimonio junctus, & tamen liber est a servitute matrimonii, seu ab obligatione perpetuo manendi in matrimonio, quandoquidem primo bimestri possit, invita etiam comparte, religionem ingredi, & per solemnem in ea professionem matrimonii antea legitime contracti, sed non consummati, vinculum solvatur, prout dixi dissertationis meæ pag. 7.

CLXXI. Sed, inquit ibidem, " Absolum omnino est exemplum a professione religiosa petitum, ut ostendatur, quempiam a matrimonio non esse liberum, & tamen liberum esse ab obligatione in illo perpetuo permanendi: siquidem & illo casu, qui solemniter

„ vult profiteri , ante professionem obligatus  
 „ est perpetuo *manendi* in matrimonio contrac-  
 „ to... sicut & ille, cum quo ecclesia in ma-  
 „ trimonio rato dispensaret. „

CLXXII. R. Quis ejusmodi discursum non  
 miretur ? Si ante professionem obligatus sit per-  
 petuo manere in matrimonio contracto ; ergo  
 non potest profiteri , cum profitendo non ma-  
 neat in matrimonio contracto , sed ejus vincu-  
 lum solvatur. Subsistit itaque hic syllogismus :  
 „ Qui matrimonio non consummato ligatus  
 „ solemniter proficitur , non manet in matri-  
 „ monio ante contracto : atqui matrimonio  
 „ non consummato ligatus potest solemniter  
 „ profiteri ; ergo matrimonio non consummato  
 „ ligatus potest non manere in matrimonio  
 „ ante contracto. „ Proinde non absolum ,  
 sed peremptorium est , quod a professione reli-  
 giosa petitur exemplum , ut ostendatur posse  
 quempiam a matrimonio non esse liberum , &  
 tamen liberum esse ab obligatione perpetuo ma-  
 nendi in matrimonio.

CLXXIII. Probare intendit dissertator pag. 45.  
 (94.) verba Apostoli 1. ad Cor. 7. v. 15. non  
 esse generaliter accipienda , sed „ merito res-  
 „ tringi ad illam servitutis speciem , quæ vere  
 „ servitus est : neque enim , inquit , vinculum  
 „ matrimonii , quod vinculum perpetui amoris  
 „ est , quod & inter Adam & Evam fuit in sta-  
 „ tu innocentie , recte servitutem vocaveris ; si  
 „ ergo servitus dici debeat , illud est ratione  
 „ tori & habitationis ; more omnium gentium ,  
 „ quo qualiscumque obligatio servitus vocatur. „

CLXXIV. R. Sicut inter Adam & Evam fuit  
 in statu innocentie matrimonii & amoris perpe-  
 tui vinculum , ita inter utrumque fuit obligatio  
 habitationis & tori : si ergo matrimonii vincu-

lum non recte vocetur *servitus*, utpote, quod inter Adam & Evam fuit in statu innocentie, pari jure obligatio habitationis & tori non recte vocabitur *servitus*, utpote, quæ in statu innocentie inter ipsos etiam fuit. Hoc tamen ultimum negat dissertator, & recte; ergo pari jure aliud debet negare, seu debet admittere *vinculum matrimonii*, quod *vinculum perpetui amoris est*, quod & inter Adam & Evam fuit in statu innocentie, recte *servitutum* vocari, quia, sub diverso respectu, unum & idem potest esse & amoris & servitutis vinculum, prout patet ex verbis ipsiusmet dissertatoris, secundum quæ, *more omnium gentium... qualiscumque obligatio servitus vocatur*. Atqui vinculum matrimonii, quamvis sit vinculum amoris perpetui, præter obligationem habitationis & tori, obligationem inducit, vivente conjuge, ad alias nuptias non transeundi; ergo sub hac ratione, juxta dissertatoris principia, *servitus* rectissime vocari potest, cum *more omnium gentium, qualiscumque obligatio servitus vocetur*. Porro generaliter, ut ante jam ostendi, & sine ulla restrictione docet Apostolus partem conversam in casu, de quo agitur, *servituti non esse subjectam*; ergo ab omni servitute matrimoniali libera est, seu non est subjecta obligationi ad alias nuptias non transeundi, præsertim, cum juxta ipsosmet adversarios, quos vindicare intendit dissertator, *in verbis sacre scriptura generaliter prolatis, non sit facienda exceptio, quam ipsamet scriptura non fecerit*: atqui nullam fecit Apostolus; ergo immerito verba ejus restringunt.

CLXXV. Sed, inquit pag. 44. (93.) "Quam vitiosa sit hæc argumenti retorsio, facile intelliget, quisquis noverit exceptionem a lege, ante generaliter lata, commoda interpreta-

„ tione fore emolliendam, ut quam minime  
 „ possit a sensu legis recedatur &c.,,

R. Ut locum habere debeat *commoda illa interpretatio*, probari debet, quod generalia Pauli verba non possint generaliter intelligi, quia, si generaliter intelligi possint, commodæ isti interpretationi locus non datur, sed generaliter dicta, generaliter sunt intelligenda, & maxime, dum illa generaliter intelligit ecclesia, prout fit in casu: huc usque autem probavit nemo generaliter non posse intelligi; ergo generaliter sunt intelligenda. Proinde sibi non constant adversarii, quibus in mea dissertatione respondebam, dum dicunt: *in verbis scripturæ sacræ generaliter prolatis non esse faciendam exceptionem, quam ipsamet scriptura non fecerit*, & interim ipsimet, in verbis Apostoli generaliter prolatis, exceptionem faciunt, quam non fecit Apostolus, & quam, ut ante probatum est, necessario debuisset facere, si verba sua generaliter prolata, existimasset generaliter non esse intelligenda.

CLXXVI. Disputat dissertator pag. 46. (94 & sq.) quis fuerit Ambrosiaster ille, cujus opera sat diu Ambrosio Mediolanensi fuerunt attributa; & quamvis significet se illum non nosse, non tamen reformidat eum *tenebrionem* appellare. Sed forte vim vocis ignoravit. Ut possit quispian *tenebrio* appellari, non sufficit, ut sit ignotus, alias enim posset dissertator quemcumque ignotum sibi authorem isto nomine odioso insignire, sed requiritur, ut lucem fugiat & tenebras diligit, quod, utrum fecerit ille Ambrosiaster, asserere non potest dissertator, utpote, qui illum non novit.

CLXXVII. Interim quiscumque fuerit, ejus *authoritatem* adhibere non dubitavit Augusti-

nus, ad revincendos Pelagianos: probat enim l. 4. con. duas epif. Pelagianorum cap. 4., hæc Pauli verba: *In quo omnes peccaverunt*, intelligenda esse de Adami persona, Adamique peccato, quod in posteros transfusum est: " Nam, " inquit, & sic S. Hilarius intellexit, quod " scriptum est, *in quo omnes peccaverunt*. Dein- " de addidit: manifestum est in Adam omnes " peccasse, quasi in massa: ipse enim per pec- " catum corruptus, omnes, quos genuit, nati " sunt sub peccato. " Quæ sententia totidem verbis habetur in Ambrosiastro in cap. 5. epif. ad Rom. Ex quo fat probabiliter videtur, quod Ambrosiaster sit Hilarius ille, cujus meminit dissertator, & qui sub Liberio & Damaso floruit, ac cum Lucifero ad Constantium imperatorem a Liberio papa missus, verbera passus & vincula, eadem, qua Lucifer, sententia in exilium pulsus fuerat, quique gloria confessionis clarus, & postmodum elatus, spernens eos, qui ceciderant, Luciferi partibus adhæsit. Si petas, quomodo S. Aug. Luciferianum vocet sanctum? R. Quia poterat Augustinus scire ipsum resipuisse, non enim omnes, qui schismati aliquando adhæserunt, illi semper adhærent.

CLXXVIII. Pergit dissertator ibidem: " Si " quis, inquit, videre velit multiplices errores " ab eo auctore adsertos, legat, quæ de hoc " Benedictini habent in monito ad hæc com- " mentaria præmissa. "

R. Atqui inter ejus errores non numerant, quod asseruerit in casu Apostoli matrimonium solvi, imo a tempore, quo in lucem prodiit Ambrosiaster, ne unus quidem fuit, qui doctrinam ejus hoc in puncto carpserit, tamquam a communi ecclesiæ sensu recedentem; ergo a tanto tempore omnes cum ipso ejusdem fuerunt

sententiæ, alias enim hunc ejus errorem, si vere fuisset error, notare non omisissent.

CLXXIX. Sicut ergo dissertator pag. 40. (89.) de Fra-Paolo agens dicit: "Sint ista vera, quoad ea, in quibus Pallavicinus ei contradixit: quod verò hoc punctum attinet, ... altum apud Pallavicinum est silentium: ex quo silentio *solidum nascitur argumentum*, vera esse, quæ Fra-Paolo hic retulit., Ita cum ipso pariter discuro." Sit verum errasse Ambrosiastrum in iis, de quibus ipsum auctores catholici accusant: quod verò hoc punctum attinet, altum apud catholicos auctores est silentium, ex quo silentio *solidum nascitur argumentum*, vera esse, quæ hic docet Ambrosiastrus., Validius quidpiam contra dissertatorem proferre non possem, ad probandum hoc in puncto non errasse Ambrosiastrum, cum sit proprium ipsius argumentum.

CLXXX. Prosequitur pag. 47. (96.) & asserit: "auctores scholasticos, aliosque, qui fontes ipsos non consulebant, & studio critices, quo genuina a supposititiis fecernuntur, destituti erant, Ambrosiastrum in hoc puncto errantem secutos fuisse, tuto se pede incedere putantes, eo quod *tenebrionis hujus*, (cujus auctoritatem citavit Augustinus)" opinionem, genuinam D. Ambrosii sententiam esse existimarent. Id certe, inquit, fecerunt Hugo a S. Victore, & Petrus Lombardus &c.,

CLXXXI. R. Ut possit asseri auctores scholasticos &c. Ambrosiastrum *in hoc puncto errantem* fuisse secutos, probari debet, quod in hoc puncto erraverit Ambrosiastrus, quod tantum abest, ut dissertator probaverit, prout supra visum est, ut potius, secundum ejus principia, mox probaverim in hoc puncto ipsum non errasse.

Sane, sicut asserit authores scholasticos Ambrosiastrum in hoc puncto errantem fuisse secutos, ita, & potiori jure, dici posset, quod advocatum quemdam, in hoc puncto errantem, fuerit secutus dissertator, quandoquidem ejus consultationem, majori ex parte describat, licet non eo ordine, quo illam ipse composuit: atqui tamen hoc non sufficeret, ut probaretur dissertatoris sententiam non subsistere, sed opus foret, ut simul ostenderetur, quod advocatus ille errasset, quem ipse secutus est; ergo &c.

CLXXXII. Sed aliunde ratiocinium illud refutemus; & omnem effugii locum adversario præcludamus. Asserit, ut vidimus, " authores, " scholasticos... Ambrosiastrum, in hoc puncto, " errantem, fuisse secutos, tuto se pede incedere putantes, eo quod *tenebrionis* hujus opinionem, genuinam D. Ambrosii sententiam, esse existimarent: „ Et hoc munimento fretus, dum aliqua ipsi autoritas objicitur, putat se posse omnia eludere, & invenisse *congruum omni patellæ operculum*, dicendo, quod authores, qui objiciuntur, secuti sint Ambrosiastrum vel Gratianum, & consequenter, quod, in hac causa, nullum habeant autoritatis pondus, prout patet ex ejus scripto. Sed hoc mere pro libitu & sine ullo profus fundamento affirmari

CLXXXIII. Probatur. Cuilibet notum est, quod, dum author aliquis est hujus vel illius sententiæ, sententiam, quam propugnat, aliorum testimonio soleat corroborare, formalia etiam eorum verba in medium producendo. Hoc quotidie faciunt juris-consulti, canonistæ, interpretes, theologi &c. Atqui certum est, & fateri etiam debet dissertator, quod, si eorum quispem authorem quemdam supposititium in sui

favorem citaverit, non ideo dici possit, quod ejus solius autoritate motus sit, ut hanc vel illam sententiam sustineret, sed tantum, quod sententiam, quam sustinebat, arbitratus sit ab illo autore suppositio etiam sustineri; ergo pariter certum est, quod, dum Hugo a S. Victore, Petrus Lombardus &c. asserunt, in casu Apostoli matrimonium solvi, & utuntur verbis Ambrosiastri, non ideo dici possit, quod sola ejus autoritate moti sint, ut isti sententiae adhererent, sed tantum inde sequatur, quod per hoc voluerint ostendere Ambrosiastrum, quem putabant esse Ambrosium, eodem modo intellexisse scripturas, seu locum Apostoli I. ad Cor. 7., quo ipsi eas intelligebant, & hoc pacto sententiam suam illius autoritate corroboraverint.

CLXXXIV. Non ergo deinceps dicatur nobis: "Talis vel talis secutus est Ambrosiastrum; ergo major hac in re non est ejus, quam Ambrosiastri autoritas: Quia, nisi probetur, quod talis vel talis sola Ambrosiastri autoritate motus sit, ut hoc vel illud sustineret, in promptu erit responsio, nempe, quod Ambrosiastri verba non allegaverit, nisi, ut probaret, quod etiam Ambrosiaster, seu putativus Ambrosius, eodem modo supra memoratum Apostoli locum intellexerit, quo ipse intelligebat. Quo posito, praclusum erit omne effugium, habebitque sententia hujus vel illius auctoris eam, quam meretur autor, & non solius Ambrosiastri autoritatem.

CLXXXV. *Lepide admodum*, inquit dissertator pag. 47. (96.) Hugonem a S. Victore voco *sui seculi Augustinum*.

R. Cur non refert verba mea? Dixi dissertationis meae pag. 22. loquens de Hugone, quod, *esse Moreri, eminentis adeo esset doctrinae, ut se-*



*cundus Augustinus appellaretur.* Erravitne in hoc Moreri, & quomodo probat dissertator, quod tali nomine, ob præstantiam doctrinæ, non fuerit insignitus Hugo, ut possit dicere, quod *lepide admodum* Hugonem sui seculi Augustinum vocem? Profecto, si de lepore agatur, lepidus est adversarius, utpote existimans se, absque ulla probatione, quidlibet posse asserere.

CLXXXVI. At, inquires, varia docet Hugo, quæ non admitto, & inter cætera, quod fidelis possit aliud inire matrimonium, etiam si infidelis cohabitare velit.

R. Etiam non omnia admitto, nec admittit dissertator, quæ docet D. Thomas; an ideo sui seculi Augustinus non potest vocari?

CLXXXVII. Ridet etiam dissertator Hugonem, quia dicit, quod fidelis *infidelem cohabitare volentem, sed fidem recipere nolentem, Christiana devotione detestetur*, hancque addit parenthesis, (*pulchra profecto devotio*) R. Tam pulchra, quam erat in Davide, dum dicebat: *Iniquos odio habui.* Numquid enim etiam amando conjugem, qua talem, exigit Christiana devotio, ut ejus infidelitatem pars fidelis detestetur? Deinde quomodo potest dissertator Hugonis auctoritatem recusare, quia nonnulla habet, quæ communiter non admittuntur, cum ipsemet pag. 45. (93.) se fundet in autoritate Cajetani dicens: „ Eo magis, quod verba Apostoli non „ sonent solutionem vinculi, *ut ait Cajetanus*, „ & tamen etiam doceat Cajetanus per adulterium dirimi matrimonium, quod dissertator non admittit, nec potest admittere?

CLXXXVIII. Ad objectam Petri Lombardi auctoritatem respondet pag. 50. (99.) dicens: „ „ Nisi prætenfus ille Ambrosius ei fucum fecisset, „ set, nobiscum sensisset, „ Quod ex eo probare

conatur, quod verba Apostoli sic explicet: *In hujusmodi, scilicet in cohabitatione, & aliis talibus, id est, non cogitur fidelis sequi infidelem odio fidei discedentem.*

Sed quare non dicit, quod Petrus Lombardus, si viveret, visis ejus fundamentis, sententiam mutaret, sicut de Benedicto XIV. dicit author, quem sequitur dissertator, prout videre est dissertationis meæ pag. 27., cum eodem jure hoc possit dici de Lombardo, quo dictum est de Benedicto XIV.?

CLXXXIX. Nemo nescit, quod ista duo sese compatiuntur, nimirum, quod *non cogatur fidelis sequi infidelem odio fidei discedentem, & quod possit fidelis, uxore infideli discedente, aliam ducere, & hoc utrumque in adducto loco docet Lombardus.* Quomodo igitur potest dissertator asserere, quod Petrus Lombardus, qui docuit primum, non docuisset secundum, *nisi prætensus ille Ambrosius ei fucum fecisset, cum unum aliud non excludat?*

CXC. Explodit pag. 52(101) distinctionem, quam canonistæ tradunt, & notanter van Espen, inter matrimonium ratum & legitimum, dicens: *Quoniam justum non est, vel id ratum non habere, quod sit legitimum, vel ratum id habere, quod sit illegitimum.* At, quid sibi velit, non intelligo. Quis enim dixit unquam *illud esse ratum, quod est illegitimum?* Dicitur autem aliquod matrimonium legitimum non esse ratum, hoc sensu, quod non habeat illam firmitatem, quam habent matrimonia fidelium, quæ, etiam si non sint consummata, nullo tamen casu per aliud matrimonium dirimuntur, quod non competit infidelium matrimoniis, quæ, in casu Apostoli, autoritate divina, in favorem fidei dissolvuntur, prout supra probatum est. Cur autem

in hoc tantum casu id fiat, & non in aliis, quos ibidem disertator proponit, totalis & adæquata ratio est voluntas Christi.

CXCI. In Gratianum disertator quam plurimum invenitur pag. 51. (99.) & seq., eum accusans, quod dederit *occasionem mutandæ antiquæ disciplinæ ecclesiasticæ* &c. At novisse debebat, quod mutatio illa tempore Gratiani jam invaluisset. Audiatur hac super re clarissimus van Espen dissertatione præem. ad decret. Grat. cap. 12. " Scitur, inquit, eo tempore ( quo decretum suum edidit Gratianus ) in pretio fuisse collectionem pseudo-Isidori, cui insertæ erant falsæ decretales, primis pontificibus suppositæ, aliaque plura fictitia monumenta, nec non canones conciliorum, in alienum sensum detorti. Insuper & hoc constat, ætate Gratiani has falsas decretales, nec non reliqua fictitia monumenta, tamquam authentica fuisse recepta, atque in illis expressam disciplinam, pro disciplina ecclesiæ & jure ecclesiastico, ac notanter in academia Bononiensi agnitam. "

CXCII. " Hinc factum est, quod Gratianus non tantum has epistolas decretales aliaque conficta monumenta, nec non corruptos aut contortos canones, ut authentica & sincera reputaverit, prout in collectione pseudo-Isidori, & apud præcedentes canonum collectores, puta Burchardum, Ivonem &c. exstant, & illis, ut talibus, usus fuerit, sed insuper disciplinam & praxim, quæ *authoritate horum falsorum monumentorum invaluerat*, tamquam avitam & sinceram patrum canonicam disciplinam proposuerit, & propugnandam, sive confirmandam censuerit. " Si disciplina & praxis *authoritate horum falsorum monumentorum invaluerat*, dum decretum suum edi-

dit Gratianus, quomodo potest illum dissertator accusare, & in eum tam vehementer invehi, tamquam dederit *occasionem mutandæ antiquæ disciplinae ecclesiasticæ?*

CXCIII. Quibusdam interjectis subdit van Espen: " Certum est, quod Gratianus in pluribus  
 ,, referat canones conciliorum, nec non sanc-  
 ,, torum patrum dicta, quibus revera pristina  
 ,, ecclesiæ disciplina continetur, & e quibus  
 ,, hæc oriri potest, si modo, quæ *recentiori*  
 ,, *manu*, vel per pseudo-Isidorum aliumve re-  
 ,, centiorem canonum collectorem, aut etiam  
 ,, per ipsum Gratianum, non sat novam ac re-  
 ,, centiorem disciplinam,, ( *suo jam tempore in-*  
 ,, *troducã* ) " a patrum disciplina fecernen-  
 ,, tem, addita, aut intermixta sunt, rescantur.  
 ,, Proinde *non sine fundamento* decreti Gratiani  
 ,, prælectio ad reducendam *optimam & avitam*  
 ,, *patrum disciplinam, præ reliquorum juris ca-*  
 ,, *nonici librorum prælectione*, puta Gregorii IX.  
 ,, & sequentium pontificum, utilior & conve-  
 ,, nientior apparuit. " Quantum hæc distant a  
 dissertatoris in Gratiani decretum invectivis!

CXCIV. Pergit van Espen " Hoc motivo in-  
 ,, ductus fuit Philippus II. rex catholicus, ut,  
 ,, erectis in hac academia pluribus juris cano-  
 ,, nici prælectionibus, tandem illis de novo ad-  
 ,, junxerit prælectionem decreti Gratiani, id-  
 ,, que, ut hac prælectione **COLLAPSA PA-**  
 ,, **TRUM DISCIPLINA RESTAURARI POS-**  
 ,, **SET**, ut probant litteræ ducis Sabaudiaë gu-  
 ,, bernatoris Belgici, nomine regis datæ ad col-  
 ,, legium doctorum juris 22. Aprilis 1557. " Subdito diplomate, agit van Espen de S. Caro-  
 ,, lo Borromæo, dicens: " Cum vero tum tem-  
 ,, poris passim juventuti in scholis, præter de-  
 ,, cretales Gregorii IX. aliorumque pontificum,

„ nihil prælegeretur , *neglecta decreti Gratiani prælectione* , unde patrum disciplina aliquatenus hauriri posset , non dubium , quin S. Carolus , exemplo sui regis catholici , Philippi II. , hujus decreti prælectionem instauratam voluerit , atque proinde , dum author vitæ dixit : *Constituit ipse , qui iis declarandis præesset , unde sacra majorum instituta & ritus , optimumque ecclesiæ administrandæ genus hauriretur , non alium intellexerit , quam , qui decretum Gratiani prælegeret .* „

CXCV. Tam nervose numquam potuissim ad-  
versus disertatorem Gratianum defendere , quam illum defendit van Espen , quem tamen certum est Gratiano nimium non parcere . Ex his itaque patet , a vero alienum esse , quod Gratianus disciplinam innovaverit : dicatur potius , & verum dicetur , quod in pluribus punctis innovatam invenerit ; & ideo sæpe sat contortè explicat antiquiores canones , ut eos cum sui temporis disciplina conciliet .

CXCVI. Sed gratis tantisper concedamus vera esse omnia , quæ de Gratiano dixit disertator , imo demus ipsum , in suo decreto , non minus errasse , quam v. g. in suis operibus erravit Origenes . An inde potest inferri , quod in puncto , de quo agitur , errorem docuerit ? Nulatenus . Ut vincatur aliquis author erroris in hoc vel in isto puncto , dicere non sufficit , quod in aliis quibusdam erraverit , sed probandum est , quod in materia , de qua agitur , a sana etiam doctrina discesserit , prout omnes norunt . Hac autem in parte Gratianum non errasse , quoad substantiam doctrinæ , sed tantum in authoris citatione , probavi dissertationis meæ pag. 25. & seq. hoc ratiocinio .

CXCVII. ” Si Gratiani sententia fuerit anti-

„ quæ traditioni, ecclesiæ consuetudini & pa-  
 „ trum sensui contraria, qualis esse debuit, si  
 „ vera sint, quæ nonnulli asserunt, quomodo  
 „ fieri potuit, ut theologi, interpretes & ca-  
 „ nistæ omnes, qui ad Gratianum usque, in  
 „ isto supposito, secuti fuerant doctrinam op-  
 „ positam, ad vocem unius Gratiani, hominis  
 „ privati, mutaverint sententiam, quam in &  
 „ ab ecclesia didicerant, deseruerintque tradi-  
 „ tionem ac communem patrum & ecclesiæ  
 „ sensum? Quomodo potius adversus istum mo-  
 „ nachum non insurrexerunt, tamquam purum  
 „ novatorem, & inaudita eousque dogmata pro-  
 „ ferentem? Quomodo sine turbis potuit in  
 „ ecclesiam introduci illa pestilens sententia,  
 „ quæ publica inducebat adulteria? Quomodo  
 „ illam, utpote tam reipublicæ, quam eccle-  
 „ siæ perniciosam, non damnarunt summi pon-  
 „ tifices, quibus cæteroqui tanta cura fuit tot  
 „ propositiones minus perniciosas damnandi?  
 „ Sed, quid dico, *non damnarunt*? Quomo-  
 „ do illam secuti sunt & positive approbarunt,  
 „ & a seculo 12. usque ad 18. ecclesiam tanto  
 „ errore involverunt? *CXCVIII.*” Fierine potest, ut in re tam  
 „ gravi, altum adeo obdormierint omnes epif-  
 „ copi, pastores & theologi, ut ne unus qui-  
 „ dem fuerit inventus, cui curæ fuerit accep-  
 „ tam a majoribus traditionem adversus novi-  
 „ tatem propugnare, communem patrum &  
 „ ecclesiæ sensum & praxim defendere? Atqui  
 „ tamen eorum inventus est nemo, nemo,  
 „ inquam, est inventus, qui antiquam tradi-  
 „ tionem isti opinioni opponeret, aut illam,  
 „ tamquam patrum sensui & ecclesiæ praxi con-  
 „ trariam argueret; nullas opinio ista excitavit

„ in ecclesia turbas, quod procul dubio contigisset, si talis esset, qualem eam adversarii traducunt. Signum proinde evidens est, quod nec traditioni, nec patrum sensui, nec ecclesie consuetudini contraria foret, sed potius traditionem, patrumque sensum, ac ecclesie consuetudinem exprimeret. „

CXCIX. Ad hoc ratiocinium vidit dissertator nihil esse respondendum, unde etiam nihil, proprie loquendo, respondet, sed verbis iisdem, quibus usus sum, retorquet argumentum, circa mutationem antiquae disciplinae, quam occasione decreti Gratiani factam dicit, subditque pag. 55. (104.) „ Signum proinde evidens est, longe majorem patrum sensui & ecclesiasticae consuetudini contrariam disciplinam sine turbis, sine oppositione, in ecclesiam induci posse, quam ea, ad quam, ut respondeamus, nos provocat dissertator. „

CC. Sed magna est inter utrumque casum disparitas. Ab antiqua ecclesie disciplina recessio, & novae introductio, quam, occasione decreti Gratiani factam vult dissertator, & quam, occasione collectionis pseudo-Isidori evenisse docet van Espen, qualiscumque illa fuerit, quod examinare non est hujus loci, nihil legi divinae aut naturali, nihil evangelicae doctrinae contrarium continebat, versabaturque circa res illas, quae mutationi erant obnoxiae, & quas, pro variis diversorum temporum circumstantiis, prudentia dictabat quandoque mutandas. Sed mulierem duos simul habere viros, profanare sacramenta, prohibet lex naturalis & divina. Habebit autem, in casu Apostoli, mulier conversa duos simul viros, profanabiturque sacramentum matrimonii, quod ipsi conferetur, si vera sit adversariorum sententia.

CCI. Si ergo ab Apostolorum tempore, ad Gratianum usque, docuerit ecclesia, in casu isto, non esse licitum parti conversæ aliud matrimonium inire, si semper censuerit, quod ad secundas nuptias convolare foret duos simul habere viros, & matrimonii sacramentum profanare, verbo, si hæc fuerit constans & ab Apostolis usque ad ætatem Gratiani transmissa traditio patrumque sensus, fieri non potest, ut, prodeunte decreto Gratiani, quotquot erant in orbe Christiano episcopi, pastores, theologi, interpretes &c. nullo reclamante, mox deseruerint doctrinam, quam ante constanter tenuerant, quam in & ab ecclesia didicerant, & quam ab Apostolis sanctisque patribus traditam noverant, ut Gratiani novitatem sequerentur.

CCII. Nec dicas, quod eos ad hoc induxerit autoritas Ambrosiastri, quem, sub nomine Gregorii, citavit Gratianus.

Primo, quia multis ante Gratianum seculis exstiterat Ambrosiaster, seu prætenus Ambrosius, cujus tamen autoritas neminem, tot seculorum lapsu, ad deserendam ecclesiæ doctrinam induxerat; ergo nulla est ratio, cur ad talem doctrinæ desertionem, Gratiani tempore, catholicos doctores potius moverit, quam ante.

CCIII. Secundo, quia nisi velit quispiam supponere omnes ecclesiæ proceres, theologos & interpretes, tempore Gratiani desipuisse, & in quamdam, ut ita loquar, amentiam lapsos fuisse, fateri debet ipsos scivisse, quod autoritas omnium major foret autoritate unius: jam vero, juxta adversarios, omnes tunc docebant in casu Apostoli matrimonium non solvi; ergo, si de autoritate agebatur, non recessissent ab omnibus, ut sequerentur unum, quem citabat Gratianus, sed potius recessissent ab uno,



ut sequerentur alios omnes, cum auctoritatem omnium prævalere scirent auctoritati unius, & hoc ipsum recta diceret ratio.

Imo vel ex hoc solo, ut spurium vel falsificatum rejecissent illud opus, quod citabat Gratianus, si existimassent, quod in casu Apostoli aliud inire matrimonium, esset divinæ legi, Apostolorum traditioni & constanti ecclesiæ doctrinæ contrarium.

CCIV. Manet itaque primo verum, quod, in re tanti momenti, tam prodigiola doctrinæ mutatio (cujus nemo historicus meminit) nec tempore Gratiani facta sit, nec fieri potuerit. Notum est Augustini essatum epist. 119. *Ecclesia Dei... multa tolerat, & tamen, quæ sunt contra fidem vel bonam vitam, non approbat, nec facit, nec tacet.* Certum tamen est, quod tota, quanta est ecclesia, in casu, de quo agitur, partis conversæ matrimonium approbet, & per ministros suos illi sacramentum istud semper conferat; ergo certum est, quod, in casu isto, aliud matrimonium inire, non sit contra doctrinam Christi, aut ejus Apostoli, quod non sit contra bonam vitam ad secundas nuptias transeuntis, quia, *quæ sunt contra fidem vel bonam vitam, non approbat, nec facit, nec tacet ecclesia.* Ex quo sponte fluit, quod matrimonium illud, quod modo approbat ecclesia, tamquam doctrinæ Christi & bonæ vitæ non contrarium, semper ab ipsa, ut tale, fuerit approbatum, quia, quo nunc spiritu regitur & gubernatur, eodem jugiter recta fuit & gubernata, nec magis uno tempore, quam alio, *quæ sunt contra fidem vel bonam vitam, approbat, facit aut tacet.*

CCV. Aliud omnino est, ut supra jam insinuavi, de mutatione disciplinæ, quæ sine tur-

*bis*, & nemine reclamante fieri potest, & tunc præsertim, dum per hunc vel istum agendi modum non tam censetur, nova disciplina introduci, quam antiqua servari, prout, teste van Espen, olim factum est. Cum enim, juxta ipsum, quando decretum suum edidit Gratianus, " in pretio fuerit collectio pseudo-Isidori, cui insertæ erant falsæ decretales, primis pontificibus suppositæ, aliaque plura fictitia monumenta, quæ, ut idem author asserit " constat ætate Gratiani tamquam authentica fuisse recepta, atque in illis expressam disciplinam, pro disciplina ecclesiæ agnitam, non mirum, quod sine turbis ab antiqua disciplina sit recessum: imo prorsus mirandum foret, si turbæ fuissent excitatæ, quandoquidem expressa in illis decretalibus & monumentis disciplina, esset *pro disciplina ecclesiæ agnita*. In casu autem Apostoli novum matrimonium inire, non spectat ad disciplinam ecclesiæ, nec ab ejus potestate pendet efficere, ut illud sit validum, casu quo non dissolvatur primum, sicut ab ejus potestate pendet hanc vel illam, pro temporum diversitate, inducere disciplinam.

CCVI. Si ergo usque ad tempora Gratiani fuisset in ecclesia creditum in casu, de quo agitur, doctrinæ evangelicæ adversari partis contrariæ matrimonium, idem etiam creditum fuisset postea, cum omnes semper sciverint, quod, quamvis ecclesia possit mutare disciplinam, mutare tamen non possit doctrinam evangelicam: atqui ab opposito hoc non est creditum postea, ergo nec ante; ac proinde nullas habet vires facta ab adversario argumenti retorsio.

CCVII. Quærit etiam dissertator ibidem, seu pag. 55. (104.) " Qui fieri potuerit, ut Innocentius, III., cæteroquin pius, & pro temporum illo-

rum barbarie doctissimus, fere in omnibus  
 „ Gratiani doctrinam secutus fuerit? „ Sed, in  
 suo quæsito, toto errat cælo. Qui Gratiani ca-  
 nones etiam frequenter citat, non ideo ejus  
 doctrinam sequi, vel authoritatem allegare in-  
 tendit, sed illius concilii, pontificis aut patris,  
 ex quo canon aliquis desumptus dicitur: com-  
 pertum siquidem est, & hoc nostri etiam scho-  
 lares non ignorant, Gratianum majorem non ha-  
 bere authoritatem, quam habeant illi, quos ci-  
 tat; proinde Gratianum allegans, non Gratia-  
 num ipsum, sed illum proprie allegat, ex quo  
 confectus dicitur canon; qua in re, falso instru-  
 mento nixus, potuit Innocentius III. cum Gra-  
 tiano fuisse deceptus, sicut post Erasmum primæ  
 etiam notæ critici fuerunt decepti, quos inter  
 sunt clarissimi fratres Pithœi, (Pithou) qui in  
 notis suis ad cap. 7. § de divoritiis, textum,  
 de quo agitur, cum correctoribus Romanis Am-  
 brofio adscribunt, hoc insuper addito, quod &  
*Joannis Chrysoftomi eadem sententia sit*, prout  
 eandem esse, in superioribus probavi. Erant ita-  
 que viri illi clarissimi, & in jure canonico ap-  
 prime versati, ejusdem nobiscum sententiæ, li-  
 cet in hoc errarent, quod verba Ambrosiastrum  
 Ambrosio tribuerent: sed aliud est errare in  
 nomine authoris, aliud in substantia doctrinæ:  
 & , si verba illa, quæ habet Ambrosiastrum,  
 non habeat Ambrosius, non minus tamen hic,  
 quam ille, docet in casu Apostoli matrimo-  
 nium solvi, prout supra ostendi.

CCVHI. Qui igitur Gratianum arguere vult  
 inscitæ, ejusque authoritatem vilipendere, quod  
 Ambrosiastrum loco Ambrosii citaverit, insci-  
 tiæ etiam arguat correctores Romanos & fratres  
 Pithæos, quia & hi tanto magis erunt culpan-

di, quod non ea scripserint ætate, quam dissertator amat *barbaram* nuncupare.

CCIX. Deinde, quod non cæco modo Ambrosiastrium secutus sit Gratianus, nec sola ejus auctoritate motus sit, prout insinuat dissertator, patet ex causa 32. q. 7. can. 17. *Uxor*, quod ex eodem Ambrosiastro in cap. 7. i. ad Cor. deproniptum est, & in quo dicitur, quod viro, qui fornicariam dimisit, uxorem aliam ducere liceat. Quia autem evangelicæ doctrinæ repugnat textus ille, ideo notat Gratianus: *Illud Ambrosii a falsatoribus dicitur insertum*. Non ergo sine delectu admisit Gratianus quidquid in Ambrosiastro continebatur; cumque circa hunc locum de infideli discedente nihil simile notaverit, inde est, quod doctrinam ibi traditam, doctrinæ & praxi ecclesiæ conformem agnoverit, illam præcul dubio rejecturus, si ab hac discrepare existimasset, sicut rejecit illud, quod mox indicavimus.

CCX. Immerito interim dissertator, qui in historicis est adeo versatus, Innocentii III. temporibus barbariem affricat, ut tanti pontificis eruditionem quodam modo deprimat, dicens illum quidem fuisse doctissimum, sed *pro temporum illorum barbarie*, cum certum sit secula XII. & XIII. plurimis & absolute doctissimis viris floruisse, ut videre est in ecclesiastica historia breviario, quod nuper edidit noster Berti.

CCXI. Examinat dissertator pag. 56. (105.) quis sit ille Innocentii III. prædecessor, de quo ipse dixit: *Licet quidam prædecessor noster sensisse aliter videatur*, & in eam sententiam propendet, quod fuerit Innocentius I., ex quo etiam voluit antea probare, quod, in casu Apostoli, matrimonium non solvatur, quia, inquit, juxta hunc pontificem, hæc Christi verba: " Quod

„ Deus conjunxit, homo non separet, non minus infidelium, quam baptizatorum matrimonia respiciunt. „ Quam autem vim habeat ista probatio, ostendi supra.

CCXII. Cum ergo existimet illum quemdam Innocentii III. prædecessorem fuisse Innocentium I., & ideo subdat pag. 57. (106.) *Teste Innocentio III. aliter sensisse videtur Innocentius I., &c. operæ pretium est ostendere, quod sententiam nostram stabiliat, dum illam sic impugnat, quia, si fuerit ille quidam Innocentii III. prædecessor Innocentius I., hic autem floruerit initio seculi quinti, manifestum est octo prioribus ecclesiæ seculis non fuisse constantem doctrinam matrimonium etiam infidelium.... ratum ac firmum manere apud infideles, etiam post conversionem unius partis ad fidem, cum certum sit Innocentium I. non minus censuisse in casu Apostoli matrimonium solvi, quam censuerit & docuerit Innocentius III. Hujus itaque verba referamus, quæ sunt hujusmodi.*

CCXIII. „ Nos consultationi tuæ respondentes „ distinguimus, licet quidam prædecessor noster „ sensisse aliter videatur, an ex duobus infidelibus alter ad fidem catholicam convertatur, vel ex duobus fidelibus alter labatur „ in hæresim, vel decidat in gentilitatis errorem &c. „ Quid est illud, in quo aliter quam Innocentius III. sensisse videtur Innocentius I.? Non illud profecto, quod asseruit Innocentius III., dum dixit in casu Apostoli posse partem conversam ad secunda, si voluerit, vota transire, sed illud, quod distinguendum dixit, nempe, *an ex duobus infidelibus alter ad fidem catholicam convertatur, vel ex duobus fidelibus alter labatur in hæresim, vel decidat in gentilitatis errorem, & quod privata sua opinione distinguen-*

dum non putabat Innocentius I., utpote arbitrans verba Apostoli: *Non enim servituti subiectus est frater aut soror in huiusmodi*, ad illum etiam casum se extendere, in quo ex duobus fidelibus alter in hæresim labitur, vel gentilitatis errorem, & odio fidei deserit compartem, & consequenter matrimonium in utroque casu solvi, sive ex duobus infidelibus alter convertatur, sive ex duobus fidelibus alter pervertatur &c.

CCXIV. Casus itaque propositus hic erat: „ An Christiano, in odium uxoris suæ Christianæ ad gentilissimum transeunte, uxoremque abdicante, hæc autem autoritate seu iudicio archidiaconi ad alias nuptias cum Christiano transeunte, postea vero, primo viro ad Christianismum redeunte, primum ejus matrimonium subsistat? „ Et arbitrabatur ille quidam Innocentii III. prædecessor, qui, juxta disertatorem, est Innocentius I., non subsistere. Non ergo ab Innocentio III. dissensit, nec dissensisse videtur Innocentius I. in casu Apostoli, sed in alio, quem sub ipso arbitrabatur contineri, existimans, quod, sicut dissolvitur, aut dissolubile est matrimonium, dum ex duobus infidelibus alter convertitur, & a parte infideli dimittitur, ita etiam solveretur, aut solubile foret, dum ex duobus fidelibus alter in hæresim vel gentilitatis errorem incidit, compartemque odio fidei repellit. Quod nobis tantum favet, quantum favere aliquid potest. Hinc siquidem possumus colligere, quod tunc temporis de nostra, circa casum Apostoli, sententia nullatenus dubitaretur, sed potius tamquam omnino certa haberetur, & ita quidem, ut longius quam par erat, a nonnullis subinde extendere-tur, sed quæ ultra limites extensio correctæ est & suppressa, quod nostræ sententiæ numquam

contigit, utpote quæ semper illibata permanfit, perpetuoque retenta.

CCXV. Ibidem dubitare fe dicit differtator, an idem cum Innocentio III. fentiam, nam, „ inquit, juxta hunc pontificem, quamvis in-  
„ fidelis absque blasphemia divini nominis con-  
„ fentiat conjugi converfo cohabitare, modo  
„ tamen id agat, ut converfum ad mortale pec-  
„ catum pertrahat, verbi gratia, ut latrocinia  
„ exerceat, liberum erit converfo ad fecunda  
„ vota transfire. „ At brevi dubium fuum depo-  
net. Itaque

CCXVI. R. Me omnino admittere, quod ibidem dicit Innocentius III.: quia, dum pars infidelis cohabitare non vult fideli, nisi eam pertrahendo in peccatum mortale, & proximæ ejusdem occafioni eam exponendo, perinde fe habet, ac fi ipfi cohabitare non vellet, ficut non cenfetur velle cohabitare, qui non vult *sine Creatoris contumelia*, prout exponit Gagnæius infra citandus.

CCXVII. Invenientur forte nonnulli, qui, ut habeatur casus Apostoli, *mortale peccatum* restringent ad peccatum infidelitatis aut apoftasiæ a fide: sed quid aliud inde fequitur, nisi, quod omnes admittentes in casu Apostoli matrimonium folvi, non omnes in his vel istis circumstantiis admittant esse casum Apostoli, ficut omnes catholici admittentes charitatem perfectam ftata lege hominem justificare, non omnes admittunt in hoc vel isto casu charitatem esse perfectam? Sed hoc non spectat ad substantiam doctrinæ, de qua hic agitur. Restringant nonnulli, extendant alii casum Apostoli, ficut extendisse illum videtur Innocentius I., de quo mox egimus, fi fuerit ille quidam Innocentii III. prædecessor, hoc ad præsentem quæstionem non

spectat. Sufficit, quod nullus umquam negaverit, prout probari non potest aliquem negasse, in isto casu matrimonium dissolvi, sed omnes concorditer admiserint illud dirimi, licet casum illum alii magis, alii minus interdum extenderint.

CCXVIII. Quærit etiam utrum admittam sequens Innocentii ratiocinium huic casui applicari posse: " Et in hoc casu intelligimus, quod ait  
 „ Apostolus : *Si infidelis discedit, discedat; frater enim vel soror non est servituti subiectus in*  
 „ *hujusmodi*, ET CANONEM, IN QUO DICITUR, QUOD CONTUMELIA CREATORIS SOLVIT JUS MATRIMONII CIRCUMSTANTIA, QUI RELINQUITUR. „ Sed ab ipso vicissim quæro, utrum canon hic, sive sit proprie loquendo canon, sive non, utrum, inquam, aliud significet, quam quod in casu Apostoli possit fidelis, *qui relinquitur*, aliud matrimonium inire? Non est sane his in verbis jotta unum, aut unus apex, qui aliud indicet, cum verba illa nihil aliud importent, quam quod contumelia, quam infert infidelis Creatori, dum in odium fidei non vult cohabitare comparti, solvat jus matrimonii, quod habebat in compartem, quæ relinquitur, sive, quod non amplius habeat jus manendi in matrimonio cum compartem, eandemque sibi vinculatam tenendi. Quomodo igitur non admitterem, quod quærit, cum sit casus, quem propugno?

CCXIX. Inutiliter asserit dissertator pag. 59. (108.) nonnullos pontifices in suis decretalibus aliquando errasse, ut probet Innocentium III. pariter fuisse hallucinatum; nam, præterquam quod loci hujus non sit ista discutere, & hujusmodi parergis omnia possint eludi, ineptum sane est hocce ratiocinium: *Erravit ille, ergo &*



*iste. Hoc unicum deduci potest: Erravit iste, igitur errare potuit ille. Sed a potentia ad actum, nemo nescit non valere argumentum.*

CCXX. Pro coronide adjicit pag. 60. (109.)

„ Argumentum, quod a Græcis schismaticis peti  
 „ potest, quod, inquit, tale est. Si, qui modo  
 „ in schismate Græcorum versantur, eandem  
 „ nobiscum, de casu Apostoli, sequantur opi-  
 „ nionem, sententia nostra talem obtinebit cer-  
 „ titudinis gradum, ut ei amplius contradici  
 „ non poterit: siquidem certum sit, quod eam  
 „ ex ecclesiæ Romanæ praxi, qualis existit ab  
 „ Innocentii III. tempore, non mutuaverint;  
 „ cum jam ab ejus communione recesserant, &  
 „ alia praxis, ab illo tempore, in aliquibus ec-  
 „ clesiis, ecclesiæ Romanæ unitis, obtineret:  
 „ ergo illam suam doctrinam & praxim ex doc-  
 „ trina, hac ecclesiæ Romanæ praxi diu ante-  
 „ riore, sive ab apostolica traditione hausisse  
 „ dicendi sunt. „

CCXXI. R. Retorquendo argumentum. Si ante tempora Gratiani eandem nobiscum, in casu Apostoli, doctrinam tradiderint Græci, sententia nostra eum obtinebit certitudinis gradum, quo major esse nequit, cum certum sit, quod eam ex ecclesiæ Romanæ praxi, qualis existit ab Innocentii III. tempore, non mutuaverint, sed ex ea ecclesiæ praxi, quæ semper fuit, seu ex apostolica traditione hauserint. Atqui ante tempora Gratiani, idem, hoc in casu, nobiscum sentiebant Græci, sentiebant, inquam, quod, discedente infideli, fas esset fideli discedere, seu matrimonium solvere; ergo &c.

CCXXII. Probatur ex Photio, qui sæculum nonum tristi schismate, etiamnum durante, fœdavit, cujus testimonium refert celeberrimus Gagnæius in cap. 7. 1. ad Cor., ubi ita loquitur:

„ Quod si infidelis discedit... & cohabitare non  
 „ vult cum fideli, aut non vult sine Creatoris  
 „ contumelia, quod idem est, discedat etiam fi-  
 „ delis, & alteri (si velit) nubat, non enim  
 „ *subjectus est frater*, id est Christianus, in hu-  
 „ *iusmodi*. Quem locum sic Græcus Photius ex-  
 „ plicat: *Non oportet*, inquit, *matrimonium*  
 „ *dissolvere, siquidem pars infidelis cum fideli ha-*  
 „ *bitare consentit; sin autem seditiosus est infide-*  
 „ *lis & dissolutionem facit, non sic est illi fidelis*  
 „ *obnoxius, ut discedere quoque illi non liceat:*  
 „ *quin imo matrimonium infideli dissolvente, li-*  
 „ *berum quoque est fideli discedere, verum tamen*  
 „ (inquit Photius) *liber est, per infidelis defec-*  
 „ *tionem, matrimonium solvere.*., Quid sit autem  
 apud Photium *discedere, matrimonium solvere*,  
 notum est ex ejus nomo-canonis cap. 4., *de iis,*  
*qui divortium faciunt*, ubi ait: *Sine damno sol-*  
*vitur matrimonium, si maritus per triennium,*  
*post initum matrimonium, cum uxore coire non*  
*potuerit.* Et paulo post, ubi refert, *quod tam*  
*viro, quam mulieri ad meliora migranti, sol-*  
*vendi matrimonii simul & divertendi potestas sit.*  
 Quibus verbis nemo dubitat, quin vinculi ma-  
 trimonialis solutionem intelligat. Eam igitur  
 opinionem, quam tunc temporis Græci nobis-  
 cum habebant communem, etiam secundum  
 dissertatoris principia, ex *apostolica traditione*  
*haussisse dicendi sunt.*

CCXXIII. Insigne etiam hujusce rei habes tes-  
 timonium in Matthæo Blastere, monacho Græ-  
 co, cujus meminit dissertator pag. 60. (109.) Ille  
 siquidem cap. 12. littera *Gamma*, de casu Apof-  
 toli loquens, dicit: „ Vide tamen, quo pacto  
 „ divinus hic Apostolus, quadam condescensio-  
 „ ne utens, si pars fidelis, inquit, infideli co-  
 „ habitare velit, quo fit, ut, si cohabitare no-

„ lit, matrimonium sine dubio solvendum fit.  
 „ *Perfusus autem ipse sum, hæc fuisse prin-*  
 „ *cipii, & quasi primordiorum prædicationis.* „

CCXXIV. Sed notandum, quod, errore typo-  
 graphi, mendum irrepperit, & fit legendum :  
*Si pars infidelis fideli cohabitare velit, non au-*  
*tem, si pars fidelis infideli cohabitare velit,* cum  
 Apostolus, quem citat Blaſtere, non agat de fi-  
 deli, sed de infideli cohabitare volente, dicens  
 1. ad Cor. 7. v. 12. *Si quis frater uxorem ha-*  
*bet infidelem, & hæc consentit habitare cum illo.*  
 Et similiter v. 13. *Si qua mulier fidelis habet vi-*  
*rum infidelem, & hic consentit habitare cum illa*  
 &c. Ergo, juxta Græcum illum monachum, cu-  
 jus non potest dissertator recusare auctoritatem,  
 cum eam in sui favorem advocet, a principio,  
 seu primordiis ipsius prædicationis, eadem fuit  
 ecclesiæ praxis, quæ nunc est.

CCXXV. Cum ergo, juxta dissertatorem pag. 61.  
 (110.) „ si adversarius aliquis contrarium evice-  
 „ rit ( nimirum ante tempora Gratiani eam-  
 „ dem fuisse sententiam Græcorum, ac nos-  
 „ tram ), „ argumentum pro opinione sua pro-  
 „ tulisse videbitur, „ conclusum est contra ip-  
 „ sum, quia probatum est, idem tunc sensisse Græ-  
 „ cos, quod modo sentimus, tantumque subit  
 mirari, cur Græcos schismaticos, qui a primæ-  
 va praxi deflexerunt, in sui subsidium vocaverit.

CCXXVI. Ex praxi & sententia Græcorum  
 adversus protestantes solidum ducimus argumen-  
 tum, dum in hoc vel isto puncto ecclesia u-  
 traque convenit, id est, Latina simul & Græca;  
 per hoc enim ostendimus, quod non nisi a Chris-  
 to & Apostolis descendat, quod uniformiter  
 docemus & semper docuimus. At, dum mo-  
 dernos Græcos pro se citat dissertator, illos non  
 citat in puncto, in quo utraque ecclesia, id est

Latina simul & Græca convenit, sed in puncto, in quo ab ecclesia Latina diffidet Græca, cum certum sit, quod ecclesia Latina, in casu, de quo agitur, existimet matrimonium dissolvi. Quid ergo aliud est ad hodiernam praxim & sententiam Græcorum, ab ecclesiæ Latinæ sensu & praxi recedentium, provocare, nisi eorum errores citare & errantibus adherere?

CC.XXVII. Hæc interim, in illo supposito dicta sint, quod Græci schismatici ejusdem modo cum dissertatore sint sententiæ, quod operæ pretium non est examinare, sed quod ille admodum male probat *ex eo, quod tenaciter imp. Græcorum legibus semper inhaerint... quæ tamen leges, inquit, casus Apostoli non meminerunt.* Hoc siquidem argumentum est pure negativum, ex quo nihil potest deduci. Ut ex tenaci imperatorum Græcorum legibus adhæsiōne aliquid probaretur, ostendi deberet, non quod casus Apostoli non meminerint leges istæ, sed quod omnem alium solvendi matrimonii casum positive excluderint, quem ipsæ non expresserunt, & tunc ex tenaci illa dictorum imperatorum legibus adhæsiōne probaretur, quod modo non admittant Græci schismatici in casu Apostoli matrimonium solvi. Sed quid inde haberet dissertator, nisi quod Græci ab ecclesiæ sensu recesserint, ut imperatorum Græcorum legibus, evangelio contrariis, se conformarent, sicut ab illo recessit Balsamon, qui explicans Canonem 105. codicis ecclesiæ Africanæ, quem Græci concilium Carthaginense nuncupant, & in quo matrimonii indissolubilitas adeo stabilitur, illi opponere ausus est novellam Justiniani, dicens: *Tu autem scias, quod 117. Justiniani novella aliter de solutionibus matrimonii statuit.* Vide opus,

cui titulus : *Tradition, seu histoire de l'église sur le sacrement de mariage.* Tom. 3. pag. 206.

CCXXVIII. A fine ad initium dissertationis meæ saltum facit ibidem, culpatque, quod in ejus procemio veritus sim, ne *contra Romanæ ecclesiæ sensum & praxim* introducta novitas graves excitaret cum in ecclesia, tum in republica turbas, addens : " Sed quod adversarius ( ego )  
 ,, hic veretur, Augustinus non est veritus in  
 ,, exemplo a se adducto : neque enim legitur  
 ,, quod S. Augustinus S. Cyprianum accusaverit  
 ,, vel etiam cum ipso sentientes, quod causa  
 ,, essent tantarum in ecclesia turbarum &c. ,,

CCXXIX R. Non poterat Augustinus in exemplo adducto vereri ne excitarentur turbæ, cum ejus tempore, ob novitatem rebaptizantium, nimis jam essent excitatæ. Malum præsens nemo amplius timet, ne contingat, sed dolet contigisse. Quod autem Cyprianum Augustinus accusaverit & peccati arguerit, patet, ut cætera præteream, ex lib. unico de baptismo con. Petilianum cap. 13. ,, O quam detestandus est error hominum, inquit, qui clarorum virorum  
 ,, *quædam non recte facta* laudabiliter se imitari putant... sic enim & nonnulli, Petro Apostolo comparari se volunt, si Christum negaverint; si vero etiam gentes Judaizare coegerint, vocitari germani ejus affectant. Hæc in illo tanto viro reprehensibilia fuerunt, sed tanta eminuit apostolica gratia, ut continue delerentur.... sic & in martyre gloriosissimo Cypriano.... tanta ejus merita usque ad triumphum martyrii consecuta sunt, ut & charitatis, qua exellebat luce, *illa obumbratio fugaretur*.... Hoc de Agrippino aliisque episcopis... responderim, qui sic diversa senserunt, ut... in unitate persisterent, ubi charitas coo...

„ perit multitudinem peccatorum... Nova... tunc  
 „ quæstio fuit, ... quæ nonnullos fratres... *ipsa*  
 „ *novitate turbavit*... Ego autem, ut, quod de  
 „ hac re sentio, breviter dicam, rebaptizare  
 „ hæreticos, quod illi fecisse dicuntur, tunc fuit  
 „ humani erroris &c.„

CCXXX. Videt igitur dissertator, quod Augustinus Cyprianum, aliosque cum ipso rebaptizantes, erroris & peccati accusaverit. In quo autem consistebat peccatum illud, nisi in eo, quod contra ecclesiæ Romanæ consuetudinem agerent, &, non obstante S. Stephani rescripto, novam praxim introducerent, quæ nata erat magnas inducere turbas, prout reipsa induxit?

CCXXXI. At, inquit dissertator, pag. 62. (111.)  
 „ Nimis ridicula est *comparatio*, quam institui :  
 „ agebatur, in casu Cypriani, de æterna salute  
 „ istorum hominum, de valore scilicet baptis-  
 „ mi ab hæretico collati... Hic vero agitur de  
 „ aliquot Judæis, vel aliis infidelibus, ad conti-  
 „ nentiæ regulas reducendis, quod ad fidem,  
 „ quæ per dilectionem operatur, conversis per-  
 „ facile est.

CCXXXII. R. Atqui tamen in tanti momenti negotio, volentibus inducere novitatem sola opponeretur consuetudo, & huic acquiescere debebant Cyprianus & cum eo sentientes, peccabantque rebaptizando, etiamsi a valore baptismi penderet salus æterna eorum, qui non rebaptizabantur; ergo a fortiori, ubi agitur de re minoris momenti, ecclesiæ Romanæ, imo totius ecclesiæ consuetudo debet sufficere, ut, in casu Apostoli, pars conversa a secundis non possit nuptiis repelli, nataque est hæc novitas graves, cum in ecclesia, tum in republica, excitare turbas, quod ostendo.

CCXXXIII. Non agitur tantum *de aliquot Ju-  
 dæis*

*dæis, vel aliis infidelibus ad continentia regulas reducendis*, prout vult dissertator, sed agitur de omnimoda familiarum perturbatione: Quotquot enim, in isto casu, secundo matrimonio juncti sunt, ab uxoribus suis separandi sunt, cum, juxta dissertatorem, adulterina sint ejusmodi conjugia, & qui ex iis fuerint progeniti, declarandi sunt a paterna vel materna hereditate exclusi (saltem, si ex primo matrimonio nata sit proles, quæ adhuc sit superstes) licet illos ex legitimo matrimonio natos censeat ecclesia. An hoc non erit graves cum in ecclesia, tum in republica, excitare turbas!

CCXXXIV. Addit dissertator: quod *casus hic adeo rarus sit, ut van Espen... eum serio examinare dignum non judicaverit.*

R. Sit casus ille in Belgio nostro rarus, ideo-  
ne adeo rarus est iis in locis, quæ innumeri  
Judæi incolunt? Juxta dissertatorem pag. 33. (82.)  
*Similes casus sat frequenter contingere debebant,*  
dum Germania infidelibus erat referta; ergo ni-  
hil impedit, quin sæpius contigerint, ubi mag-  
na est Judæorum multitudo. De cæterò, quod  
sit casus iste rarus aut frequens, est omnino  
per accidens, verumque manet, quod senten-  
tia, quam impugno, per se loquendo, ad ec-  
clesiæ & reipublicæ perturbationem tendat, pro-  
ut jam ostendi.

CCXXXV. Sed quomodo, si dissertator lege-  
rit van Espen, potuit asserere, quod casum illum  
*serio examine dignum non judicaverit*, quando-  
quidem ex professo illum discutiat & examinet  
in commentario ad 2. part. Grat. causa 28., ubi  
ita discurret: "Cum ergo infidelium matrimo-  
nium non sit *ratum nec indissolubile*, quæritur  
,, an, uno eorum ad fidem converso, liceat huius  
,, ab infideli recedere, & ad alias nuptias tran-

„sire?“, Ecce casum, quem, juxta dissertatorem, *serio examine dignum* non judicavit van Espen, & quem tamen serio ipse examinat & discutit. Ecce insuper assertam a dicto auctore distinctionem inter matrimonium *ratum* & non *ratum*, tametsi hoc sit legitimum, quam tantopere & tam infundate deridet dissertator.

CCXXXVI. Pergit van Espen, & ad quæstionem propositam respondens, ait: „Hanc quæstionem fuse discutit Aug. lib. 1. de adulterinis conjugiiis, & ostendens, quod, juxta Aug., non liceat, id est non conveniat, ut ab infideli discedat fidelis conversus, dum ille sine contumelia Creatoris vult cohabitare, pergit ad casum, quo fideli cohabitare non vult infidelis, dicens: „Si vero infidelis nolit absolute cum infideli cohabitare, sed recedere velit, aut saltem nolit, nisi sub conditione fidei Christianæ adversante, tunc liberum est fideli recedere, & ad alias nuptias transire, prout locis citatis late docet Augustinus &c.“ Veniat modo dissertator, & dicat, quod casum illum serio examine dignum non judicaverit van Espen. Perinde est, ac si diceret, quod auctor ille nequidem *serio* examinaverit, quod *ex professo* probavit.

Monet tandem dissertator cum Apostolo 1. ad Thessal. 5. v. 21. *Quod bonum est, tenete.* R. Monito parvi, quod bonum fuit tenui, & si plura ex ejus scripto non tenuerim, imputet dissertator sibi.

CCXXXVII. Cum autem hac super re ulteriorem dissertationem non sim editurus, operæ pretium duxi in medium proferre argumentum quoddam ignoti quidem, sed tamen recentis auctoris, qui etiam contendit in casu Apostoli matrimonium non solvi, hac ratione mo-



tus, quod, dum Apostolus 1. ad Cor. 7. 7. 12. dicit: *Nam cæteris ego dico, non Dominus, si quis frater uxorem habet infidelem, & hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam, per hæc verba: Si quis frater uxorem habet infidelem, non significet legitimo matrimonio junctos, sed eos, qui vivunt quidem, tamquam matrimonio juncti, sed tamen illicito inter se commercio utuntur.*

CCXXXVIII. Notandum interim, quod author ille simul sustineat, quod, si verba mox dicta de matrimonio junctis debeant intelligi, nullo modo negari possit, quin, in casu Apostoli, solvatur vinculum matrimonii. Verba ejus eodem idiomate referam, quo conscripta sunt in libro, cui titulus. *Dissertation, ou l'on prouve que S. Paul dans le septieme chapitre de la premiere aux Corinthiens 7. 12. & 13. n'enseigne pas que le mariage puisse être rompu, lorsqu' une des parties embrasse la religion Chretienne, impresso Bruxellis (saltem ut præ se fert titulus) anno 1765., & in quo ita loquitur author pag. 283.*

CCXXXIX. " Le seul cas, ou l'homme soit  
 „ en esclavage à l'égard de la femme, & la  
 „ femme à l'égard du mari, c'est celui du lien  
 „ conjugal, qui fait que l'homme est maître  
 „ du corps de la femme, & la femme maitres-  
 „ se du corps de l'homme; par consequent c'est  
 „ du joug du mariage, dont parle St. Paul,  
 „ lorsqu'il dit: Que si l'infidele se separe, la  
 „ partie abandonnée ne doit point s'en embar-  
 „ rasser, parce qu'elle n'est point assujettie à  
 „ la servitude. Donc si saint Paul parle dans  
 „ le verset 12. a des gens mariés, il est clair qu'il  
 „ leur declare que le lien conjugal ne subsiste  
 „ plus. Or il est impossible que saint Paul per-

„ mette ce que Dieu defend , ni que l'homme  
 „ entreprenne de desunir ce que Dieu à joint ;  
 „ donc l'Apotre ne parle pas au verset 12. des  
 „ gens mariés , mais des gens qui , sans être  
 „ mariés , vivoient comme maris & femmes ,  
 „ au moment ou l'une des parties à embrassé la foi. „

CCXL. Hac potissimum ratione movetur author ille , ut sustineat Apostolum versu 12. de maritatis non agere , quod Paulus  $\psi$ . 10. de illis agat , qui sunt matrimonio juncti : *lis autem , qui matrimonio juncti sunt , præcipio , non ego , sed Dominus &c.* Et inter eos , quos alloquitur  $\psi$ . 12. , antithesim ponat , dicens : *Nam cæteris ego dico , non Dominus &c.* Ex qua antithesi seu oppositione arbitratur versum 12. de illis necessario esse intelligendum , qui matrimonio juncti non sunt ; alias enim , si tam hi , quam illi , essent matrimonio juncti , nulla , ut putat , posset inter eos fieri oppositio.

CCXLI. Sed hanc rationem nullam esse ostendit Aug. de serm. Domini lib. 1. cap. 16. , ubi utrumque textum expendens , ait : „ Dicebat enim superius ex Domini persona iis , qui sunt in conjugio ; nunc vero ex sua persona cæteris dicit : *Ergo fortasse iis , qui non sunt in conjugio.* Sed non hoc sequitur ; ita enim subjungit : *Si quis frater habet uxorem infidelis , & hæc consentit habitare cum illo , non dimittat illam.* Ergo etiam nunc iis dicit , qui sunt in conjugio. Quid sibi ergo vult , quod ait : *Cæteris ?* Nisi quia superius eis loquebatur , qui sic copulati erant , ut pariter in fide Christi essent ; cæteris vero nunc dicit , id est eis , qui sic copulati sunt , ut non ambo fideles sint. „ Proinde , juxta Aug. , antithesis , quæ habetur , non est inter eos , qui sunt ,

& eos, qui non sunt in conjugio, sed inter eos, qui ambo fideles non sunt.

CCXLII. Hanc interim Augustini explicationem & textus apostolici interpretationem respuit author ille, contendens Augustinum, omnesque alios cum ipso sentientes, in hoc fuisse deceptos, quod in editione, qua utebantur, legerent, sicut in vulgata nostra legimus: *Si quis frater uxorem habet infidelem* &c. Cum tamen in textu Græco non legatur *uxorem*, sed *mulierem*, quæ vox terminus est communis, perinde significans tam non junctam, quam junctam, prout multis exemplis probat. Ut ergo, juxta ipsum, vox *mulier* significaret uxorem, ad istam significationem deberet determinari per pronomen possessivum, v. g. *mea, tua, sua, ejus* &c. sicut ad illam determinatur ad Ephes. 5. v. 25. *Viri diligite uxores (mulieres) vestras* &c. Hoc autem non facit Apostolus 1. ad Cor. 7., sed simpliciter dicit: *Si quis frater uxorem (mulierem) habet infidelem* &c. Ergo nomine mulieris uxorem non vult intelligi.

CCXLIII. R. Verum est, quod vox *mulier* secundum se & independentem a circumstantiis, non magis junctam significet, quam non junctam. At non minus verum est, quod in textu Apostoli significet junctam, nec possit significare aliam, quod probo.

Eadem est vis verbi possessivi ad determinandam significationem vocis *mulier*, quæ est pronominis possessivi: atqui dum voci *mulier* adjungitur pronomen possessivum *mea, tua* &c., semper significat *uxorem*, nec potest aliam significare; ergo, dum regitur a verbo possessivo *habere*, semper significat uxorem, nec potest significare aliam, nisi adjiciantur particule alienantes, quæ alium sensum importent, prout

fit Joannis 4. , ubi mulieri Samaritanæ Christus dixit : *Quem habes , non est tuus vir.*

CCXLIV. Inauditum igitur est , quod *habere virum , habere mulierem* , per se & ex natura sermonis idem non significant , quod *habere maritum , habere uxorem*. Hocque magis palpabile fiet , si tamen possit esse palpabilius , si utamur verbo præterito & plurali numero. Quid enim significat hæc propositio : *Ista mulier habuit duos viros , iste vir habuit duas mulieres* , nisi quod uterque bis fuerit matrimonio junctus , sicut quiniæ fuerat Samaritana , cui Christus dicebat : *Quinque viros habuisti ?* Idem quoque est in Gallico idiomate : si quis enim dixerit : *Cet homme at eu deux femmes* , nemo est mortalium , qui non sit intellecturus , quod duas habuerit uxores , & hoc , quia per se & ex natura sua sensum illum dicta propositio significat.

CCXLV. Cum ergo simpliciter dicat Apostolus : *Si quis frater uxorem ( mulierem ) habet infidelem &c.* , de uxore necessario debet intelligi ; & sic etiam intellexerunt omnes sancti patres , qui vim Græci sermonis nullatenus ignorabant. Proinde certum est , quod de solutione vinculi conjugalis agat ibidem Paulus , cum certum sit ipsum de maritalis agere. Frustra allegat author ille *fieri non posse , ut Apostolus permittat , quod Deus vetat* , non enim sua , sed autoritate divina agebat Paulus , nec erat donator , sed tantum promulgator privilegii illius , quod in favorem fidei concessit Christus , apud quem *non est impossibile omne verbum*.

CCXLVI. Prodiit ab aliquot septimanis dissertatio alia , quæ dicitur excerpta *ex tractatu de sacramentis* , authore ILLUSTRISSIMO , CLARISSIMOQUE VIRO AUGUSTINO GERVASIO , eremita *Augustiniano* , in *Vindobonensi*

universitate S. theologiæ professore publico, nunc episcopo Gallipolitano in regno Neapolitano, in qua etiam sustinetur, quod in casu Apostoli matrimonium aliud inire non liceat.

Magna ex parte desumpta est illa dissertatio, quæ in laudato tractatu *de sacramentis* contineri dicitur, ex consultatione quadam Gallica, prout faterur author pag. 20. (127.) & quæ est domini le Ridant, celebris advocati Parisiensis, ex qua etiam officina, pro majori parte, clarissimi dissertatoris opusculum prodiit, ut ante jam notavi. Hinc factum est, ut, quod in illa reperitur, in hoc quoque, paucis demptis, habeatur, ut proinde respondisse uni, sit respondisse alteri.

Ne interim dissertationem illam penitus neglexisse videar.

CCXLVII. Dices cum illustrissimo tractatus auctore, dissertationis pag. 6. (117.) " In iis, quæ ad sacramenta pertinent, tutiorem opinionem tenemur sequi... Atqui longe tutius est, si in proposito casu conjux fidelis in statu continentie permaneat; nam, si hoc faciat, nullum inde metuendum est detrimentum: contra vero, si nubat, periculo frustrationis sacramentum exponit."

R. 1<sup>o</sup>. Probari deberet, & non simpliciter afferi, quod *periculo frustrationis sacramentum exponat*, qui in casu Apostoli ad secundas transit nuptias, quia hoc ipsum est, quod negamus. Itaque

CCXLVIII. R. 2<sup>o</sup>. Tunc dumtaxat, si in illis, quæ ad sacramenta, siue, quæ ad mores pertinent, debemus tutiora sequi, dum oppositum non est tutum, sed subest morale peccandi & sacramentum profanandi periculum, quod non fit in casu, de quo hic agitur, quan-

doquidem nullum tale periculum possit subesse, dum sese quispiam conformat praxi universalis ecclesiæ.

CCXLIX. Dico *universalis ecclesiæ*: Quia praxis omnium prorsus ecclesiarum particularium, est certo praxis ecclesiæ universalis; hanc autem esse praxim omnium prorsus ecclesiarum particularium, ex eo patet, quod nulla huc usque potuerit assignari, in qua, dum casus contigit, prohibita sit pars conversa, infideli discedente, ad alias nuptias transire, prout sæpe dixi, ante illud tempus, quo nuper in Gallia evenit casus, cujus supra memini. Hinc mirari fatis non possum, quomodo dissertationis illius pag. 23. (129.) dicatur: *praxim ecclesiæ non esse generalem, sed in aliquibus dumtaxat diocæsis & provinciis vigere*. Quænam enim est, in universo orbe, diocæsis vel provincia, in qua vigeat, aut viguerit umquam praxis opposita? Assignare tamen illam oportet, ut possit dici, *praxim ecclesiæ non esse generalem, sed in aliquibus dumtaxat diocæsis & provinciis vigere*.

CCL. Objicitur etiam pag. 22., (128.) " quod  
 „ olim habebatur tamquam præsumptum matrimo-  
 „ nium... si quis virginem apud se quasi u-  
 „ xorem habuisset, quam postea carnaliter cog-  
 „ novisset, licet sub initio ipsa repugnaverit;  
 „ nam ex hac cohabitatione deduci putabatur  
 „ tacitus quidam ad matrimonium consensus. „  
 Et quibusdam interjectis subditur: " Nunc ta-  
 „ men, quem non puderet talia opinionum  
 „ portenta sustinere, & practice usurpare? Fa-  
 „ ctum est tamen. Quod ergo de praxi istorum  
 „ temporum judicamus, comparate ad exposi-  
 „ tas doctrinas, idipsum fortasse posteritas de  
 „ praxi, quæ in casu controverso usurpatur,  
 „ judicabit. „

CCLI. R. Tota semper noscet posteritas, nullam posse inter utrumque casum paritatem institui. Matrimonii præsumptio fundatur in facto aliquo, seu in partium consensu, qui non nisi per externa potest innotescere; & ideo sæpe contingit, ut præsumatur factum, quod reipsa factum non est, quia externa frequenter fallunt. Patet hoc ex ipsa præsumptionis natura, quæ circa rem dubiam & incertam semper versatur, cum nihil aliud sit, quam conjectura probabilis ex signo aliquo, seu facto proveniens, & quam ipsimet iudices noverunt non semper veritate niti, licet interim præsumptionem *juris*, seu eam, quæ per leges introducta est, recte sequantur, etiamsi factum tale semper non sit, quale præsumitur, quia tunc non errant in jure, sed in facto, sequunturque modum, quo, secundum leges, in judiciis est procedendum circa rem dubiam & incertam. Sed asserta potestas in casu Apostoli aliud matrimonium in eundi, non respicit factum, sed jus, quod fundatur in sensu scripturæ, & quam dispersa per totum orbem ecclesia sic interpretatur, ut parti conversæ, in casu, de quo agitur, ad alias liceat transire nuptias; in quo, si erraret, non facti, sed juris seu doctrinæ error foret. Erratum igitur aliquando fuerit in facto, quid inde poterit deduci ad probandum in casu Apostoli matrimonium non solvi, cum nemo nesciat, quod ab errore *facti* ad errorem *juris* duci non possit argumentum?

Cætera, quæ in dissertatione ista, sive ex scriptura, sive ex Augustino, sive aliunde adferuntur, in antecedentibus vel abunde soluta sunt, vel solutione non egent.

CCLII. Hoc unum pro coronide suffecerit adjicere, quod nonnulli varios, sive Augustini,

five aliorum patrum textus, in consultatione Gallica domini le Ridant productos, nimis bona fide arbitrati sint dictorum patrum mentem referre circa casum Apostoli, ideoque textus illos in ipso, ut ita loquar, fonte non examinaverint. Verbo, lapsi sunt in illud ipsum, quod theologis, interpretibus & canonistis omnibus exprobrant: hos siquidem asserunt sine ullo examine Gratianum fuisse secutos: & ipsimet consultationem illam, absque ulla motæ quæstionis discussione, mox amplexi sunt.

CCLIII. Dico *absque ulla motæ quæstionis discussione*, quia, si illam discussissent, si SS. patres in illa consultatione citatos consulissent, fieri non potuisset, ut in illam sententiam abirent, in quam nunc abeunt, sed illam constanter tenuissent, quam primitus didicerant, cum certum sit, prout demonstravi, quod ex omnibus allatis SS. patrum textibus, ne unus quidem sit, qui casum Apostoli vel attingat, vel in isto casu asserat non esse licitum parti conversæ ad secundas nuptias transire; ut proinde opinio illa, quæ nullam habet a ratione, nec ullam habeat ab autoritate probabilitatem. Dignetur lector attente illos textus considerare, & assertionis meæ veritatem indubitatam comperiet. Qua igitur veri specie asserunt illam, quam tuemur sententiam, SS. patribus esse contrariam, & quænam sunt illæ rationes, quas vocant *certas & ineluctabiles*? Hoc itaque illis dictum esto, quod dicitur Danielis cap. 13., *Revertimini ad iudicium.*

F I N I S.

*AD MAJOREM DEI GLORIAM.*



PERMISSIO  
 REVERENDI ADMODUM  
 AC ERUDITISSIMI PATRIS MAGISTRI  
 PROVINCIALIS.

**P**ermittimus, ut *prosecutio dissertationis theologo-  
 canonicæ: Utrum in casu Apostoli I. ad Cor. 7.  
 parti conversæ ad secunda liceat vota migrare*, per  
 F. IOSEPHUM MAUGIS, ord. erem. S. P. Augustini,  
 in alma universitate Lovaniensi S. T. D. R., ex nostra  
 commissione, per R. A. ac erud. patrem Joannem  
 Chrysoptomum Leerse, in alma univ. Lov. S. T. L. &  
 sacrarum litterarum professorem, nec non provinciæ  
 Flandro-Belgicæ definitorem, ac R. A. & erud. P.  
 Joannem Sterck, in eadem univ. S. T. L. & profes-  
 sorem, necnon studii theologi regentem, examina-  
 ta & approbata typis mandetur. Dabamus Gandavi  
 in conventu nostro ad S. Stephanum, die 27. Maii  
 1771.

Fr. JACOBUS VOLLAERT ord. erem.  
 S. P. Augustini provinciæ Flandro-Belgi-  
 cæ prior provincialis, in alma univ.  
 Lov. S. T. L. & per fæderatas Belgii  
 provincias præfectus apostolicus &c.

**E**X commissione adm. rev. ac erud. patris ma-  
 gistri provincialis; legimus opusculum, cui ti-  
 tulus: *Prosecutio dissertationis theologo-canonicæ:  
 utrum in casu Apostoli I. ad Cor. 7. parti conversæ  
 ad secunda liceat vota migrare*, per F. JOSEPHUM  
 MAUGIS, ord. erem. S. P. Augustini, in alma u-  
 niversitate Lovaniensi S. T. D. R., in quo communem  
 ecclesiæ sententiam invenimus solide stabilitam, & ab  
 objectionibus quorundam recentiorum strenue vin-  
 dicatam: quare idem valde utile & prælo dignum  
 judicamus. Lovanii 25. Julii 1771.

Fr. JOANNES CHRYSOST. LEERSE  
 ord. erem. S. P. Augustini, in alma univ.  
 Lovaniensi S. T. L., provinciæ Flandro-  
 Belgicæ definitor, ac SS. literar. prof.

Fr. JOANNES STERCK ejusdem voti, in  
 alma univ. Lov. S. T. L., studii theol.  
 regens & prof.



gio per Christum Dominum concessio hæc tenus nobis non constet, tutius putamus insistere doctrinæ ipsius Christi Domini, verbis claris & generalibus *Matth. XIX. v. 9.* respondentis Pharisæis: *Quia quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mæchatur, & qui dimissam duxerit, mæchatur.*

Subjecta fuit & hæc, quæ hic additur, positio.

Idem pontifex in præfatione sua pag. ult. ita scribit: *Libenti animo subscribimus doctrinæ scriptoris egregii Melchioris Cani, qui de libris agens, qui a summis pontificibus conscripti publicantur, ait: Cum edunt libros de re qualibet Romani pontifices, sententiam suam, ut homines alii docti, exprimunt, non tanquam ecclesiæ iudices de fide pronuntiant.*

Et circa finem mensis Aprilis 1772. adversus idem scriptum evulgatum fuit

# PAULINI NERVII JURIS-CONSULTI

PRO

INSOLUBILITATE MATRIMONII

IN

*Casu Apostoli I. ad Cor. cap. 7.*  
Certamen Theologo-Juridicum.

GALLIPOLI,

Excudebat Ambrosius Stampatelli,

Cum permisso & facultate superiorum.

MDCCLXXII.

## PROŒMIUM.

*M*editanti mihi aliquando ad textum Apostoli I. ad Corinth. cap. 7. Si infidelis discedit discedat, non enim servituti subjectus est frater aut soror in hujusmodi, num parti conversæ alteras ineundi nuptias facultatem impertierit gentium doctor, incidere sorte in manus, quæ in utramque partem celeberrimi nationis Gallicæ caussidici de hoc casu scripserunt, cum ea super quæstione lis mota fuisset 1758. coram parlamento Parisiensi, ad quod provocatum fuerat per appellationem, ut vocant, ab abusu, a sententia ab illustrissimo Sueffoniensium episcopo lata, qua Judæum conversum a secundis nuptiis, priori uxore adhuc vivente, arcebat.

Scriptis illis inhæsi diu, nec me aut testimoniorum authoritas, aut styli amænitas moverunt, ut in unam potius quam alteram sententiam

irem. Rem maturo examine expendi, antiquam ecclesiæ disciplinam diligenter exquisivi, theologorum ac canonicistarum argumenta ponderavi; & eo tandem disquisitiones me meæ adduxerunt, ut de insolubilitate matrimonii, etiam in casu Apostoli, minime dubitaverim.

Hæc jam gravioribus distentus studiis prope oblivioni tradideram, cum in lucem produsse conspexi dissertationem a theologo Lovaniensi conscriptam, qua pro hujusmodi matrimoniorum solubilitate, quasi pro aris & focus dimicat. Nec multo post dissertationis illius confutationem vidi, solidissimis instructam argumentis, quam ediderat ejusdem academiæ jurisconsultus, in iis, quæ ad primævam ecclesiæ historiam ac praxin pertinent, versatissimus. Hæc tum quietura credideram, cum theologus nova lucubratione, eaque admodum diffusa, jurisconsultum denuo provocat, de certa jam victoria sibi gratulans.

Rebar futurum, ut hic non ab armis cessaret, cum tot ad hostem profligandum superessent copiae: verum seu vanos theologi conatus nec ultra refellendos reputaverit, seu aliis curis detento in arenam rursus descendere non vacaverit, silere illum animadverto. At non attendit forte vir clar., suum apud exteros silentium causae, quam tuetur, imo suae ipsius aestimationi officere aliquando posse, atque inde invaliturum systema, quod erroneum appellare non reformido. Ut ut sit, ejus nunc partes suscipere ausim, non viribus innixus meis, sed causae bonitati confisus. Non melatet quem in me virum concitem: nota namque mihi est ejus in locis theologicis acute pertractandis perspicacia, qua sibi nomen celebre, nec immeritum, fecit.

Itaque ab illo limite, a quo jurisconsultus Lovaniensis desit, rem ordinar, atque dissertationi illius historico canonicae, certamen meum theo-

logo-juridicum inferam, & si ominari fas est, illud inire conabor non infelici successu: eruditorum cœtus judex esto, illi eant in consilium, decernant, quis justius induit arma.

Hoc tamen monitum lectorem velim, si aliquando e calamo verbum aliquod, quod offensionem redolet, præter sententiam exciderit, non illud mihi acerbitatis aut procacitatis vitio vertat; sed verius scribentis effervescentiæ tribuat. Absit sane a me theologum illum ulla in re lædendi animus; excusabit profecto ipse verba, si mentem norit, quæ colit illum plurimum, addictissimumque ei studium e longinquo proficitur.






PAULINI NERVII  
JURIS-CONSULTI

P R O

*Insolubilitate matrimonii in casu  
Apostoli I. ad Corint. cap. 7.*

Certamen Theologo-Juridicum.

I.  Undamenti loco hujus certissimæ  
veritatis posuerat vir clar., oc-  
to prioribus ecclesiæ sæculis SS.  
patres constanter docuisse matri-  
monium, etiam infidelium, na-  
tura sua ac institutione divina esse insolubile,  
atque ratum ac firmum manere apud infideles;  
etiam post conversionem unius partis ad fidem;  
nullamque tunc in ecclesia invaluisse exceptionem,  
quam insinuari credunt multi in textu  
supra adducto, nimirum ex I. ad Corint. 7.

Hoc assertum tam evidenter ex Tertulliano,  
S. Hieronymo, S. Chrysofomo, S. Ambrosio,  
S. Augustino, aliisque probaverat, ut non satis  
demirari possimus, aliquos hoc non animadver-  
tisse; certe ideo, quia ex eorum numero sunt,  
qui rationes suas facile arbitrantur certas esse,  
atque ineluctabiles.



II. Hic opponitur S. Justinus martyr, tamquam, qui docuisset clar. viri opinioni contrariam sententiam. Sed eximius persecutor, circa sensum verborum S. martyris, adeo veri stabile judicium deponit, ut sit mihi ambigendum, utrum hic suam eruditionem paulisper seposuerit, an vacillaverit per errorem?

Enimvero, quæ S. Justinus apologia secunda pro Christianis ad senatum Romanum exponit, casum Apostoli minime tangunt. Ut hoc omnibus pateat evidenter, juvat hic describere ejus verba, prout fert interpretatio Joannis Langi, quæ merito, ut notant Benedictini, aliis anteponitur, quæ talia sunt.

” Mulier quædam cum marito suo homine  
 „ libidinoso fuit, libidini & ipsa prius dedita:  
 „ ubi autem illa mysticam arcanamque Christi  
 „ professionem perdidicit, cum ipso moderatam  
 „ continentemque vitam est complexa, & fu-  
 „ turum illum æternum ignem, qui impudicis  
 „ atque voluptuariis paratus est, promissiones-  
 „ que itidem sempiternorum, piis destinatorum,  
 „ bonorum proponens. Sed enim cum multa  
 „ sæpe dicendo nihil apud eum efficeret, atque  
 „ ille in procaci petulantia sua permaneret,  
 „ mulierem improbis suis moribus a se reddidit  
 „ alieniorem. *Illa namque impium esse judicans*  
 „ *cum tali deinceps viro consuevisse, qui præter*  
 „ *naturæ leges modis omnibus per libidines varias*  
 „ *voluptatis fructum quæreret, discedere ab eo*  
 „ *voluit.*

„ Ut vero illam propinqui pro autoritate  
 „ sua ab illo consilio sunt dehortati, spemque  
 „ ei fecerunt, virum aliquando tandem in me-  
 „ lius mutatum iri, manere cum homine est  
 „ coacta. Postquam vero maritus Alexandriam  
 „ profectus, multo etiam deterior factus esse

„ dictus est, femina verita, si de cetero eodem  
 „ cum illo lecto, eademque uteretur mensa, ne  
 „ impietatis quoque ejus fieret particeps, misso  
 „ illo, qui apud vos dicitur repudii libello, ab eo  
 „ sejuncta est.

„ Ille porro, cum conjugis suæ causa lætari  
 „ debuisset, quæ scilicet priori suæ vitæ nun-  
 „ cium remisisset, simulque ebrietatem, lascivi-  
 „ viam, & ( ut uno verbo dicam ) improbita-  
 „ tem omnem, ut amplius conditiones non  
 „ eligeret ac cum servis aliisque, quæstus gra-  
 „ tia, impudicis non congregaretur, nec in li-  
 „ bidinum cœno volutaretur, valere jussisset;  
 „ ipsi quoque, ut meliora sequeretur, suasisset,  
 „ tantum abest, ut id ille fecerit, ut ab ipsa  
 „ statim discessione accusationis libellum, Chri-  
 „ stianam eam esse, imperatori obtulerit. Mulier  
 „ citata, supplici quoque libello principi dato,  
 „ petiit sibi permitti, ut rem familiarem suam  
 „ primum constituere, ac deinde accusationi  
 „ ejus respondere posset. Quod cum illa impe-  
 „ trasset, *Maritus* accusatione abolita, illam  
 „ quidem dimisit &c. „

III. Ex hoc contextu clare patet, S. Justinum  
 agere de casu, ubi ob morum mariti vitia more  
 Romano divertere liceret, seu licitum erat uxori  
 marito mittere libellum repudii, aliudque inire  
 connubium. Quem morem Constantinus impe-  
 rator sustulit lege sua in Theodosiano codice  
 relata, *L. I. de repudiis*, in verbis: „ Placet  
 „ mulieri non licere propter suas pravas cupidi-  
 „ tates marito repudium mittere, exquisita  
 „ causa, veluti ebrioso, aut aleatori, aut mu-  
 „ lierculario, ..... sed in repudio mittendo a fe-  
 „ mina hæc sola crimina inquiri, si homici-  
 „ dam, vel medicamentarium, vel sepulchro-

„rum dissolutorem maritum suum esse probavit. „

Itaque præterquam ob tres causas, nominatim huic legi infertas, omnem divertendi facultatem prohibet imperator.

Ad hunc morem alludere S. martyrem, & nullo modo ad casum Apostoli, patet ex his ejus verbis: „ illa namque impium esse judicans cum „ tali deinceps viro consuevisse, qui præter „ naturæ leges modis omnibus per libidines „ varias voluptatis fructum quæreret, discedere ab eo voluit. „ Cui versio etiam consonat versio Turriana.

Quæ verba manifeste indicant voluptates ac libidines marito proprias, non vero illas, ad quas, ut fingit persecutor, maritus ille uxorem nitebatur impellere.

Benedictina interpretatio, huic etiam ea in parte est conformis, sic enim habet:

„ Impium enim esse mulier existimans cum „ eo deinceps viro, qui præter naturæ legem, „ præterque jus, undecumque voluptatis vias „ exquireret, tori consortio jungi, discedere a „ conjugio voluit. „

Quæ verba rursus peccatum non uxoris, sed mariti indicant.

Notant Benedictini ad hunc locum: multos ex antiquis scriptoribus idem, quod hæc mulier existimasse, scilicet non licere cum viro adultero manere, aut cum uxore adultera; sic tamen, ut aliud matrimonium minime concederent. Vide Cotelerium in lib. II. Hermæ.

S. Justinum etiam illius sententiæ fuisse, patet ex prima ejus apologia, in qua imperatori Christi præcepta de castitate exponens, ait: *qui ducit repudiatam ab altero viro, adulterium committit.*

IV. Prosecutor, ut ex præcitatæ S. martyris verbis casum Apostoli emungat, interpretationi, qua utitur, adjungit, quod in illa non reperitur, sic enim habet ejus versio.

” Nefas enim & impium rata mulier deinceps cum viro habitare, qui contra legem naturæ & contra jus, viam libidini & voluptati omni ex parte patefacere studeret, a conjugio disjungi separarique constituit. „

Ut hæc verba ad peccatum mulieris, quod maritum ejus intendisse voluit, extenderet, de suo addit (qua fide nescimus) *utpote, qui ei, scilicet mulieri, contra legem naturæ viam libidini ac voluptati omni ex parte studeret patefacere*. Sic publico imponere volens, ut casum Apostoli, prout eum explicat INNOCENTIUS III., inveniret. Debuisset potius, si quid ambigui in ea, qua usus est versione, reperiretur, ex aliis S. martyris versionibus emendare.

Sed, inquit, quid significant hæc verba, *tum vero ille, qui aliquando vir ejus fuerat*, vel, ut habet Benedictina versio, *at illius quondam maritus*, nisi quod tunc vir ejus amplius non esset?

Ast reflectere debuisset, quod S. Justinus hic alloqueretur imperatorem, præ oculis habens, non quod Apostolus docuit, sed leges civiles: quæ propter adulterium aliaque morum maritorum vitia, uxoribus licentiam, ab ecclesia semper improbatam, indulserunt, ut ad novas nuptias transire possent.

Hoc liquet ex his verbis: *misso*, inquit, *eo, quod vocatis repudio, discessit*. Quibus significat, non quid ipse de hoc casu sentiret, sed quid ex more gentilium tunc temporis obtineret, nam nusquam ex ecclesiæ lege necessarium fuit, ut, dum pars innocens ab adultera quoad torum divertere volebat, ei mitteret libellum repudii:

quod & notat Origenes *cap. 7. in Matth.* in verbis: „ nec enim in causa adulterii oportet „ dare libellum repudii. „ Multo minus id fieri oportebat in casu Apostoli.

Et vero SS. patres, aliosque antiquiores, eo in negotio, ad normam legum civilium aliquando fuisse locutos, licet de solutione vinculi matrimonii minime cogitarent, notant passim eruditi.

Neque etiam eo loco legitur, hanc mulierem de novis contrahendis nuptiis cogitasse; sed hoc unicum, postquam tentatis frustra omnibus modis, quibus vir ad sanam reduceretur mentem, ab eodem *quoad lectum & mensam* esse se junctam. Quae verba profecto non vinculi dissolutionem, sed tori & habitationis in mente dictae mulieris denotant; & tantum abest, ut maritus ille uxorem ad peccatum niteretur impellere, quin contra uxor viro, ut idem faceret, quod ipsa, omni ex parte suadere conabatur.

V. Quae ex Tertulliano adduxit vir clar., persecutor non intellexisse videtur: argumentatio quippe ipsius ex Tertulliano erat haec: juxta Tertullianum pars fidelis, cui consentit cohabitare pars infidelis, aliud non potest inire concubium; quia infidelitas licet justam praebet causam divortii quoad torum, vinculum tamen matrimonii juxta ipsum nullo casu dissolvit: ex quo inferri licebat, partem fidelem, a qua discedit infidelis, eadem obligatione confringi.

Notat vir clar., Tertullianum nullitatem hujus consequentiae ignorasse; cum illius exceptionis, quam Apostolus in hoc loco fecisse asseritur, non meminerit; ubi tamen textum Apostoli discutere in animo haberet, simulque asserat, talem habere in matrimonio, juxta monitum Apostoli, perseverandi necessitatem. Dominus

quidem, inquit, divortium prohibet, nisi stupri causa, sed continentiam commendat, seu aliam ducere prohibet.

Asserit quidem prosecutor: alia Domini lex est, dum infidelis a parte fidei discedit: sed hanc præsentiam Domini legem Tertullianus ignorare debuit, si ea, quæ Dominus de fornicatione carnali dixit, æque ad fornicationem spiritualem, seu infidelitatem extendi debeant, scilicet Dominum, neque etiam Apostolum, eo in casu, divortium non prohibere; sed similiter continentiam commendare. An forte, quia adversarius soliditatem hujus confessionis non videt, idem de Tertulliano censendum sit?

VI. Itaque hoc adjicimus, quod magnopere in hoc argumento est considerandum; nempe Apostolum dicto loco nullam novam divortii causam verbis illis significare, ex qua liceat matrimonium dirimere, ac proinde Christi verbis nihil adjicere. Quærentibus enim Corinthiis, an propter infidelitatem liceat divortium facere, respondet non licere, itaque in eo, quod subjicitur de desertione, non est quæstio de divortio faciendo, sed illud quæritur, an post divortium illegitime factum ab infideli, liceat consulere fidelis conscientiam, qui quantum in se est infidelem deserticem repetit. Jam vero, quæ Dominus de adulterio dixit, matrimonii vinculum non respiciunt; & ita, quæ Paulus de infidelitate dixit, nec illud respicient: & si infidelis fidelem deserat, imputabitur quidem infideli, inquit Apostolus; sed quisque eorum sane, juxta Domini dicta, adulter est, si cum alia persona consuescat; sicut quisque eorum adulter est, si ad aliam divertat in casu, cujus Dominus expressius meminit.

Hoc hæreticis adeo persuasum est, qui magis consequenter in hoc negotio procedunt, scilicet cum fornicatio, juxta ipsos, voluntate Domini parti innocentii justam præbeat divertendi causam; causa quoque eadem voluntate justa fit perniciofa desertio. Quod cum ita sit, numquid ille recte procedit: juxta catholicos fornicatio voluntate Christi divertendi justa causa non est; ergo eadem Christi voluntate perniciofa desertio causa quoque divertendi justa non est, cum ad eandem Domini legem Apostolus recursum habeat?

Hoc argumentum persecutor tota sua dictione non tetigit; nisi per hoc patelli operculum, quod continuo repetit; *tota & adæquata ratio est voluntas Christi*; sed meminisse debet, quod in eadem regione, ubi putare non est probare, etiam affirmare non sit probare. Nec etiam de ipso, qui hac in parte cum hæreticis sentit, sine aliquo ejus dedecore dici possit, eum errori, quem hæretici de fornicatione habent, quam plurimum patrocinari.

VII. Vir clar. ex S. Hieronymo *Lib. I. adversus Jovinianum*, pro sua sententia formaverat argumentum, quod, quidquid dixerit eximius persecutor, omnino stabile est; scilicet ex eo sic ratiocinatur. Cum igitur in casu, quo infidelis parti conversæ cohabitare vult, separatio, quam hic prohibet Apostolus, fatentibus adversariis, unice respiciat torum seu habitationem cum parte infideli; etiam separatio cum nolente cohabitare, quam jam præcipit Apostolus, ne pars fidelis conjugem Christo præferre videatur, S. Hieronymo interprete, torum tantum seu habitationem respicit.

Non placet illud ratiocinium persecutori: vultne forsitan, inquit, inter utramque separatio-

nem, seu eam, quam in uno casu prohibet, & in alio præcipit Apostolus, instituire paritatem? Profecto rem acu tetigit; nec aliud voluisse (penes ipsum liceat) Hieronymus potuit; quod est demonstrandum.

In primis apud Hieronymum certum est vinculum conjugale manere, etiam post divortium quacumque de causa factum. Ita enim in epistola ad Amandum de hoc negotio sententiam suam aperit.

„ Quamdiu vivit vir, licet adulter, licet Sodomita, licet flagitiis omnibus coopertus, & ab uxore propter hæc scelera derelictus, maritus ejus reputabitur, cui alterum virum accipere non licet. Nec Apostolus hæc propria authoritate decernit, sed Christi in se loquentis verba secutus, qui ait in evangelio &c. „

Examinat autem hoc loco hæc generaliter ab Apostolo dicta, ad Rom. *Mulier enim, quæ sub viro est, vivente viro adstricta est legi; ergo inquit vivente viro adultera erit, si duxerit alterum virum.* Et in alio loco, scilicet ad Corinth. cap. 7. *Mulier ligata est, quanto tempore vivit vir ejus, si autem dormierit vir ejus, liberata est.* Itaque certum est in mente Hieronymi, Apostolum dictis in locis nihil de suo addere, quod vinculum matrimonii concernit; sed dumtaxat tractare, quod de eo Dominus in evangelio docuit. Sive agatur de conjugate deserto, sive de deserente.

Etiam certum est apud Hieronymum, Dominum in evangelio nihil docuisse, ex quo inferri posset in aliquo casu possibili matrimonii vinculum esse dissolutum, quibuscumque demum sceleribus esset obnoxius maritus.

Cum vero ad casum Apostoli aliud non respondeat, quam hoc casu *discedere debere credentem, ne conjugem præferat Christo, cui etiam anima*



*postponenda est*: quæ verba de infideli filio a fidei patre, & e converso, dici possunt, absque eo, quod solvatur vinculum filiale aut paternum, item de duobus fidelibus, vel fidei cum infideli matrimonio junctis, absque eo, quod solvatur vinculum matrimoniale, ut quid carpere vult prosecutor hoc modo differentem: in prima parte de discessione quoad torum agit Hieronymus; quidni etiam de eadem agere in secunda parte intelligi debet?

Et vero Augustinus *Lib. I. ad Pollentium cap. 3.* ita differit, „ Quid si ergo dicat, dimitto „ quidem uxorem meam sine ulla causa fornicationis, sed continens permanebo; ideone dicemus eum impune fecisse, quod facit? Quis „ hoc dicere audebit, qui voluntatem Domini „ hæc dicentis intelligit? Quoniam nec continentiae causa dimitti conjugem voluit, qui solam causam fornicationis excepit. „

Quis ergo dicere audebit in casu Apostoli matrimonii vinculum solvi, qui voluntatem Domini hæc dicentis in evangelio intelligit, & qui ibidem nullam causam, qua vinculum matrimonii solveretur, excepit? Maxime, quod hic casus temporibus Christi contingere potuerit, & facile contigit.

Itaque omissis illis, quæ prosecutor hic extra oleas congerit, & quæ solutione non egent, unum dumtaxat, quod explicationem meretur, tractabimus, utpote, quod videtur esse tota basis, qua sustentatur adversarii sententia.

VIII. „ Prodeat inquit adversus illos nescio „ quis hæreticus (ponat audacter & catholicus) qui eodem argumento, quo ipsi contendunt, in casu Apostoli matrimonium non „ solvi, similiter prætendat nec per professionem „ solemnem matrimonium non consummatum

„ dissolvi, asserens non esse clarum dissolutionis  
 „ illius fundamentum, & legi claræ per verba  
 „ ambigua non derogari, quid ad hæc responde-  
 „ bunt adversarii?

Respondebunt cum Augustino: votum continentiæ, quomodocumque consideratum usque ad tempora Augustini, nequidem justam separationis causam quoad torum fuisse, comparte contranitente, procul abest, ut matrimonium non consummatum jure divino solveret, cum Dominus in evangelio continentiæ causa conjugem dimitti non voluit, qui solam causam fornicationis exceperit.

Et cum apud SS. patres istorum sæculorum pro casu professionis solemnæ, matrimonium ratum tantum dissolventis, nihil dictum reperitur; ideo cum S. Thoma dicendum: matrimonium ratum & non consummatum hucusque non esse omnino perfectum & absolutum, sed conditionatum, *si interea alter conjugum ad frugem melioris vitæ non convolet.*

Hæc conditio in omni matrimonio tantum rato inest ecclesiæ constitutione, seu disciplina: quæ disciplina universalis ecclesiæ decreto in Tridentino est confirmata. Quam sententiam amplectuntur quam plures theologi probatissimi.

Et vero Pallavicinus *Lib. 23. cap. 9. N. 7.* Fra-Paolo accusat asserentem, mirum cum pluribus accidisse, quod tamquam articulus fidei poneretur matrimonium non consummatum dissolvi professionis solemnæ causa: simulque ostendit, hanc Tridentini mentem non fuisse; cum sententia, quæ asserit: hunc etiam effectum solvendi vinculum matrimonii non consummati spectare ad votum solemne ex mera ecclesiæ lege, a Tridentino reprobata non sit: & eam aperte episcopus Urbevitanus, cum in concilio

Tridentino esset, referrente Pallavicino *Lib. 22. cap. 4. N. 19.* sustinuerit in verbis: „ Jam vero  
 „ cum hæc facultas dissolvendi conjugii, non-  
 „ dum per copulam completi, privilegium quod-  
 „ dam sit conjugibus ab ecclesiastico jure con-  
 „ cessum, conficitur &c. „

Et Pallavicinus ait: „ tametsi quælibet ex alla-  
 „ tis sententiis inter limites incerti persistat (re-  
 „ fert autem tres de hac quæstione sententias) est  
 „ tamen per disjunctionem certum, aut ex hoc,  
 „ aut ex illo capite a professione solemnè dissolvi  
 „ matrimonium non consummatum. „

„ Et hinc merito sentientem cum sectariis lu-  
 „ theranis & Calvinistis, qui hoc ecclesiæ catholi-  
 „ cæ verterunt crimini, multavit anathemate sy-  
 „ nodus Tridentina *sess. 24. can. 6.* „

De initio hujus ecclesiæ disciplinæ non satis constat; constat tamen eam temporibus Augustini nondum in ecclesia invaluisse, ut modo notavimus. Plures non immerito eam jure decretalium in ecclesiam introductam esse existimant.

IX. Sed ecce eximius persecutor, qui rem hanc non videtur intelligere, pag. 86. (223.) suæ prosecutionis, ut quæ de re illa pag. 44. (91.) attulerat vir clar. enervet, plura invenit, quæ ad rem non faciunt. Scilicet nescit distinguere inter conditiones, quæ ex natura rei, vel potestate legis actibus hominum insertæ esse intelliguntur, & illas, quæ ex consensu agentium negotiis adjiciuntur. Quod discrimen si cognovisset, non ei tot locutiones inutiles excidissent.

Conditio, quæ ex consensu partium negotio adjicitur, contractum reddit conditionalem, suspendit diei cessionem, & efficit, ut interim non nascatur obligatio. Itaque si de tali conditione hic ageretur, vera essent, quæ hic adfert persecutor.

Conditio vero extrinsecus veniens, seu quæ ex vi legis aut natura rei contractui inest, non efficit contractum conditionalem; adeoque istis effectibus non resistit, qui alias, dum contractus pure initur, secuti fuissent, sed tantum illi, cui ex potestate legis inest conditio.

Jam vero conditio, quam ex potestate ecclesiæ contractui matrimoniali inesse dicimus, dumtaxat vinculo matrimonii resistit, seu, quod ex eo nascitur jus exigendi debitum, solum afficit, adeoque hic nihil suspenditur, seu, non efficitur, ut ante ejus existentiam nihil debeatur, sed mora tantum petitioni injicitur: ita, ut dilatio inde pendens, similis sit diei dilationi, quæ facit, ut priusquam dies venerit, res peti non possit, at nihilominus ante debeatur.

At forte petet adversarius, cur ergo, si hæ conditiones non sunt, si obligationem non suspendunt, conditiones vocantur? Aut, si sint conditiones & negotio insint, qui licet dicere, eas non facere negotia conditionata? Hoc enim perinde esse videtur, ac si quis dicat, cum in negotio conditio insit, conditionem tamen non esse.

Res sic se habet: jure hæ conditiones sunt, ut quibus deficientibus actus numquam initus esse intelligatur: voluntate agentium conditiones non sunt; quam voluntatem, si quæramus, non alia esse reperietur, quam, ut, actu posito, statim nascatur obligatio, ne quæ mora ipsorum voluntati & ei, quod agunt, adferatur. Non esse ex agentium voluntate, etiam patet ex eo, quod etiam si contrahentes eas detractas velint, non queant non inesse; usque adeo namque verum est, conditionem illam, quæ ex præscripto legis contractui inest, non efficere eum conditionalem, ut quamvis nominatim a contrahen-

tibus expressa fit, nihil tamen contractui noceat; ut adeo etiamsi fingamus matrimonium initum sub hac conditione, *si intra bimestre non profitearis*, nihilominus fit sacramentum &c... hac nempe ratione, quod conditio, quæ non expressa sua sponte inesset, supervacaneæ & frustra adjiciatur & exprimatur; ut ea adjectio admonitionem magis & demonstrationem, quam conditionem contineat, nisi aliunde certum esset, illam ex contrahentium mente nominatim adscriptam esse, ut contractus conditionalis fieret. *L. 69. de hered. inst.*

In omni autem conditione, sive voluntate partium, sive potestate legis, aut ex natura rei contractui inest, hoc semper efficitur, ut deficiente conditione non intelligantur fuisse contrahentes ea in parte, cui conditio refertur: adeoque nec contractus, cui hæc conditio adjecta est, vel inest. Hoc ideo, quia quoad hoc effectus nondum est positus; alii tamen effectus ex illo contractu resultantes, & qui voluntate partium jam sunt producti, nec ab implemento conditionis dependent, manent positi, licet implementum conditionis non sequatur, & eo casu potestate legis ab initio intelligitur non fuisse contractus.

Itaque cum hic agatur de conditione, quæ ex ecclesiæ præscripto contractui matrimoniali inest, etsi deinceps conditio hæc deficiat, nihilominus contractus ille erit sacramentum, eritque veri nominis adulterium, si alteruter vel uterque ante professionem cum alia persona libera carnale commercium habuisset; eritque etiam invalidum connubium, quod ante unius partis professionem pars altera inivisset: imo & verum erit partem in sæculo remanentem cum consanguineis partis professæ verum contraxisse pu-

blicæ honestatis impedimentum; quia omnes hi effectus voluntate contrahentium sunt producti, nec iis conditio resistit. Nihilominus etiam verum erit, eo in casu, quo deficit conditio, sic ex ecclesiæ lege adjecta, contractum ab initio nunquam fuisse intelligi.

Juvat rem hanc claritatis causa illustrare uno alterove exemplo. Juxta *L. 99. ff. de condit. & demonstr.* conditiones extrinsecus, non ex testamento venientes, non faciunt legata conditionalia, v. g.: omni legato inest conditio isthæc: *Si heres hereditatem adiverit*: & tamen certum est, herede recusante hereditatem adire, totum testamentum, adeoque & omnia legata, corruiere; quo corruiere nihil debetur, nec legatarii intelliguntur fuisse. Eo non obstante hæc conditio, *si heres hereditatem adiverit*, quia extrinsecus venit, seu non ex voluntate testatoris, non facit legatum conditionale. Similiter *in cap. 25. de jurejurando*, pontifex declarat: „Si quis juraverit se ducturum aliquam in uxorem, fornicationem subsequenter ei opponere potest, ut illam non ducat in conjugem; quia in illo juramento, talis debet conditio subintelligi, *si videlicet illa contra regulam desponsationis non venerit.* „

Itaque sponsalibus omnibus ex natura rei inest conditio isthæc: *si omnia in eodem statu maneant*; ita, ut si tale quid superveniat, quod notabiliter statum priorem mutet, merito quoque ob defectum conditionis subintellectæ sponsalia corruant; nec umquam obligationem nubendi produxisse intelliguntur.

Certum tamen est effectus reliquos pendente conditione statim productos esse, & ea deficiente remanere; sic publicæ honestatis impedimentum ex talibus sponsalibus natum, non obstan-

te quod defectu conditionis non intelligatur nata obligatio nubendi, perpetuo manet.

Quia conditio hæc, quæ hic ex natura rei subintelligitur, actum non facit conditionalem, sed purum relinquit, & ejus defectus id tantum efficit, ut non sequantur ea, propter quæ conditio inesse deprehenditur: alia vero, propter quæ conditio non inest, puta publicæ honestatis impedimentum, ab ea conditione non dependent, statimque ponuntur, & quicumque demum evenerit, posita manent. Ex sponsalibus autem puris certum est, etiam post Tridentinum, statim oriri & manere publicæ honestatis impedimentum.

XI. S. Thomas *supp. quæst. 61. art. 2.*, respondens ad argumentum, quod sibi secundo loco objecerat, dicit: „ante carnalem copulam non esse „omnino translatum corpus unius sub potestate „alterius, sed sub conditione, *si interea alter „conjugum ad frugem melioris vitæ non con- „volet.* „

Ad hanc S. Thomæ responsionem rectissime notat prosecutor, in mente S. Thomæ hanc conditionem tantum afficere jus exigendi debitum in uno, & obligationem reddendi in altero, & merito; quia hæc conditio, utpote quæ potestate ecclesiæ contractui matrimoniali inest, moram tantum petitioni injicit, nec obligationem suspendit, nullo autem modo reliquos effectus differt; cum lex ecclesiæ non id agat, ut effectus, voluntate contrahentium jam productos, ullo modo differat; sed hunc tantum, cui legis dispositio resistit; ex quo patet, fatente adversario, loco ex S. Thoma adducto, responsum nostrum evidenter confirmari.

Itaque ista & toties, ad nauseam usque, ab adversario de matrimonio rato non consummato

repetita paritas, virum clar. non terret, nec urget

XII. Nihil unquam verius dixit profecutor, nos, si non definivisset Tridentinum, matrimonium ratum per professionem solemnem dirimi, cum parte longe maxima negaturos, uno conjugum solemniter proficiente, posse alteram ad secundas nuptias transire.

Numquid eadem ratione juste negamus in casu Apostoli, parte infideli nolente cohabitare, fidelem posse ad secunda vota transire? Cum Tridentinum, licet res illa in eo concilio fuisset tractata, nihil tamen de eo casu decreverit.

Viden pulchrum effugium eximii profecutoris; pag. 82. (219.) suæ profecutionis ait: ignorare non deberet, noluisse Pallavicinum omnes Fra-Paolo errores, sed graviores dumtaxat refellere. Et relatis Pallavicini verbis, hæc adjicit: „vi-  
„ detne modo dissertator, quam infundate di-  
„ cat, ex silentio Pallavicini solidum nasci ar-  
„ gumentum, vera esse, quæ Fra-Paolo hic re-  
„ tulit. „

Quam sibi constat eximius adversarius, ex hac sola responsione patet; siquidem juxta ipsum, quæstio, quam tractamus, adeo momentosa fit, ut penes eum non stet, quominus dicatur ad fidem pertinere: & jam, ut argumentum, quod ex historia Fra Paolo juncto Tridentino deduxerat vir clar. solvat; Pallavicinus hunc Fra-Paolo errorem ut levem, & sua attentione dignum non existimavit.

An ergo Pallavicinus æquus rerum æstimator non est, ut, quod adversario adeo apparet momentosum, nequidem levi attentione dignum judicaverit? An hoc dictum Fra-Paolo, si error sit, minus carpi a Pallavicino debuit, quam quæ de voto solemnibus, matrimonium ratum tan-



tum dissolvente, idem Fra-Paolo retulit? Apagè nugas. Stat itaque firmum argumentum, quod ex Fra-Paolo juncto Tridentino deduxerat, cum ad illud nil solidi respondere potuerit prosecutor.

XIII. Quæ modo de matrimonio rato non consummato diximus, etiam sufficiunt, ut ea, quæ ex S. Chrystomo attulerat vir clar., vindicemus; nam diruto hoc adversarii fundamento, ruit totum ejus ædificium; neque ea, quæ hic magna voce sonat, ejus de mente Chrystomi opinionem minime enervant.

Et vero, quæ Deus de matrimonio sanxit, optima nituntur ratione, & juxta eam se composuisse, officii est; quod ergo Deus conjunxit, prosecutor non separet. Siquidem Domini verba, nulla adjecta exceptione, generaliter omnia matrimonia respiciunt; itaque nullo casu jure divino matrimonii vinculum solvi dici potest. Probaverat etiam vir clar. patres primorum sæculorum generaliter & sine exceptione hæc optimi Salvatoris verba similiter intellexisse: ut quid ergo hic continuo clamitat adversarius, oportere, ut probetur, nec in casu Apostoli matrimonium jure divino solvi: qui enim legem generaliter & sine ulla exceptione latam adducit, quique continuo sic illam intellectam a patribus probat, ulteriori probatione opus non habet, ut ostendat jure divino nullam justam solvendi matrimonii causam esse. Itaque adferenti exceptionem, qua vult jure divino talem causam existere, probatio incumbit. Quæ vero hac ætate ab adversario solvendi matrimonii rationes allatæ sunt, ut ut fere risum moveant, jure merito a judiciis nostris remotissimæ sunt.

Nec majori merito prosequendum putamus sequens adductum ratiocinium, quod pro commoditate causæ, non vacillando, ut ante, adfert prosecutor. Scilicet:

*Chrysoft. homil. 19. in cap. 7. ad Corint.* ostendens disparitatem, quæ habetur inter infidelem cohabitare volentem & fornicarium, dicit: *vir quidem post fornicationem non est vir.*

Petit hic adversarius, quomodo non est vir, si juxta ipsum fornicatio non dirumpat connubii vinculum? Præcedunt autem ibidem: „ sed „ quam inquit Chrysoftomus, ratione, in infideli immunditia vincitur, & quare infidelis „ consuetudinem suadet, in fornicaria autem „ muliere, non accusatur vir, si eam dimittat „ Respondet Chrysoft. „ quoniam illic quidem „ spes relinquitur, ut pars perdita per nuptias „ salvetur; *hic autem nuptiæ jam dissolutæ sunt;* „ nimirum per fornicationem. „

Fornicantem autem inter & infidelem, qui partem conversam suæ impietatis vult esse sociam, ponit Chrysoft. paritatem, ut ex ejus verbis patet: ergo inquit persecutor, sicut in casu fornicationis connubium dirumpitur quoad vinculum, ita & in casu infidelis, qui parti conversæ non vult cohabitare, aut saltem non vult pacifice, sed eam impellit ad peccandum mortaliter.

Nullibi rectius ratiocinatus est adversarius; argumentum quippe hæreticorum est, & supposita veritate antecedentis, validissimum.

Nam sicut observat Origenes tractatu 7. in *Matth.*: optimum Servatorem in evangelio non id agere, ut novam condant legem, eaque pro arbitrio certum aliquod delictum divortii causam statuatur; at veterem & cum rerum primordiis conditam dumtaxat declarat: ita & Apostolus ad verba Domini, quod vinculi solutionem respicit, nihil addidisse censendus est. Itaque vere dixit adversarius: juxta Chrysoft. (addere debuisset & juxta omnes patres) inter utrumque

casum omnimodam intercedere paritatem.

Nos contra, nec Chrysoft., nec quicumque alius S. pater, aut ecclesiæ doctor, unquam voluit, propter fornicationem dissolutum esse matrimonium sic, ut ad alia vota transire liceret: atque adeo nec quis illorum voluisse dicens est, in casu Apostoli parti conversæ liberum esse aliud inire connubium: est enim inter utrumque casum, fatente adversario, omnimoda paritas.

XIV. Quis vero nescit, eruditos, etiam Augustinianos, S. Chrysoft. ab ea opinione vindicare; inter alios nullus id præstitit efficacius ac luculentius, quam Arcudius, lib. de concordia occidentalis & orientalis ecclesiæ in septem sacramentorum administratione.

Auctor ille, pag. mihi 501., multis ex Chrysoft. desumptis rationibus, ostendit prædictum patrem non minus clare firmitatem omnimodam matrimonii tueri; atque ea in parte doctrinam ejus, scriptis tum Basilii tum Hieronymi consonare. Pro quo stabiliendo præcipue citat ea, quæ Chrysoft. dixit, explicans *cap. 5. Matt. homil. 17*: item *homil. 62. in eundem Matt.*, exponens ea verba: *si sic est causa hominis cum uxore, non expedit uxorem ducere*. Item citat lib. de virginitate ad locum *Apostoli I. ad Corint. 7.*, ad hæc verba: *iis, qui matrimonio juncti sunt*. Illorum autem verborum, *solutum est matrimonium, & vir, non est vir*, qualis sit sensus, patet auctori dictus, pag. mihi 532., ubi ait; neque illa verba Chrysoft. *vir non est vir, solum est matrimonium*, & quæ supra recitata sunt, ullo modo moveant lectorem, ut de mente Chrysoftomi vel parum ambigat, quasi hisce verbis usquequaque fieri solutionem sanctissimus doctor significare voluerit.

Non enim, inquit, est ignorandum, matrimonium tripliciter considerari, *inchoatum*, quod est desponsatio per verba de futuro; *perfectum* quoad substantiam, quando contrahitur per verba de presenti, *consummatum*, quod dicitur perfectum quoad actum secundum, & hoc habet jam conjunctam copulationem carnalem.

Quoad hunc tertium modum negat, inquit auctor ille, Chrysostomus debere amplius esse matrimonium inter conjuges adulteros; fieret enim innocens per commixtionem nocens, quippe, qui adhæret meretrici, fit unum corpus.

Atque ita esse, ait, virum non virum: utpote, qui per adulterium sibi ademit jus omne matrimonii, societatem vitæ individuam, tectum, mensam, communem lectum, rei familiaris in partem administrationem, &c. ut explicat Erasmus. Similiter Basilius *lib. de virginitate: uxorem dimissam ob fornicationem vocat non uxorem*: & nihilominus, ne quis putaret solum undique fuisse matrimonium, eam neque viduam esse affirmat, superstiti viro: „ sine, inquit, „ (Scriptura) aut ad viventem reverti, simul- „ que meliorem factam uxorem redire, aut „ semper neque viduam, neque uxorem existentem, culpæ ob dimissionem, quam viro „ præstitit, pœnam dare. „

Quin & ipse Chrysost. homil. citata, ad dictum Apostoli: *mulier alligata est legi*, eodem modo loquitur: „ imo vero nec hujus uxorem merito „ quispiam eam dixerit, quippe adultera nullius est uxor, pacta enim cum illo inita conculcavit, & ad te non cum debitis legibus „ accessit. „

Si secundi viri, ad quem accessit, uxor non sit, numquid ideo, quod primum matrimonium in mente Chrysostomi adhuc subsistat?

Et hæc quidem solutio confirmatur ex ratione Chrysoft., quam ibidem vehementer inculcat, *ne scilicet vir se contaminet uxori adhærendo*, quæ verba expriment secundum actum matrimonii; nuptiæ enim sunt & conjunctio & copulatio corporum.

XV. Ex qua responsione, inquit Arcudius, alia quædam enodari solet difficultas, siquidem quærunt patres, an inter B. Virginem & Josephum fuerit verum matrimonium? Multi negarunt, dicentes tantum fuisse desponsationem quandam. Contra vero affirmant alii; an damnabimus, inquit, patres? Minime vero, sed eodem modo respondendum est, nempe priores illos negare esse matrimonium tertio modo sumptum, posteriores affirmare secundo.

Quid ergo sibi vult iste adversarii clamor, virum clar. non rodere argumentum, quod desumpsit ex his Chrysoft. verbis *homil. 22. in epist. ad Romanos: Quid miraris*, si inter alienos homines hoc non ubique fieri possit ( ut nempe cum omnibus pacem habeamus ) quandoquidem inter vtrum & mulierem necessitatem illam & vinculum pacis dissolvat; dum dicit, *si vero infidelis abscedit, abscedat.*

Profecto prætermittit illud rodere, cum nihil ad vescendum præstaret: licet enim vinculum matrimoniale jure vocetur vinculum pacis, & conjunctio matrimonialis contractus amoris, non tamen ubi amor vel pax esse desit, statim vinculum illud dirumpitur ( alias enim vix matrimonium stabile reperiretur ) eo scilicet sensu, ut ad alia vota transire liceat.

Quis pati potest tale ratiocinium? An illud Chrysoft. dictum, scilicet vinculum pacis, vinculum amoris inter conjuges dissolvi, locum non habet, ne dum ab infideli, sed etiam a marito

fideli discedit uxor, & non cohabit, five ob fornicationem, five intercedat contumelia Creatoris, vel eam ad peccatum impellere velit: & tamen vinculum illud pacis per discessionem quoad torum & habitationem solutum, secundum se subsistere perseverat? Dic idem de verbis Chrysoft. allatis; est enim adversario fatente inter hos omnes casus perfecta paritas. Scilicet, ficuti tenetur maritus ab adultera nolente corrigi recedere, ne patronus ejus turpitudinis videatur: ita tenetur fidelis recedere ab infideli pertinaci, cujus conversio desperatur, ne videatur ejus infidelitati favere. Et sicut vir innocens potest cum adultera habitare, quando in adulterio obstinata non est, & spes emendationis superest, licet ad id non teneatur; ita pariter ad fidem conversus potest habitare cum infideli, cujus conversio speratur, licet ex præcepto Domini ad id non obligatur, five huic subjectus non sit servituti; utroque casu semper illæso manente vinculo matrimonii.

Neque etiam amplius adversarii recursum habeant, ut inter casum fornicationis & infidelitatis disparitatem inveniunt, ad illud tritum, sed inter eruditos nunc obsoletum: scilicet matrimonium verum inter infideles existere, non tamen esse ratum; inter fideles autem verum & ratum esse.

XVI. Sed modo ad Ambrosium veniamus. Hic rursus adversarii eruditio admodum certo vacillat: adeo enim clara & aperta sunt, quæ ex Ambrosio pro sua sententia attulerat vir clar., ut nugas agere videatur ille, qui ipsum aliter sensisse velit.

Ad quod probandum, rursus & ego pono hæc Ambrosii verba: „ostendit autem hic locus (scilicet Moyfis) quæ propter humanam fra-

„ gilitatem scripta sunt, non a Deo scripta. Un-  
 „ de & Apostolus: *denuntio*, inquit, *non ego*,  
 „ *sed Dominus*, *uxorem a viro non discedere*. Et  
 „ *infra, cæteris*, inquit, *ego dico, non Dominus*,  
 „ *si quis frater uxorem habeat infidelem*, & re-  
 „ *liqua*. Itaque ubi est impar conjugium, lex  
 „ Dei non est. Et addidit, *quod si infidelis dis-*  
 „ *cedit, discedat*. Simul idem Apostolus negavit  
 „ legis esse divinæ, ut conjugium qualecumque  
 „ solvatur; nec ipse dedit deserendi anthorita-  
 „ tem, sed culpam abstulit desituito. „

Notat hic adversarius, & bene, Ambrosium  
 tres textus ex Apostolo I. ad *Corint.* 7. citare,  
 & ad quemlibet in verbis citatis respective al-  
 ludere, dum dicit: *simul idem Apostolus nega-*  
*vit legis esse divinæ, ut conjugium qualecumque*  
*solvatur*. Quam confessionem lubenter admit-  
 timus.

Primo, inquit, citat *ψ. 10.*, *iis autem, qui ma-*  
*trimonio juncti sunt, præcipio, non ego, sed Domi-*  
*nus, uxorem a viro non discedere, quod si disces-*  
*serit* (subintellige causa adulterii) *manere in-*  
*nuptam*.

In hoc textu, volente nunc adversario, agit  
 Apostolus de quibuscumque, seu fidelibus, seu  
 infidelibus. Juxta quam interpretationem etiam  
 verum est Ambrosium existimasse, legis divi-  
 næ non esse, ut tali casu, seu per adulterium,  
 matrimonii vinculum solvatur; sive conjuges fi-  
 deles fuerint, sive infideles, sive una fidelis &  
 altera infidelis: quia generaliter & sine ulla ex-  
 ceptione præcipit Dominus: *uxorem a viro non*  
*discedere*, & si discesserit, causa scilicet adulterii,  
 de qua causa huc usque egerat Apostolus, *ma-*  
*nere innuptam*.

Pergit Ambrosius ad *ψ. 12.*, & ait: *Cæteris ego*  
*dico, non Dominus: si quis frater infidelem habeat*

*uxorem, & hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam. Seu, ubi jam est impar conjugium, per conversionem unius partis ad fidem, prout rursus optime explicat profecutor, cum ipso fatente hoc in casu juxta Tertullianum, Chrysofostomum, Hieronymum, Augustinum &c. non agat Apostolus v. 12. de iis fidelibus, qui matrimonium inierunt cum infidelibus, sed de iis, qui matrimonio juncti fidem amplexi sunt.*

De illis ergo cæteris loquens, ubi sic impar est conjugium, dicit Ambrosius: *lex Dei non est, ut scilicet non dimittat illam: quod utique verissimum est, cum Augustino teste eam dimittere possit, licet cohabitare voluerit: quod quidem Apostolus certis in circumstantiis non consulit, seu præcipit, ut fidelis non deserat infidelem cohabitare volentem. Attamen & hoc casu verum est, teste Ambrosio, Apostolum negasse legis esse divinæ, ut hoc casu matrimonium solvatur, quod & adversarius admittit.*

Sed pergamus cum Ambrosio ad v. 15. Quod *si infidelis discedit, discedat &c.*, & de hoc casu rursus dixit Ambrosius, fatente adversario, Apostolum negasse legis esse divinæ, ut hoc conjugium solvatur; siquidem, ut vidimus, admittat ad quemlibet horum trium textuum respective alludere Ambrosium in verbis, dum dicit: *simul idem Apostolus negavit legis esse divinæ, ut conjugium qualecumque solvatur.* Itaque interprete eximio adversario, apertissima mens est Ambrosii pro nostra sententia, qui hoc casu dumtaxat asserit, Apostolum omnem culpam abstulisse destituto.

Dicit quidem adversarius non sine contradictione, sed dicit tantum, hoc dictum Apostoli *negavit legis esse divinæ &c.*, fideles inter se junctos dumtaxat afficere, quorum si unus ab alte-



ro discesserit, semper debet manere innuptus. In eo secutus commentaria de sacramentis Joannis Præpositi, ubi similia reperiuntur.

Et vero an prædicta Apostoli verba matrimonia infidelium vel etiam fidelium cum infidelibus non efficiunt? An tali casu dici non possit, quod si discesserint ob fornicationem, eos debere manere innuptos; adeoque & tali casu Apostolum negasse matrimonium quoad vinculum solvi? Quomodo itaque adversarius asserit hæc Apostoli verba fideles inter se junctos tantum efficere, quorum si unus ab alio discesserit, semper debet manere innuptus? Verba namque hæc Apostoli generalia sunt, & quorumcumque matrimonia respiciunt, ut ante admiserat.

Deinde errat adversarius, dum existimat hæc Apostoli verba: *non enim servituti subjectus est frater aut soror in hujusmodi*, indicare, nullam subesse culpam, dum pars fidelis deserta aliud contrahit matrimonium; cum ex textu Apostoli manifestum sit, eum hæc verba adjecisse, ut in casu, dum pars una convertitur, altera in infidelitate manente, ostenderet parti conversæ jure divino liberum esse partem infidelem dimittere, ab eaque quoad torum & habitationem recedere, sive hic tantummodo repetat, quod v. 12 insinuaverat. Et hoc ipsum est, quod hic docere voluit Ambrosius.

Et vero quomodo aliter loqui potuisset Ambrosius, cui, ut vidimus, certum erat, Apostolum, doctrina Salvatoris innixum, qui de vero divortio, de quo quaesitus erat, decisionem formavit, illud non concedere ex fornicatione; atque adeo neque ex malitiosa desertione, quæ ejus rationem obtinet.

Hoc eo clarius apprebent, si notemus editionem Basiliensem operum Ambrosii de anno 1492.

item Basiliensem de anno 1538., habere: *simul idem & hic* ( hoc est versu de quo agimus ) Apostolus *negavit legis esse divinæ, ut conjugium qualecumque solvatur.*

XVII. Ut hoc ratiocinium enervet adversarius, sic loquitur: si fidelis quispiam cum infideli matrimonium iniisset, & postea mutato animo in odium fidei discederet infidelis a fideli, talis fidelis discedentem infidelem etiam sequi non teneretur: signum proinde indubitatam est, quod plus exigant verba Apostoli; alias quid causæ esset, cur ad alios fideles, de quibus jam meminimus, ejus sermo se non extenderet, ut volunt Tertullianus, Chrysofomus, Hieronymus, Augustinus &c.

Sed hallucinatur hic persecutor quam maxime, nulla profecto causa est, quare hæc verba: *si infidelis discedit, discedat*, ad fidelem conjugem, cui pars altera fidelis vel infidelis sine Creatoris contumelia cohabitare non vellet, non sese extenderent. Hoc Chrysofomus, Hieronymus & Augustinus diserte docent. An forte, quia Apostolus hoc dixit de parte conversa, cui infidelis cohabitare non vult, de quo exemplo tractabat, alios quoscumque casus, ubi intervenit contumelia Creatoris, non comprehendet? An quod commune est pluribus, de singulo singulatum affirmari non potest?

XVIII. Neque Tertullianus, Chrysofomus, Hieronymus, Augustinus &c. unquam dixit verba hæc Apostoli ad alios casus, ubi eadem ratio obtinet, sese non extendere; sed hoc tantum Tertullianus ait: „ manifestum est scripturam istam eos fideles designare, qui in matrimonio gentili inventi a Dei gratia fuerunt, „ secundum verba ipsa, *si quis fidelis uxorem* „ *habeat infidelem*, non dicit uxorem ducit in-

„ fidelem, ostendit jam in matrimonio agentem  
 „ mulieris infidelis, mox gratia Dei conversum,  
 „ perseverare debere. „

Itaque de his, quæ Apostolus  $\psi$ . 12. docuit, Tertullianus agit, dum dicit: sermonem Apostoli ad fidelem, qui cum infideli nuptias iniisset, non sese extendere. De aliis vero verbis Apostoli  $\psi$ . 15., *si infidelis discedit, discedat*, nequidem Tertullianus expresse meminit: & ideo dixerat vir clar., eum casum Apostoli ignorasse, prout eum explicat adversarius.

Idem præcise de hoc casu, de quo agit Apostolus  $\psi$ . 12., docuerunt Chrysostomus, Hieronymus, Augustinus, aliique; scilicet verba Apostoli  $\psi$ . 12. dumtaxat respicere hos conjuges, quos in matrimonio deprehendisset fides, non vero illos, qui ante fideles, cum infidelibus nuptias iniissent, prout legenti palam fiet.

An inde jam sequitur, quæ docuit Apostolus  $\psi$  15., *si infidelis discedit, discedat*, illos excludere, quos in matrimonio non deprehendisset fides?

Profecto rursus non sibi constat adversarius, si hoc velit; cum omni vi contendat doctrinam Apostoli, quam tradit  $\psi$ . 12., esse extra casum ejus, quam tractat  $\psi$ . 15., neque ab uno ad alterum casum argumentari licere; siquidem, ut ait, inter utrumque casum nulla possit, ut per se patet, institui paritas. Ecce quomodo in summum abeant non consequenter fabricata systemata.

Sed dicit aliquis: in editione Parisiensi de anno 1569. notatur in margine\* in exemplari Victorino & Dionisiano legitur: *non negavit legis esse divinæ, ut conjugium qualecumque solvatur.*

Si hoc notasset eximius persecutor, facile totum suum systema, quod de Ambrosio ha-

bet, invertisset. Et vero si hæc genuina Ambrosii mens sit, fatendum esset ipsum credidisse in casu Apostoli matrimonium solvi; sed nos ab adversario illius rei enodationem quærimus.

XIX. Eximius persecutor, ut ostendat Ambrosium suæ esse sententiæ, sic ratiocinatur: „ Cum  
 „ ostendere velit Ambrosius dari aliquod ma-  
 „ trimonium, quod non est a Deo, quia ma-  
 „ trimonium aliquod solvere licet, nempe dum  
 „ in casu Apostoli discedit infidelis a fidei,  
 „ si de illa dumtaxat ageret solutione, quæ  
 „ consistit in separatione tori & habitationis,  
 „ jam non tantum probaret, quod matrimoni-  
 „ um aliquod non sit a Deo; sed contra suum  
 „ intentum probaret, quod nullum matrimoni-  
 „ um a Deo sit; quia nullum est matrimo-  
 „ nium, quod certis de causis solvi non possit  
 „ quoad habitationem & torum. „

Hoc argumentum ipsi apparet adeo peremptorium, ut fateatur se illud solvere non posse.

Sed ubinam invenit adversarius intentum Ambrosii fuisse probare aliquod matrimonium non esse a Deo, quia aliquod matrimonium solvi potest?

Profecto simile ratiocinium est ridiculum & tanto viro indignum: siquidem licet recte ratiocinetur, qui hoc modo disserit: omne matrimonium est a Deo, quia scriptum est, *quod Deus conjunxit, homo non separet*; ergo omne matrimonium non licet solvere: tamen non recte ille argumentatur, qui hoc modo disserteret: datur aliquod matrimonium, quod non est a Deo, quia matrimonium aliquod solvere licet. Nam inde sequeretur, omne, quod est a Deo, esse insolubile. An forte matrimonium fidelium ratum non consummatum a Deo non est, quia illud, juxta adversarium, quoad vinculum solvi

potest? Quod asserere, quam fit ridiculum, nemo non videt.

Deinde simile quid nec in hoc loco, nec in toto Ambrosio, nec in ullo alio S. patre reperire est: existere scilicet aliquod matrimonium, quod non est a Deo, quia illud quoad vinculum solvi potest. Nullus enim S. pater ignoravit Deum esse autorem matrimonii: imo & Ambrosius hoc aperte declarat in hoc loco: *noli, inquit, uxorem dimittere, ne Deum tuæ copula diffitearis autorem.*

Itaque, quod hic vult adversarius, nequidem habet umbram veritatis. Et dum Ambrosius dixit: *& quomodo Apostolus dixit, quod si infidelis discedit, discedat*: rectissime respondet vir clar., eum hæc verba Apostoli citare per modum objectionis ad id, quod ante dixerat: scilicet, „ quosdam putare ( ex quorum numero certe „ etiam Ambrosius erat ) omne conjugium a „ Deo esse, quia scriptum est: *quæ Deus conjunxit, homo non separet*; adeoque omne „ conjugium non licere solvi. „

Quam objectionem, ut notaverat vir clar. N. 8. resolvit, dicendo Apostolum ibidem agere de discessu quoad torum, non quoad vinculum; quia & hoc casu *Apostolus negavit legis esse Divinæ, ut conjugium quaecumque solvatur.*

Deinde, si Ambrosius probare voluerit aliquod matrimonium non esse a Deo, quia aliquod matrimonium solvi potest: quid obstat, quominus hoc intelligatur de omni matrimonio, quod certis de causis solvi potest quoad habitationem & torum? Neque enim ex eo, quod quis asserat hoc obtinere in aliquo matrimonio, sequitur eum negare illud in omni matrimonio habere locum.

Dicit eximius adversarius, sed rursus dicit

tantum, intentum Ambrosii fuisse hoc asserere de aliquo, & non de omni matrimonio. Sed ab adversario peti potest, quo loco, quo tempore, quibus verbis Ambrosius docuerit; aliquod tantum matrimonium non esse a Deo, quia aliquod dumtaxat, & non omne solvi potest. Hoc prius probandum erat, antequam inferret suum argumentum esse insolubile.

Sed fingamus Ambrosium dixisse, ad argumentum, quod sibi proponit: *& quomodo Dominus in evangelio dixit, quod si fornicaria discedit, discedat.* Possetne dici hoc casu, intentum Ambrosii esse probare, dari aliquod matrimonium, quod non est a Deo; quia matrimonium aliquod solvere licet causa fornicationis; illumque in tali supposito, verba Domini non intellexisse de solutione, quæ consistit in separatione tori & habitationis? Quia inde sequeretur, non tantum aliquod matrimonium non esse a Deo, sed nullum matrimonium a Deo esse; quia nullum est, quod aliis de causis solvi non possit quoad habitationem & torum. Quis non rideret sic ratiocinantem? Quod enim Dominus de fornicatione dixit, non negavit de aliis, ubi iusta causa separationis quoad torum & habitationem subest.

Itaque ridicula est ista adversarii argumentatio, duplici ex capite: 1. quia sine ulla proba asserit Ambrosium existimasse aliquod matrimonium non esse a Deo, quia aliquod matrimonium solvi potest. 2. Quia etsi daremus Ambrosium id credidisse, nihilominus cum hac ejus opinione stare, ipsum intellexisse Apostolum his verbis: *si infidelis discedit, discedat*, agere de solutione quoad habitationem & torum: quemadmodum Ambrosii dictum verissimum fuisset, *quod si fornicaria discedit, discedat*, licet verbis illis Dominum agere de solutione habitationis & non

& non vinculi dumtaxat intellexisset, quia sicut Dominus, ita & Apostolus, quod de infidelitate dixit, de aliis casibus, ubi iusta causa separationis quoad torum occurrit, non negavit.

Sed saltem verum est, Ambrosium verba Apostoli citare, quasi in illis ageret de solutione quoad vinculum.

Sit hoc verum; quid inde inferri potest? Nemo enim nescit, verba objectionis continuo citari, ac si plus importarent, quam reapse significant. Et hoc adversario non est ignotum: in talibus itaque circumstantiis attendendum non est quid objectio dicat, sed quid solutio defendentis referat: jam vero ostendimus Ambrosium defendentem verba Apostoli interpretari de solutione tori & non vinculi.

Petit adversarius ubinam & quibus verbis generaliter & sine ulla exceptione docuerit Ambrosius, conjugium semel legitime contractum solvi non posse?

Sed & ego quæro, ubinam & quibus verbis docuerit Ambrosius aliquod matrimonium legitime contractum solvi posse? Hanc enim exceptionem, si de ejus mente sit, cum sit contra naturam & institutionem primævam contractus matrimonialis, alibi certo notare debuisset.

Interim, ut petito eximii adversarii satisfiat, hoc asserimus, Ambrosium clarissime docuisse, matrimonium semel legitime contractum nullo casu solvi posse; dum hoc loco, de quo quæstio, asserit: *Apostolum negasse legis esse divinæ, ut conjugium qualecumque solvatur.*

Idem docet Ambrosius *Lib. I. de Abraham cap. 7.*, ubi occasione facti Abimelech, qui Sararam in uxorem sibi sumpserat, generaliter & sine ulla exceptione ait: „discite enim, qui ad „ gratiam baptismatis tenditis, veluti quidam

„ fidei candidati , continentiae disciplinam fo-  
 „ briam . Nulli licet scire mulierem , praeter uxo-  
 „ rem , ideoque conjugii tibi datum est jus , ne  
 „ in laqueum incidas , & cum aliena muliere  
 „ delinquas . Vincetus es uxori , noli quaerere  
 „ solutionem ; *quia non licet tibi , uxore vivente ,*  
 „ *uxorem ducere , nam & aliam quaerere , cum ha-*  
 „ *beas tuam , crimen est adulterii .* „

Itaque juxta Ambrosium , etiam candidatus fi-  
 dei matrimonio junctus , seu qui ex infideli fit  
 fidelis , vivente uxore , nullo casu aliam ducere  
 potest : cum nulla exceptione facta afferat , cri-  
 men committere adulterii , si quis infidelis fi-  
 delis factus , vivente uxore aliam ducat .

Ostendat jam adversarius Ambrosium ab hac  
 generali Domini lege alibi exceptionem notasse ,  
 & magnus evadet Apollo .

XX. Dixerat vir clar. pag. 18. , (67.) licet extra  
 thesim , agendo scilicet de matrimonio fidelis  
 cum infideli : quod discursus ille Ambrosii non  
 fuisset tanto viro indignus , neque etiam ridicu-  
 lus , quod & dissertator sensisset , si ad illud ,  
 quod notissimum est , advertisset ; quod conju-  
 gium recte solvi dicatur , dum declaratur illud  
 nulliter , seu cum impedimento dirimente con-  
 tractum fuisse ; sic frequenter satis contingit ,  
 ut rescindi dicatur , quod nullum erat . Eodem-  
 que sensu matrimonia per sententiam judicis  
 rescindi vel dissolvi dicuntur , quae nulliter  
 contracta esse declarantur .

Eximius profecutor pag. 44. (178.) ad hoc ra-  
 tiocinium respondit ; „ fallitur , interim disserta-  
 „ tor , dum ait : quod conjugium recte solvi di-  
 „ catur , dum declaratur illud nulliter , seu cum  
 „ impedimento dirimente contractum fuisse . Ali-  
 „ ter sane loquitur Justinianus Nov. 22. *de nuptiis* ,  
 „ ubi *cap. 10.* de hac expressione loquens dicit :



„si vero ab initio putaverit aliquis liberæ jungi  
 „personæ, illa vero famula postea declaratur ex-  
 „istens, non dicimus solvi matrimonium; sed ab  
 „ipso initio neque matrimonium fieri. Ex quo se-  
 „quitur, quod si subinde solvi apud nonnullos  
 „dicatur, quod nullum declaratur, hoc non  
 „recte, sed improprie dicatur.„

Ut videamus quam inepte hic adversarius ra-  
 tiocinetur, id dumtaxat est observandum: sæ-  
 pius juris-consultos, & sæculo Augusti propin-  
 quiores imperatores, in sermone patrio versatissi-  
 mos, quique proinde rectum Latine scribendi &  
 loquendi modum apprime callebant, hac locu-  
 tione fuisse usos. Sic in *L. 64. §. 1. ff. de condit. &*  
*demonst.* ipso jure rescindi dicitur, quod frau-  
 dandæ legis gratia esset adscriptum. Sic in *L. 5.*  
*§. ult. ff. qui & a quibus manum.* libertas per  
 legem rescindi dicitur: eodemque sensu rescissa  
 venditio dicitur in *L. 9. C. de præd. & al. reb.*  
*min.* &c. Sic etiam libertates rescindi dicuntur in  
*L. 2. C. de mancipiis & colon.* Lib. XI. tit. 62.

Et, ut alia exempla omittamus, solum adfere-  
 mus ea, quæ de hac re observat celeberrimus  
 Noodtius *lib. de form. emend. doli mali* cap. 15.  
 in verbis: „Cum contractus in integrum resti-  
 „tui, cum solvi, aut rescindi, aut irritus, aut  
 „nullius momenti dicitur apud veteres, minus  
 „plenam esse locutionem. Non enim uno mo-  
 „do rescinditur, aut in integrum restituitur  
 „contractus, sed aut jure civili id fit, aut ju-  
 „re prætorio: & cum simpliciter dicitur res-  
 „cindi, resolvi, aut in integrum restitui, aut  
 „nullius momenti esse, ut in *L. 22. quod me-*  
 „*tus causa*, aut irritus esse, ut in *L. 44. de mi-*  
 „*nor.*, adhuc quæri potest, quo jure ea rescissio,  
 „sive in integrum restitutio fiat. „

Ut ita, si jure civili contractus resolvi aut

rescindi dicatur, sensus sit, contractum esse nullum, & per sententiam judicis nullam esse declarandum; ita sapius rectissime locuti sunt veteres, ita & potuit Ambrosius, discrimen hoc non ignorans, recte loqui. Ac proinde in libris nostris minime versatus est, qui hanc distinctionem ignorans, absonam illam solutionem, ex legibus Justiniani desumptam, prosecutori suggestit: nemo enim nescit leges hujus imperatoris, & præsertim constitutiones novellas, nihil minus, quam rectum loquendi modum præ se ferre, easque solœcismis ac barbarissimis refertas esse.

XXI. Adjicit eximius prosecutor: vir. clar. non recte citasse Gothofredum ad *L. 11. C. Theod. de nuptiis*, ut probaret eandem ea tempestate temporis paganorum ac Judæorum rationem fuisse; atque adeo legem Valentiniani &c. etiam ad illos sese extendere.

Sed in hac re potius adsentiendum Gothofredo, quam prosecutori; qui minus sufficiens est, ut viri hujus undequaque doctissimi opinionem destruat: potuit enim lex illa generaliter fidelium cum infidelibus matrimonia prohibens, injuria temporis periisse.

XXII. Sed ad Augustinum progrediamur. Si prosecutori credimus, Augustinus nequidem de casu Apostoli meminit. Agedum videamus, quantum hoc ejus assertum apud eruditos valere debeat. Augustinum suæ esse sententiæ vir clar. primo probare voluit, ex iis quæ tradit lib. 1. cap. 25. ad Pollentium in verbis: „ propter  
 „ quodlibet fornicationis genus, five carnis, si-  
 „ ve spiritus, ubi & infidelitas intelligitur, &  
 „ dimisso viro non licet nubere alteri, & dimissa  
 „ uxore non licet alteram ducere, *quoniam*  
 „ Dominus nulla exceptione facta dixit: si uxor

„ dimiserit virum suum & alteri nupserit, mœ-  
 „ chatur, & omnis qui dimiserit uxorem suam  
 „ & alteram duxerit, mœchatur. „

Reflectat hic adversarius, si ipsi placeat, & nobiscum inferat: conformiter ad hæc Domini verba Augustinus docuit matrimonii vinculum nullo casu per fornicationem solvi; itaque idem docuit in casu ubi fidelis infidelem deserit, qui eam suæ impietatis vult esse sociam: est enim inter utrumque hunc casum, fatente Chrysofomo, & cum hoc etiam adversario, perfecta paritas, nec etiam inter illa Augustinus distinguit.

Fortè dicet eximius prosecutor, se ad hanc legitimam consequentiam non reflexisse, tantumque voluisse, tunc non solvi vinculum matrimonii, dum pars infidelis pacifice cohabitare vult, si pars fidelis sese separet, quo casu, juxta Domini & Apostoli dicta, debet manere innupta.

Ast non erat hoc argumentum Chrysofomi, qui, ut vult adversarius, ex eo, quod fornicatio vinculum matrimonii solveret, intulit similiter in casu, ubi pars infidelis partem fidelem ad peccatum niteretur impellere, matrimonii vinculum esse dissolutum. Itaque fatebitur, ut speramus, se nonnumquam falli posse, sive de ipso dici potest: incidit in Scyllam, cupiens vitare Charybdim.

Sed redeamus: si verum sit juxta Apostolum partem fidelem, tunc dumtaxat debere manere innuptam, si sese separet ab infideli volente cohabitare, & non si sese separet ab infideli volente eam suæ impietatis esse sociam, quia hoc casu Apostolus non dixit, eam debere manere innuptam: quidni idem dicatur de casu, ubi uxor expresse fornicatur, neque tamen propterea a viro dimittitur, sed ipsa virum volentem cohabitare deserit ( neque enim, ut recte notat ad-

versarius, mulieres viros suos deferentes sunt semper innocentes) quia etiam Apostolus non dixit, tali casu virum debere manere *innuptum*.

Sed, ait adversarius, pag. 51. (185.) inter hos duos casus per se & generaliter loquendo non est ducenda paritas, seu ex eo, quod mulier virum suum deferens debeat manere innupta, non sequitur, quod in casu Apostoli mulier non deferens, sed deserta, etiam debeat manere innupta; cum per se loquendo eadem non sit conditio illius qui deseritur, & qui deserit. Et hanc suam reflexionem non veretur referre, tamquam, quæ inter fundamentales suæ sententiæ rationes non infimum teneat locum.

Sed vir ille non satis voluit intelligere de qua desertione agat Apostolus *v. 11.*, dum dixit: *quod si discesserit, manere innuptam*: manifestum namque est Apostolum ibi alludere ad verba Domini *Matt. 5.*, sive agere de uxore, quæ maritum deserit causa fornicationis: quod adversarius notare debuisset, siquidem Gagnæjus post alios ad hunc locum ait: „ quapropter & „ hunc locum ( scilicet *Matt. 5.* ) explicans „ Paulus; præcipio, ait, non ego, sed Dominus, „ uxorem a viro non discedere, quod si ob causam a Christo permissam discesserit, manere „ innuptam. „

Jam vero Dominus non tantum de conjuge ob fornicationem deserto, sed etiam de conjuge deferente, sive sit innocens, sive etiam nocens, ait; cum crimen committere adulterii, si alteri nupserit. Itaque cum juxta adversarium inter casum fornicationis & casum Apostoli perfecta institui debeat paritas, etiam pars fidelis sine ulla culpa deserta, sicut & pars infidelis deferens, crimen adulterii committet, si cum alia persona consuecat, quia & hoc ipsum offi-

cium status matrimonialis exigit. De cætero adversarius hac sua distinctione vere obstetricat Ambrosiastro, homini obscuro, similia parturienti. Hinc lector facile intelliget si, ut ait, hoc ejus ratiocinium hujus commenti ratio una fundamentalis sit; quam merito diximus: rationes eximii profecutoris, quas pro hac thesi stabilienda adfert, a judiciis nostris esse remotissimas.

XXIII. Ut istis adversarii ineptiis ad fatiæatem respondeamus, fingamus Apostolum ad hæc verba, *si infidelis discedit, discedat* &c. addidisse, *quod si discesserit, partem fidelem debere manere innuptam*, prout addit  $\psi$ . 11.: nullus dubito, quin nobiscum sentiret; jam vero ex hoc solo, quod illa addiderit  $\psi$ . 11., etiam addidisse censendus est  $\psi$ . 15.

Ut hoc probemus, fingamus denuo, quod, ob invalescentes abusus in conventu quodam religioso, superior hoc modo legem ferat: iis, qui professi sunt, præcipimus e conventu non discedere, quod si discesserint, matrimonio jungi prohibemus; quod si ob intolerabilem prioris sævitiam cum eo permanere non possint, discedant: non enim servituti subjecti sunt in hujusmodi.

Quis mortalium in hoc casu summam non videt istius legis claritatem, quis non intelligit clare exprimi, quod dum, ob intolerabilem prioris agendi modum, non sponte sua, sed quodammodo reluctans monachus e conventu discedit, inde tantum sequi, quod discessus ille non sit culpabilis: nullo autem modo inferre liceat, liberum esse monacho discedenti uxorem ducere?

Quis itaque similiter non intelligit in casu Apostoli clare exprimi, quod dum ob intolerabilem viri agendi modum non sponte sua, sed

quodammodo reluctans uxor a marito discedit, inde tantum sequi, quod etiam discessus ille non sit culpabilis, nullo autem modo inferre liceat, eam per Apostolum liberam declarari.

Neque opus erat, ut Apostolus hic repeteret eam debere manere innuptam; sicut in casu adducto necesse non erat, ut superior repeteret, monachum discedentem non posse matrimonium inire: quia monitum illud generaliter datum, & utroque casu ex natura status profluens, etiam hunc casum comprehendit.

Maxime cum natum sit contingere, ut quæ sponte sua discedit mulier, & per hoc ipsum jam contra officium status agit, facilius ad alia vota transfiret, quam ea, quæ invita & animo reluctante maritum deserit.

Similem fictionem facit persecutor pag. 16. (151.) Fingamus, inquit, quod ob invalescentes quosdam abusus mulierum a viris suis discedentium, hoc modo lex feratur: iis, qui matrimonio juncti sunt, præcipimus, uxorem a viro non discedere, quod si discesserit, in conventum aliquem monialium sese recipere, quod si ab ea maritus difficilis & morosus discedit, discedat: non enim servituti subjecta est uxor in hujusmodi. Quis mortalium, inquit, in hoc casu summam non videt istius legis claritatem, quis non intelligit clare exprimi, quod, dum non discedit uxor a marito, sed maritus difficilis & morosus ab uxore, tunc non teneatur uxor in conventum aliquem monialium sese recipere?

Nullus certo mortalium est, nisi demens, qui non videat istius legis claritatem: sed errat eximius adversarius in exemplo legis ab ipso adductæ, quod pœnam lege comminatum, cum officio ex natura status profluente confundat.

Cum ergo quisque similiter legis in nostro casu claritatem videat; nonne merito diximus, Apostolum his verbis nihil ad Domini verba addidisse? Est enim inter nostrum & casum Apostoli eadem verborum constructio, nec datur ovum ovo similis.

XXIV. Ea in sententia esse Augustinum, ulterius probaverat vir clar. ex eo, quod Augustinus doceat lib. 2. de adult. conjugii cap. 3. n. 4. vinculum matrimonii perpetuo subsistere, solaque morte unius partis solvi. Ex quibus sic generaliter Augustini dictis sequitur, eum casum Apostoli ignorasse: item sequitur, ipsum ignorasse matrimonium ratum non consummatum jure divino per professionem dirimi. Neque hec asserere est erroneum, ut ante ad evidentiam probavimus; quidquid hic asserat persecutor. Sed, quod hic rursus absolum est, dum Augustinus docuit sola morte matrimonium solvi, item dum addidit: *nullius viri posterioris uxor esse incipit, nisi prioris esse desierit*, de illa solutione, juxta adversarium, tantum agit, quæ sit secundum generalem & ordinariam legem, qua Deus ab initio statuit sola morte matrimonium solvi.

Vult dicere; id non obtinet secundum legem particularem & extraordinariam, quam ego cum Ambrosiasto fingo Apostolum promulgasse, & quam Augustinus alique patres octo primorum ecclesie sæculorum ignorarunt.

Sed ubi adversarius didicit, quæ dixit Augustinus de insolubilitate matrimonii, scilicet illud sola morte solvi, dixisse secundum generalem Dei legem & non secundam particularem, quam ipse cum aliquibus aliis seignioris ævi adstruit? Certe simile quid in Augustino reperire non est, nec in Ambrosio, nec in

Hieronymo, nec Chrysoftomo, nec Tertulliano, nec in sancto Justino martyre.

Profecto aliud sui asserti fundamentum non habet, nisi hoc, quod illud dictum reperitur in Ambrosiastro, cujus opera sat diu Ambrosio Mediolanensi falso fuerunt attributa, in quo illud commentum originem habuit, prout late, & luce clarius clarissimus vir probavit.

XXV. Sed adversarius hic vehementer exclamat: quomodo, inquit, disertator hominem istum non reformidat tenebrionem appellare (nisi quia forte vim vocis ignorat) quem S. Augustinus *L. 4. cont. duas epist. Pelag. cap. 4.* sanctum deprædicat; & qui, licet Luciferiano schismati aliquando adhæserit, tamen potuit Augustinus scire ipsum respuisse; non enim qui peccatores aliquando fuerunt, vel hæretici aut schismatici, semper tales sunt.

Eximius adversarius hoc suo ratiocinio ostendit, se a prima sua dictione usque ad hanc suam prosecutionem, in re historica non multum profecisse. Etenim, quæ Augustinus dicto loco de S. Hilario refert, a sancto Hilario Pictaviensi dicta sunt, non vero ab Hilario, qui schismati ad mortem usque adhæsit, & quem propterea Augustinus sanctum appellare non potuit.

Quod autem dictus Hilarius schismaticus in errore & hæresi ad mortem usque perseveraverit, aperte insinuat Hieronymus dial. cont. Luciferianos in verbis: "Hilarius cum diaconus ab ecclesia recesserit, solusque, ut putat, turba sit mundi, neque Eucharistiam conficere potest, episcopos & presbyteros non habens, neque baptismum sine Eucharistia tradere. *Et cum jam homo mortuus sit, cum homine pariter interiit & scæta*; quia post se nullum clericum diaconus potuit ordinare."



Hoc assertum profecutoris tanto reprehensibilis est, quod reluctante ecclesiæ disciplina crediderit, sanctum Augustinum existimasse aliquem in ecclesia ut sanctum habitum fuisse, qui post baptismum lapsus in hæresin, seu qui errorem modo ab ecclesia damnatum cum pertinacia & obstinato animo sustinisset, vel schismati adhæsisset, quantumcumque demum miraculis & pœnitentia clarus esset: quam ecclesiæ disciplinam vir talis ignorare non debuisset. Legat Espenium, legat BENEDICTUM XIV. de canonizatione sanctorum, legat & patrem Lupum, si de eo dubitet.

Hoc sensisse videtur Bellarminus, *lib. de scrip. ecclesiast.*, in eodem versans errore, dum hunc Hilarium schismaticum ab Augustino sanctum vocari asserit; sed simul ostendit, hoc ab Augustino improprie dictum fuisse; quia, ut ait, tunc satis commune erat, Christianos, præsertim ecclesiasticos, sanctos nuncupari. Quare idem non egit adversarius, qui facile hunc errorem ex Bellarmino, sed forte verius ex Natali Alexandro desumpsit?

Fundat se profecutor, quod Augustinus asserat hæc Pauli verba: *in quo omnes peccaverunt*, intelligenda esse de Adami persona, Adami que peccato, quod in posteros transmissum est: nam, inquit Augustinus, & sic S. Hilarius intellexit, "quod scriptum est, *in quo omnes peccaverunt*. Deinde addidit: manifestum, est omnes in Adam peccasse quasi in massa: ipse enim per peccatum corruptus, omnes, quos genuit, nati sunt sub peccato., Quæ sententia, inquit adversarius, eisdem verbis habetur in Ambrosiastro in cap. 5. ad Rom.

Sed inde non sequitur, Augustinum dicto loco hunc diaconum schismaticum citasse; po-

tuisset namque hic diaconus, si horum commentariorum sit autor, hæc verba desumpsisse ex uno aliove S. Hilarii Pictaviensis opere perduto, ex quo illa Augustinus desumpsit. Non omnia vero opera S. Hilarii ad nos usque venisse, asserunt Benedictini in præfatione ad opera hujus sancti, dum aiunt: „ neque ex Hispalensis concilii testimonio necessario concluditur, Hilarium in Pauli epistolas edidisse commentarios; sed tantum in operibus, quorum jacturam novimus ac dolemus, quosdam ex iis locos exposuisse; quamvis Hispalensis concilii verba, aliud quid sonare fatendum est. „

Quod autem Augustinus hunc Hilarium diaconum non citaverit, patet etiam ex eo; quod Augustinus contra Pelagianos, originalis culpæ doctrinam impugnantes, scribens, non usus fuisset testimonio talis auctoris, qui sicubi eam videatur agnoscere, aliquando tamen contrarium præ se fert: & uno saltem loco manifeste semi-Pelagianus pronuntiatur a Justiniano e societate Jesu viro doctissimo, comment. in epist. 1. ad Corint. cap. 14.

Si huc adjecerimus & alios errores, qui passim iisdem in commentariis deprehenduntur, patebit; eorum autorem cum Origene sensisse in eo, quod in voluntate dæmonum esse crediderit, ab errore resilire. Itaque velle tali auctore usum fuisse Augustinum ad refellendos Pelagianos, quid aliud est, quam velle fabulas obrudere?

Quid jam si cum Benedictinis negemus, commentaria isthæc Hilario diacono schismatico adscribi posse, tanto intolerabilior apparebit adversarii error. Ecquid enim produxit, ut ostenderet hæc commentaria Hilario diacono adscribenda esse? Respondeat, si possit, ad diff-

cultates, quas Benedictini huic sententiæ opponunt, in monito ad hæc commentaria præmissa. Et quomodo Hieronymus, qui ante citato loco hunc schismaticum acerrime exagitat, ejus tam proluxi operis, tot erroribus referti, non fecisset mentionem?

XXVI. Sed ad Augustinum redeamus. Matrimonii insolubilitatem omni ex parte ab Augustino assertam esse, rursus probaverat vir clar. ex iis, quæ Augustinus tradit lib. de fide & operibus cap. 16., & hoc tam evidenter, ut dici debeat, non nisi pro libitu, soloque animo contradicendi, adversarium asserere, illa esse ambigua, neque casum Apostoli tangere.

Ratiocinia eximii profecutoris ad hunc locum, ampliori, quam jam ante dedimus, solutione non indigent, ut legenti abunde constabit.

Unum dumtaxat, quod aliquid meretur, est, adversarium contendere, Augustinum eo in loco de nulla desertione, sive tali, quæ vinculum solvat, sive, quæ torum tantum, determinate egisse; sed simpliciter probare voluisse, quantum valeat sola fides, quia scriptum est: *quod si infidelis discedit, discedat*. Abstrahendo utrum ille textus deberet intelligi de solutione vinculi, an vero solius habitationis.

Quomodo hoc asserere audeat, non intelligimus: siquidem clarum fit, Augustinum docere dictum illorum hæreticorum intelligendum esse *eo modo*, quo intelligitur etiam inter Christianos rectissime dimitti uxor, *si viro suo dicat: non ero uxor tua, nisi mihi vel de latrocinio divitias congeras* &c. Hæc porro, & sequentia Augustini verba, apud Christianos aliquid determinate significant, seu dumtaxat solutionem quoad torum important.

Quod autem Augustinus, quæ hoc loco dixit, generaliter dixerit, seu etiam ad Christianos matrimonio junctos extendi debeant, patet ex illis, quæ tradit. lib. cont. Adimantum cap. 3.: ubi, fatente adversario, pari modo loquitur, prout præcedenti. Dicit autem ibidem: *& item, si quis vir relinquit uxorem, dato libello repudii, cum causa non existit, aut fornicationis, aut obtinendi regni cælorum (puta cum virum ad peccatum nitetur impellere) similiter improbatur a Domino.* Quæ verba profecto æque de fidelibus matrimonio junctis intelligenda sunt.

Præmiserat Augustinus hæc verba Domini: „  
 „ omnis, qui reliquerit domum suam, aut uxorem, aut parentes, aut filios, propter regnum cælorum.,“

Ad quæ verba alludit, dum hoc loco dicit: *& hic uxor relinquenda esse præcipitur, si virum impediatur ad possidendum regnum cælorum.* Quæ rursus de fidelibus matrimonio junctis intelligi debent.

Sed & illud clarissime docet lib. de fermone Domini in monte cap. 16.: ubi, postquam probaverat Apostolum 1. ad Corint. 7. nihil ad verba Domini addidisse, N. 46. sic profectur: „ porro si infidelitas fornicatio est, &  
 „ idololatria infidelitas, & avaritia idololatria, non est dubitandum & avaritiam fornicationem esse. Quis ergo jam quamlibet illicitam concupiscentiam potest recte a fornicationis genere separare, si avaritia fornicatio est? Ex quo intelligitur, quod propter illicitas concupiscentias, non tantum quæ in  
 „ stupris cum alienis viris ac feminis committuntur, sed omnino quamlibet, quæ animam  
 „ corpore male utentem a lege Dei aberrare

„ faciunt, & perniciose turpiter que corrumpunt,  
 „ possit sine crimine & vir uxorem dimittere,  
 „ & uxor virum: quia exceptam facit Dominus  
 „ causam fornicationis, quam fornicationem,  
 „ sicut supra consideratum est, generalem &  
 „ universalem intelligere cogimur. „

An hæc verba solum casum Apostoli respiciunt, prout eum explicat Innocentius III.? Qui hoc asserit, admittat necesse est, verba Domini solum casum Apostoli respicere, cum illis innitatur Augustini discursus.

Idem rursus docet Augustinus in epistola sua ad consulta Hilarii, ubi ait: „ *Quod si infidelis discedit, discedat, non est enim servituti subiectus frater aut soror in hujusmodi.* Hoc „ & de filiis atque parentibus, hoc & de fratribus & sororibus intelligitur, propter Christum omnes dimitteudos, cum proponitur ista „ conditio, ut Christum dimittat, si illos se- cum habere desideret. „

Itaque evidens est, quæ dixit Augustinus *lib. de fide & operibus* de casu Apostoli, eodem modo extendi debere ad fideles matrimonio junctos: adeoque determinate egit de separatione quoad torum tantum; siquidem dici non possit, dum conjux unus alterum ad peccatum nititur impellere, ubi uterque fidelis est, matrimonii vinculum solvi.

Sed, quod plus est, Augustinus *lib. de fide & operibus* satis indicat, Apostolum dicto loco tantum egisse de separatione tori & habitationis: nam postquam dixit: „ procul dubio plus „ tenebitur amore divinæ gratiæ, quam carnis „ uxoriæ, & membrum, quod cum scandalizat „ fortiter amputet; „

Superaddit: „ quemcumque autem in hac „ diremptione dolorem cordis propter carnalem

„ affectum conjugis sustinebit, hoc est detri-  
 „ mentum, quod patietur, hic est ignis, per  
 „ quem, sæno ardente, ipse salvabitur.,,  
 Scilicet & ille, qui jam ab uxore infideli  
 discedente separatus est.

Pergit Augustinus: „ si autem jam sic ha-  
 „ bebat uxorem ( dum nempe cohabitare vult )  
 „ tamquam non habens, non propter concu-  
 „ piscentiam, sed propter misericordiam, ne  
 „ forte eam salvam faceret, reddens potius,  
 „ quam exigens debitum conjugale; profecto  
 „ nec dolebit carnaliter, cum ab illo ( scilicet  
 „ dum pars infidelis discedit ) tale connubium  
 „ separabitur; neque enim in eo cogitabat,  
 „ nisi quæ Dei sunt, quomodo placeret Deo.,,

Quæ verba manifeste indicant talem fidelem  
 debere manere innuptum, quo casu dolor cor-  
 dis, quem propter affectum carnalem conju-  
 gis, facta diremptione, adhuc sustinet, ipsi  
 serviet ad salutem, seu hic ignis erit, per quem  
 sæno ardente ipse salvabitur. Quod de illo,  
 qui aliud potest inire & inire connubium, pro-  
 prie non dicitur.

Tanto magis, quod, si infideli volente cohabi-  
 tare, fidelis ab eo non separetur, id fiat ex  
 misericordia, ut ait Augustinus, ne forte eam  
 salvam faciat, & ita potius debitum reddere  
 dicendus sit, quam exigere: & ideo non dole-  
 bit carnaliter ( subintellige, quod innuptus ma-  
 nere debeat ) cum ab illo tale connubium se-  
 parabitur.

Itaque in errore versatur eximius persecutor,  
 dum asserit Augustinum hac in causa omnino  
 abstraxisse, utrum ille textus deberet intelli-  
 gi de solutione vinculi, an vero solius habitatio-  
 nis & tori.

XXVII. Adversarius multa deinde differit, ut offendant hæc verba Apostoli : *si quis frater uxorem habet infidelem, & hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam*, nullum importare præceptum.

Juxta Augustinum, inquit, Apostolus dumtaxat consulit, ut fidelis conjugem habitare volentem non dimittat; ac proinde liberatio a servitute, de qua loquitur Apostolus, dum dicit servituti non esse subjectum fratrem aut sororem, & quam restringit ad casum, quo a parte fidei discedit infidelis, non intelligitur de servitute, qua tenetur uxor viro, & vir uxori debitum reddere, illique cohabitare, utpote a qua per se erat libera: sed de servitute, qua tenetur uterque conjux altero vivente aliud matrimonium non inire, & a qua partem conversam, discedente infideli, Apostolus pronuntiat liberam.

Quamquam his adversarii cavillationibus in præcedentibus abunde sit satisfactum, juvat adhuc hic reflectere; Augustinum, quod hic consilium vocat, multoties præceptum appellare. Sic lib. I. de adult. conjug. cap. 13. scribit: "recedere ab infidelibus conjugibus Apostolus vetat. Et cap. 18. discessionem fidelis ab infideli prohibet Apostolus consilio charitatis, quia in infidelibus adfert impedimentum salutis: non solum quia perniciosissime scandalizantur offensi; verum etiam, quia in alia conjugia cum ceciderint, viventibus eis, a quibus dimittuntur, adulterinis nexibus colligati, difficillime separantur. Et cap. 21. si ergo tu causam non invenisti, cur non vetat Dominus, quod vetat Apostolus."

Et deinde rationem reddens, cur Apostolus

vetat, quod Dominus non vetat, dicit: "quod  
 „ autem volentis potestati ita permittit, ut nec  
 „ agatur nec prætermittatur illicite, ibi seruo-  
 „ rum consilio locum dare, ut id potius sua-  
 „ deant, quod viderint expedire.,,

Ne quis vero crederet hæc verba, *ego dico non Dominus*, simplex consilium continere, a quo recedere integrum sit, cap. 18. rursus ait: ne quis hoc consilium tamquam humanum non divinum contemnendum putaret, scilicet dum de virginibus eodem capite loquens ait, *consilium do*, adjicit, *puto autem & ego spiritum Dei habeo*, addit Augustinus hæc verba etiam hic subintelligenda esse: "adeo ut ipsa, quæ  
 „ non a Domino, sed a sancto ejus famulo u-  
 „ tiliter suadentur, etiam Domino inspirante  
 „ suaderi.,,

His positis, quis credet, dum tales occurrunt circumstantiæ, in quibus Apostolus loquitur, ubi scilicet jubet ne pars fidelis dimittat infidelem cohabitare volentem, quia forte eam salvam faciet, & si dimittat, certum ipsi adfert impedimentum salutis: partem fidelem ab omni nævo, seu culpa immunem esse; quia Dominus hoc expresse non jubet? Nullus certe.

Hæc est ergo illa servitus, qua tenetur uxor viro & vir uxori debitum reddere, illique cohabitare, a qua demum omni ex parte liberatur fidelis, dum infidelis discedit; & non illa, qua tenetur uterque conjux altero vivente aliud matrimonium non inire. Cum hæc servitus, si ita loqui liceat, nulla adjecta exceptione, ex natura status matrimonialis sit insolubilis, ubi altera, quæ vere servitus est, Domino docente solvi possit.

XXVIII. Et vero Apostolum dicto loco de alia servitute non egisse, neque aliam horum



verborum Apostoli ab ecclesia usque ad medium seculi noni interpretationem agnitam fuisse, non obscure rursus colligitur ex Haymonis episcopi Alberstättensis commentario in omnes Pauli epistolas; siquidem hic autor, qui ad medium usque seculi noni floruit, hæc verba Apostoli, *quod si infidelis discedit*, &c. eodem modo interpretetur; ita enim disserit: „ quod si infidelis, vir aut mulier a socio fideli discedit, nolens credere, discedat, id est liberam habeat potestatem discedendi, tamen fidelis non projiciat illum a se, neque propter illum discedat a fide; *non enim servituti subjeſus est frater aut soror in hujusmodi*. Id est in tali facto, id est, infidelis si non vult manere cum fideli, ille, qui fidelis est, non est ita subjeſtus illi, ut debeat illum sequi; neque subjeſtus est culpæ propter hoc, *si ille discedit.* „

Itaque, juxta hunc autorem, servitus, de qua agit Apostolus, & a qua conjux fidelis liber dicitur, aliud non importat, quam libertatem a toro & cohabitatione; quo casu Apostolus omnem culpam abstulit deſtituto, utpote, qui nullam causam infideli præbuit, *si ille discedit*.

Si talis tunc temporis horum verborum Apostoli fuisset communis ecclesiæ sensus, prout illa cum Ambrosiastro explicat adversarius, hic episcopus, suo seculo non minus doctrina & pietate celebris quam Rabbanus Maurus ejus contemporaneus, prætensam illam ecclesiæ doctrinam ignorare non potuisset; atque adeo cum eximio profecutore docere debuisset; neque subjeſtus est culpæ propter hoc, si aliam duxerit, & non *propter hoc, si ille discedit*. Quæ verba manifeste ostendunt, conjugem fidelem, taliter deſertum, si infidelem non sequatur, ideo in

mente Apostoli, juxta hunc autorem, ab omni culpa immunem esse; quia, quod infidelis discedit, causa non est: minime vero credidit Apostolum asserere partem fidelem nullam culpam committere, si ad aliam tali casu divertat.

Hinc patet etiam hunc episcopum doctrinam Ambrosiastri, quem Rabbanus Maurus, existimans esse verum Ambrosium, de verbo ad verbum descripsit, vel ignorasse, vel nihili fecisse.

XXIX. Imo nec talis fuit communis ecclesiae doctrina seculo duodecimo; siquidem Hervæus monachus Benedictinus, in commentario suo in epistolas Pauli, relato inter opera S. Anselmi, editionis Coloniensis, & qui immediate ante Gratianum floruit, sæpe dicta Apostoli verba de separatione quoad torum & habitationem dumtaxat intelligit. Sic enim docet: „ Fidelis non discedat ab infideli, sed si infidelis vir aut mulier discedit odio fidei, discedat, permittatur discedere. Ideo dico, ut detur ei libertas abeundi, quia non est subjectus feruituti frater aut soror, id est Christianus aut Christiana, in hujusmodi, ut cogatur fidem dimittere, ne conjugem amittat infidelem. Sed quamdiu possunt simul esse in pace, non separentur. Quia Deus nos aversos a se vocavit in pace I. Dum essemus invicem concordēs, & ideo causa vocationis ejus non debemus pacem rumpere, in qua nos ejus vocatio reperit: sed in ea, si fieri potest, manere. Et vero manendum est in conjugali pace, nec expedit discedere, quamvis liceat. „

Hæc, hujus auctoris verborum Apostoli interpretatio, commentario non indiget, ut ex iis ostendatur, Gratianum sui temporis de hoc casu raro contingente ecclesiae disciplinam & doctrinam ignorasse: nam in citato autore ne

wel verbum reperitur, quod vinculi matrimonii dissolutionem indicat; sed totus ejus discursus hoc unum continet, tali casu conjugem infidelem Christo non esse præferendum.

Quod autem conjux infidelis propter infidelitatem dimitti possit, etiamsi cohabitare velit, neque Apostolum ad verba Domini dicto loco aliquid addidisse, rursus patefacit hic autor, dum ait: „ cum autem propter infidelitatem „ conjux dimitti possit, & juxta Domini sententiam dimitti nequeat nisi causa fornicationis, manifestum est infidelitatem esse fornicationem. Quia scilicet idololatria, quam sequuntur infideles, & quælibet noxia superstitio, fornicatio est. Dominus autem permittit causa fornicationis conjugem dimitti, sed quia permittit, non jussit, dedit Apostolo locum cum monendi, ut, qui voluerit, non dimittat infidelem, quia sic forsan fiet fidelis. „

Quibus verbis significat, quæ Dominus de fornicatione docuit, æque & eadem ratione ad infidelitatem fore extendenda, sive conjux fidelis infidelem deserat, sive a conjuge infideli deseratur.

Similia quidem Apostolus de fornicante non dixit, si spes emendationis sit, & fornicaria cohabitare consentiat, *ne dimittas illam*. Licet, quæ de fornicatione dicta sunt, pari passu cum infidelitate currant. Rationem illius dat Chrysostomus ad hunc locum: „ Qui adhæret meretrici unum corpus est, & impurus ille fit, qui cum meretrice miscetur, & ideo tota immunditia avolat. Hic autem non sic; immundus est idololatra; sed mulier non est immunda, nam confors ipsi esset in illa re, secundum quam immundus est, in impietate quoque ipsa immunda foret. Nunc autem alio modo

immundus est idololatra, in alia autem re ipsi  
 si jungitur uxor, in qua ille immundus non  
 est. Ad hæc vero spes est ipsum ab uxore  
 revocatum iri cui adhæret. Illa autem alias  
 non ita facile curabitur. Quomodo illa uxor,  
 quæ ipsum prius dedecore affectit, & alteri  
 se dedit, juramenta matrimonii abolevit,  
 injuria affectum revocare poterit, cum maxi-  
 me ille quasi peregrinus maneat; præterea  
 autem post fornicationem maritus non est  
 ultra maritus. Hic autem, mulier licet idola  
 colat, *viri jus non amittit*: nec sine causa  
 cum infideli habitat, sed ipso volente.

Ex hoc contextu denuo patet, quid Chry-  
 sostomus intellexit, dum dixit, post fornicatio-  
 nem maritus non est ultra maritus; ideo scilicet,  
 quia fornicarius *uxoris jus amisit*: quæ ver-  
 ba non vinculi solutionem, sed cohabitationis  
 tantummodo indicant, sensu scilicet, quo ante  
 explicavimus. Quod & forte S. Justinus voluit.

XXX. Adversarius, ut systema suum ecclesiæ  
 doctrinæ innixum esse ostendat, pag. 94. (234.)  
 & sequentibus, multis probare conatur, nova  
 non esse, quæ Gratianus de hoc casu habet, sed  
 ecclesiæ doctrinæ sui temporis conformia. Siqui-  
 dem, ut ait, a tempore, quo in lucem prodiit  
 Ambrosiaster, & qui eum secutus est Gratia-  
 nus, ne unus quidem fuerit, qui doctrinam  
 ejus hoc in puncto carpsit, tamquam a com-  
 muni ecclesiæ sensu recedentem. Et addit, dici  
 non posse Gratianum, aliosque, qui hac in re  
 Ambrosiastrum secuti sunt, ejus solius autori-  
 tate motos fuisse, ut hanc sententiam sustine-  
 rent; sed tantum inde sequi, illos Ambrosia-  
 strum citasse, ut ostenderent eum ejusdem secum  
 fuisse opinionis.

Sed modo ostendimus nihil a veritate remotius

esse, quam asserere, Gratiani doctrinam fuisse communi ecclesiae praxi ac sensui conformem: si hæc adversarii ratiocinia subsisterent, etiam dici poterit, doctrinæ ecclesiae Gratiani tempore conforme fuisse, confessionem auricularem ad veniam peccatorum consequendam jure divino necessariam non esse; constat enim Gratianum *C. 33. quæst. 3. de pœnit. dist. 1.*, dum examinat, *an sola confessione cordis crimen possit deleri?*

Motis in utramque partem dubiis, hoc modo concludere:., quibus auctoritatibus, vel quibus rationum firmamentis utraque sententia sanctificationis & confessionis innitatur, in medium breviter exposuimus. Cui autem harum potius adhærendum sit, lectoris judicio reservatur, utraque enim fautores habet sapientes & religiosos viros.

Audebitne forsitan adversarius admittere tempore Gratiani circa hoc punctum fidei in ecclesia dubitatum fuisse?

Itaque licet quandoque contingat, quod, dum autor aliquis sententiam, quam propugnat, aliorum testimonio corroboret, non inde statim sequatur, eum dumtaxat eorum autoritate moveri: equidem hoc de Gratiano dici non potest, qui vere Ambrosiastrum, quem putabat esse verum Ambrosium, tamquam unicum suæ sententiæ fundamentum adduxit, prout & fecerunt Hugo a S. Victore, Petrus Lombardus &c.

Qui Gratianus cæteris eo magis culpandus est, quod ita doctrinam ecclesiae ignoraverit, ut circa puncta fidei quotidie obvia, ut vidimus, dubia movere ausus fuerit. Quidni dicatur, ipsum etiam doctrinam & praxin ecclesiae, circa rem, quam tractamus, non satis perspectam habuisse, utpote rarius contingentem? Ut adeo Gratianus cæterique, non tantum auctorem suppositum pro

genuino in sui favorem citaverint, sed & in thesi, quam ejus solius auctoritate innixi propugnabant, erraverint.

Ostendat etiam, si possit adversarius, exitisse tempore medio Gratianum inter & conditum canonem *omnis utriusque sexus*, qui relatæ novitati a Gratiano assertæ reclamaverint, & eam tamquam ecclesiæ doctrinæ contrariam traduxerint, in eumque, ut novatorem infurrexerint. Hos si non adferat, ratiocinia, quæ in hoc loco tanta cum emphasi adduxit, sponte corruunt.

Quæ ad defensionem Gratiani ex Espenio adfert prosecutor pag. 99, (237.) verissima sunt: sed quamquam ecclesia Gratiani defensore non indigeat, equidem hæc ejus dicta nullatenus evertunt, quæ de Gratiano ejusque erroribus scripsit vir clar.: quod si hac de re dubitet, consulat virum undequaque doctissimum Antonium Augustinum, *dial. de emend. Gratiani*: consulat ipsum Espenium de his Gratiani erroribus variis in locis conquerentem.

Videtur interim velle carpere id, quod dixit vir clar., *Gratiani opus occasionem dedisse mutandæ antiquæ disciplinæ*. Ast quo argumento? Hoc scilicet, quod hæc mutatio jam ante Gratianum invaluerit occasione collectionis pseudo-Isidori. Sed quis nescit non ubique, non apud omnes, errores pseudo-Isidori legitimatos fuisse? Quis nescit hanc universalem fortunam tunc demum iis obvenisse, postquam in ea temporum caligine studium juris ecclesiastici ex solo Gratiano hauriri, omnesque causæ ex eo opere decidi cœperunt? Ut vel exinde nova ecclesiæ disciplina, jam sæculo octavo per Isidorum mercatorem fabricata, mediante Gratiano magnopere propagata, aucta & corroborata fuerit? Et ne prolixior sim, parciorem ab initio hujus pseudo-collectionis

fuit usus, quamvis Carolo magno per Engelramnum ejus archicapellanus hæ spuria epistolæ commendatæ fuerint, ut capitularibus plura inde fuerint inserta. In pleniorum usum sunt deductæ a Nicolao I., quamvis graviter his resisteret Hincmarus Rhemenfis; tandem vero in universalem observantiam & auctoritatem quietam, tum per Gratiani decretum, qui totum fere Isidorum in usus suos transtulit, tum per Alexandri III. in Gratiano enutriti decretales, ad Isidori principia efformatas, fuerint translata.

Quod autem ex Espenio addit profecutor, creatam esse in academia Lovaniensi hujus decreti prælectionem, idque, ut collapsa patrum disciplina restaurari posset, rursus verissimum est: nullus enim diffitetur, quin, si in Gratiano genuina a spuriiis, sana a corruptis discernantur, utilissima sit hujus operis prælectio, ut collapsa patrum disciplina restauretur: plura enim & veritatis & antiquitatis egregia testimonia in argumentis ecclesiasticis habet Gratianus: concilia, quæ ratione loci incerta fuerunt, ex ejus decreto quandoque ad certum reduci possunt locum, variasque alias hoc studium adfert utilitates, & quidem tales, ut Gratiani studium hæc in re præferendum sit studio decretalium: cum plura in Gratiani opere, quam in decretalibus reperiantur testimonia, unde patrum disciplina aliquatenus hauriri possit. Hunc in finem ad Gratianum prælectionem erexerunt in academia Lovaniensi principes Belgii; & tenuis profecto canonista est, qui hæc ignorat. Ast hæc omnia nullatenus enervant ea, quæ post alios de Gratiani erroribus infinitis scripsit vir clar.

XXXII. Dolet eximius profecutor, quod re-

fellendis iis, quæ ex Concilio Africano VIII. pro sententia sua attulerat vir clar., debeat tempus impendere. Redegitne, inquit, umquam, aut potestne ecclesia infideles sibi non subiectos ad pœnitentiam redigere, quod tamen in eo concilio decernitur?

Ast & doleo, me tam ineptas reflexiones debere refellere: nam sicut potuit Apostolus de matrimonio, ubi una pars convertitur, altera in infidelitate remanente, legem ferre; quare idem facere non potuisset ecclesia.

Neque dixit vir clar. hanc concilii Africani legem infideles matrimonio junctos respicere; sed ex eo textu intulit, mentem Augustini esse, in omni prorsus casu vinculum matrimonii esse insolubile, sive uterque conjux fidelis esset, sive unus fidelis & alter infidelis, cum generaliter & sine ulla exceptione asserat, quacumque demum de causa vir ab uxore, vel uxor a viro dimitteretur, alteri copulari non posse, secundum evangelicam & Apostolicam disciplinam: adeoque & casum Apostoli, ubi una pars fit fidelis, altera in infidelitate remanente, supradictam legem comprehendere; cum conjux infidelis fidelis factus, etiam ecclesiæ legi subiectus sit, seu ad pœnitentiam reduci potuisset, si huic concilii Africani decreto, alteri nubendo, contravenisset.

XXXIII. Cujus fide nitantur illa, quibus adversarius continuo delectatur, patet etiam ex illis, quæ adfert prosecutionis suæ pag. 108. (247) „ si fuerit ille quidam Innocentii III. prædecessor Innocentius I., hic autem floruerit „ initio sæculi V., manifestum est octo prioribus ecclesiæ seculis non fuisse constantem „ doctrinam matrimonium etiam infidelium ratum ac firmum manere apud infideles, etiam



„ post conversionem unius partis ad fidem: cum  
 „ certum sit Innocentium I. non minus censu-  
 „ isse in casu Apostoli matrimonium solvi,  
 „ quam censuerit & docuerit Innocentius III. „

Et relatis Innocentii III. verbis, lepidæ hu-  
 jus consequentiæ rationem texit hanc: „ Quid  
 „ est illud, in quo aliter quam Innocentius  
 „ III. sensisse videtur Innocentius I.? non il-  
 „ lud profecto, quod asseruit Innocentius III.,  
 „ dum dixit in casu Apostoli posse partem  
 „ conversam ad secunda, si voluerit, vota  
 „ transire; sed illud, quod distinguendum dixit,  
 „ nempe, *an ex duobus infidelibus alter ad fidem*  
 „ *catholicam convertatur, vel ex duobus fidelibus*  
 „ *alter labatur in hæresin, vel decidat in genti-*  
 „ *litis errorem,* & quod privata sua opinione  
 „ distinguendum non putabat Innocentius I.,  
 „ utpote arbitrans verba Apostoli: *Non enim*  
 „ *servituti subiectus est frater aut soror in hu-*  
 „ *jusmodi,* ad illum etiam casum sese extende-  
 „ re, in quo ex duobus fidelibus alter in hæ-  
 „ resin labitur, vel gentilitatis errorem, & odio  
 „ fidei deserit compartem, & consequenter  
 „ matrimonium in utroque casu solvi, sive  
 „ ex duobus infidelibus alter convertatur, sive  
 „ ex duobus fidelibus alter pervertatur &c., „

Sic obtrudit eo loco sua ipsius placita, sine  
 populi suffragio, & hujusmodi placita, quæ per  
 rationem temporis vix aut ne vix quidem sub-  
 sistunt. Ex hac namque ejus assumpta positio-  
 ne: *prædecessor Innocentii III. eodem modo dis-*  
*tinguendum non putavit, quo Innocentius III.,*  
 dumtaxat inferri potest, aut utroque casu, aut  
 neutro matrimonium solvi posse; minime vero:  
 ergo Innocentius I. censuit utroque casu solvi  
 matrimonium: quod tamen adversarius inde  
 colligit.

Pergit ulterius, & non dubitat asserere, arbitratum fuisse illum Innocentii III. prædecessorem, quem vir. clar. dixerat esse Innocentium I., primum matrimonium in casu Innocentio III. proposito non subsistere: ex quo infert, ab Innocentio III. non dissensisse, nec dissensisse videri Innocentium I. in casu Apostoli, sed in alio, quem sub ipso arbitrabatur contineri: cum existimaret, quod sicut dissolvitur, aut dissolubile est matrimonium, dum ex duobus infidelibus alter convertitur, & a parte infideli dimittitur, ita etiam solveretur, aut solubile foret matrimonium, dum ex duobus fidelibus alter in hæresin vel gentilitatis errorem incidit, compartemque odio fidei repellit.

Si locum Innocentii I. adduxisset, in quo id, quod ei affingit, continetur; transmitti posset ejus ratiocinium: sed nunc reprehensibilis est. Constat enim ex Innocentii I. epist. 22., ex qua Gratianus fragmentum adfert *Caus. 28. Q. 1. can. 1.*, ipsum ex professo docuisse, generaliter & sine ulla exceptione matrimonium infidelium, etiam post baptismum unius partis, legitimum manere. Et id probat ex his Domini verbis, *quod Deus conjunxit, homo non separet.*

Recte itaque vir clar. provocavit ad Innocentium I., nec sine ratione credidit, eum ab Innocentio III. dissensisse, adferens ex Innocentio I. textum, in quo distinguendum non putat: & hoc eo rectius, ut ante observaverat, quod Innocentius III. doctrinæ Gratiani innutritus, hunc Innocentii I. textum a Gratiano relatum non ignoraverit.

Quam sincere autem eximius adversarius agat, rursus inde patet; quod subdolo nomine Innocentii I., in scenam producat sententiam Cælestini III., relatum in cap. 1. X. *de conv.*

*infd.*, modo, ut etiam observaverat vir clar., verba a Raymundo omiffa ibidem fuppleantur, perinde ac fi hic fententiam Cæleftini III. Innocentio I. adfcribere voluiffet: fed hac fraude indigebat, ut commentum illud feptem feculis antiquius redderet. Si fincere agere voluiffet, in eo virum clar. refutare debuiffet, quod hic prædecefforem, de quo Innocentius III., exiftimaverit effe Innocentium I.; & fimul adftruere, non Innocentium I., fed Cæleftinum III. ibidem defignari. Aff nihil horum probat; & fi probaret, aliud inde pro fua fententia non hauriret, quam Cæleftinum III. ex eodem fonte, quo Innocentius III., manifeflum hunc fuum errorem deduxiffe.

XXXIV. Admodum torfit adverfarium argumentum, quod a Græcis fchifmaticis, feu ex eorum praxi defumpferat vir clar. Vere ipfum effe peremptorium. Videamus an illud læferit. Pro eo adducit, quæ adfert Gagnæius in cap. 7. I. ad Corint. ubi ita legitur: "quod  
 „ fi infidelis difcedit, id effe feperatur, ac diffo-  
 „ lutionem quærit, & cohabitare non vult cum  
 „ fideli, aut non vult fine Creatoris contume-  
 „ lia, quod idem effe, difcedat etiam & fide-  
 „ lis, & alteri ( fi velit ) nubat, non enim  
 „ fubjectus effe frater, id effe Chriftianus in hu-  
 „ jufmodi. „

Et deinde Gagnæius adjicit, quod de hoc loco Photius tradit, fcilicet: "non oportet,  
 „ inquit, matrimonium diffolvere, fiquidem  
 „ pars infidelis cum fideli habitare confentit;  
 „ fin autem feditiofus effe infidelis & diffolu-  
 „ tionem facit, non fic effe illi fidelis ob-  
 „ noxius, ut difcedere quoque illi non liceat:  
 „ quin imo, matrimonium infideli diffolvente,  
 „ liberum quoque effe fideli difcedere, verum

„ tamen liber est, per infidelis defectionem,  
 „ matrimonium solvere. „

In primis dubitare hic licet, an Photius simile quid umquam docuerit; cum certum sit, commentarium, qui Photio adscribitur, & cujus, referente Dupinio, manuscriptum in bibliotheca Cantabrigiensi reservatur in epistolas Pauli, nihil simile præ se ferre: quod in hoc loco adversarius notare debuisset, qui, ut ex illo sententiam suam emungeret, ut fertur, idem manuscriptum consuluit. Sed quid non possunt præoccupata judicia?

Ast demus Photium similia alibi dixisse; nimis manifestum est, eum loco citato agere de solutione tori & non vinculi. Ut hoc evidenter appareat, juvat hæc, quæ supponimus verba Photii, hic adducere, prout ea refert Œcumenius in commentario ad epistolas Pauli, ubi Photium hoc modo docentem inducit.

„ *Non est servituti subiectus frater aut soror*  
 „ *in hujusmodi.* Non habet, inquit, fidelis ma-  
 „ ritus aut uxor cum fidelibus eam necessi-  
 „ tatem, quæ imminet ei cum infidelibus:  
 „ ibi, cum nullo modo absque causa fornicationis licet a se mutuo eos, qui conjuncti  
 „ sunt, separari: hic vero, si assenserit quidem  
 „ pars infidelis, ut habitet cum fidele; oportet  
 „ non solvere conjugium: si vero diffidium  
 „ moverit, aut solutionem ille fecerit, non est  
 „ servituti subiectus fidelis, ut non separetur:  
 „ sed liber est, ut illo matrimonium solvente,  
 „ etiam ipse separetur, attamen quamquam liber sit, ut propter increduli diffidium solvat  
 „ conjugium, multo tamen melius facturus est,  
 „ si soluta contentione, per pacem bonaque o-  
 „ pera non solverit matrimonium; *nam in pace vocavit nos Deus.* Hoc inquit, signum est,

„ vocationem nostram esse a Deo , si erga omnes , quantum in nobis est , pacifici sumus . „

Ex hoc textu clare patet Photium toto hoc discursu agere de solutione tori & habitationis , non vero vinculi ; cum hos terminos : *solvere conjugium* , *solvere matrimonium* , ubique eodem modo sumat , sive agatur de casu ubi infidelis cohabitare vult , sive de casu ubi infidelis ipse per suum discessum vel contentionem matrimonium solvat , sive ubi vicissim sese fidelis separat , seu etiam matrimonium solvat : jam vero adversarius agnoscit , si fidelis ab infideli volente cohabitare se separet , tali casu hanc separationem non nisi solutionem tori & habitationis importare ; similiter agnoscit ex parte infidelis , dum se separat seu discedit , hunc discessum non inferre solutionem vinculi , sed dumtaxat tori & habitationis ; siquidem juxta ipsum hoc privilegium non est datum in favorem infidelis , sed fidelis : ex quo sequitur , Photium , dum dixit , *sed liber est , ut illo matrimonium solvente etiam ipse separetur , seu solvat conjugium* , tantum agere de solutione tori & habitationis . Imo & asserit Photius , quod si pars fidelis nec hoc modo matrimonium solvat , sed per pacem bonaque opera hanc contentionem tollat , eam melius facturam . Procul ergo abest , ut Photius existimaverit in casu Apostoli matrimonii vinculum solvi .

Subolfecit hoc adversarius , & ideo , ut Photium ad suas partes traheret , adducit , quod cap. 4. ejus nomo-canonis , *de iis , qui divortium faciunt* , refert : scilicet *sine damno solvitur matrimonium , si maritus per triennium post initum matrimonium cum uxore coire non potuerit* . Et paulo post : *quod tam viro quam mulieri ad meliora migranti solvendi matrimonium , simul &*

*divertendi potestas sit.* Quibus verbis nemo dubitat, inquit adversarius, quin vinculi matrimonialis solutionem intelligat.

Quis crederet virum tantæ eruditionis talibus ineptiis delectari? Nullus namque, vel mediocriter eruditus, ignorat, Photium in suo nomo-canone non propria judicia, sed ab una parte leges imperatorum Christianorum, ab alia vero canones conciliorum & epistolas canonicas referre, & in hoc quidem citato loco adducere, quæ de divortiis imperator Justinianus sanxit nov. 22. cap. 5. & 6. An forte adversarius existimat Photium credidisse istis citatis casibus ex lege divina matrimonii vinculum solvi? Si hoc velit, admittat necesse est, matrimonium etiam consummatum una parte ad meliora migrante lege divina quoad vinculum solvi; cum Justinianus dictæ nov. cap. 5. decernat, etiam matrimonium consummatum tali casu quoad vinculum esse solutum, idemque repetat nov. 123. cap. 40., item nov. 117. cap. 12. Item admittat necesse est, Photium credidisse ex lege divina solvi connubium, si uxor cum aliis viris se lavaverit. Quod eodem ab adversario citato cap. 4. ex Justiniano adfert.

Has vero leges omnes Justiniani sanctus Greg. epist. 39. lib. 9. ad Theotistam graviter redarguit. Hanc autem S. Greg. papæ sententiam Photius, sui seculi doctissimus, ignorare non debuit: maxime, quod S. Gregorii dies festus a Græcis, propter insignem illius pontificis sapientiam & sanctitatem, præcipuo honore celebretur.

Œcumenium vero idem sensitse, quod Photius, tum de casu fornicationis, tum etiam de casu Apostoli; patet ex doctrina, quam ipse eodem in loco tradit: scilicet ad 1. 11. sic loquitur: "

quitur:” melius, inquit, est, ut non separetur, quod si etiam separata fuerit, maneat habens virum..... sic, ut non adducat, sive adjungat sibi virum alium.,,

Ad v. vero 15. *quod si infidelis discedit, discedat*, sic ipse ait:” hoc est, si jubet, ut cum eo communicates in infidelitate, aut nisi hoc facias, quod separabitur, inquit: melius est enim conjugium dissolvi, quam pietatem. *Non est servituti subiectus frater.* Quod si etiam indies pugnet, aut contendit, volens te ad suam infidelitatem pertrahere, hoc quoque modo separare. Non enim ad huiusmodi res subiectus es servituti, ut etiam pugnantem feras, & manifestum est, quod de pugna, quæ accidit, loquitur, quum subiungit, *in pace vocavit nos Deus*: hoc est, ut in pace degamus, & non sit inter nos dissidium aut pugna. Quoniam igitur pugnat & rixatur, propterea bonum est liberari.,,

Quis non videt ex hoc discursu, quem præmisit ad verba Photii, Œcumenium tantum agere de solutione tori & habitationis, siquidem in eo nullum verbum reperiatur, quod vinculi solutionem sonat; & quæ hic adfert, eadem ratione dici possunt de duobus fidelibus matrimonio junctis, vel de uno fidei matrimonio juncto cum infideli, inter quos similis pugna aut contentio intercederet, seu unus alterum ad peccatum mortale niteretur impellere: cum etiam tali casu conjux fidelis ad huiusmodi res subiectus non sit servituti, ut taliter pugnantem ferat.

Deinde ex hoc loco manifestum est, Œcumenium, qui continuo Chrysostomum sequitur, existimasse per fornicationem vinculum matrimonii non solvi; itaque idem voluisse dicendum

est de casu Apostoli : quod dictum ante , de sententia Chrysofomi agendo , latius explicavimus.

Neque plus voluit Matthæus Blastare , qui *cap. 12.* littera *gamma* de casu Apostoli loquens , dixit : ” vide tamen quo pacto divinus , hic Apostolus quadam condescensione utens , si pars fidelis , inquit , infideli cohabitare velit ; quo fit , ut , si cohabitare nolit , matrimonium sine dubio solvendum sit. *Persuasus , autem ipse sum , hoc fuisse principii , & quasi primordiorum prædicationis.* ”

Siquidem hic auctor eodem rursus modo , quo Photius , in hoc loco loqui intelligendus est , seu tantum agere de solutione tori & habitationis. Hæc quippe verba : *matrimonium sine dubio solvendum sit* , & similia apud Græcos , dum ex propria loquuntur sententia , & juxta conciliorum canones , aliud non important.

Et merito asserit a principio seu primordiis prædicationis id in ecclesia obtinuisse , cum juxta Photium , citato loco apud Œcumenium , id non obtinuerit , dum uterque conjux fidelis esset , pro quibus fornicatio tantum justa causa separationis quoad torum ex lege divina erat , neque etiam illud obtinuerit , dum fidelis cum infideli matrimonium inivisset , ut Tertullianus aliique patres docent. Itaque a primordiis prædicationis , id est ex Domini doctrina , tantum obtinuit , ut pars ad fidem conversa , altera manente infideli , sese ab ea quoad torum & habitationem quoque separare possit ; imo teneatur se separare , si infidelis cohabitare nolit pacifice.

Quod autem Gagnæius ex propriis addit , & alteri , si velit , nubat , in eo secutus est scholasticos sui temporis. Nec hoc Photius , neque etiam



Mattheus Blaſtare, neque Œcumenius umquam docuit. Igitur, quæ hic adfert adverſarius in confirmationem ſuæ ſententiæ, eam omnino deſtruunt, & viri clar. argumentum ſtabiliunt.

XXXV. Non itaque deinceps objiciatur nobis, quam adeo venditat eximius adverſarius, prætenſa illa eccleſiæ praxis, qua aſſerit, omni tempore conſtanter in eccleſia obſervatum fuiſſe, ut, quotieſcumque ille caſus occurreret, ſi aliud non obſtaret, permetteretur parti converſæ aliud inire connubium.

Nam quomodo dici poteſt, conſtanter omni tempore in eccleſia obſervatum fuiſſe, quod octo primis eccleſiæ ſeculis, non tantum in ea incognitum fuit, ſed a plerisque eccleſiæ doctoribus, ſeu patribus iſtis ſeculis viventibus, fuit contrarium aſſertum, ut in præcedentibus evidentè demonſtratum exiſtit?

Quomodo dici poteſt in eccleſia omni tempore obſervatum fuiſſe, ubi exemplum ſimilis praxis ex fere octingentis, quibus eccleſia conſtat dioceſibus, ne in decem contigiffe oſtendi poteſt; & apud Græcos uſque nunc contraria praxis & doctrina obtinuerit? Quomodo dici poteſt hanc doctrinam & praxin in eccleſia omni tempore viguiſſe, de qua concilium Tridentinum, licet de hac quæſtione in illo actum fuerit, nil tamen de ea decernere conſultum habuit: ubi de quæſtione minoris momenti, de matrimonio rato non conſummato, per profeſſionem ſoluto, decretum tulerit, & contradicentes anathemate mulctaverit?

Quomodo ad generalem eccleſiæ praxin referri poteſt, ſuper quo nullum eccleſiæ univerſalis decretum allegari poteſt, quo ſtatuitur per alterutrius conjugis infidelis tranſitum ad fidem, altero non volente cohabitare, ſolvi,

vel solvi posse connubii vinculum : & quam qualemcumque praxin, re maturius examinata, improbant celebriores theologi Parisienses, multique doctissimæ illius gentis episcopi ; qui modo pro absoluta insolubilitate matrimonii vinculi certant continuo ; talis fuit inter alios celeberrimus ac doctissimus illius nationis Sueffoniensis episcopus Fitzjamesius, in antiqua ecclesiæ disciplina ac praxi versatissimus : talis & est illustrissimus noster episcopus, eximii adversarii concellita. An omnes illi dicendi sunt contrarii tam apertæ & universali ecclesiæ praxi, quam hic adversarius deprædicat ? Certe hoc dici non potest ; nisi asseratur, illos omnes cum ratione insanire.

Deinde hanc, quam adversarius ubique asserit, non posse dici universalem ecclesiæ praxin, probatum dederat vir clar. argumento ab absurdo petito, quod tale erat : si hæc posset dici ecclesiæ doctrina, majori jure ad communem totius ecclesiæ doctrinam spectare dici poterit novitia ista doctrina, quæ pontifici imperium aliquod in regna, in principum ac regum temporalia tribuit. Hoc postremum dicere esset absurdum : quidni etiam absurdum sit dicere opinionem adversarii ex genuina ecclesiæ doctrina haustam esse ? Constat enim priorem opinionem non minus a scholasticis communiter assertam fuisse &c., quam eam, quam de casu Apostoli sustinet persecutor.

Ad hæc respondet : ineptum esse hoc ratiocinium ; *erravit ille, ergo & iste.*

Sed vim argumenti intelligere non voluit : neque enim argumentatus fuit vir clar. ab uno errore ad alium ; sed dumtaxat ostendere voluit, vanam ejus esse jactantiam, dum ubique prætendit suam sententiam doctrinæ ac praxi

ecclesiæ esse subnixam : cum a fortiori sequeretur, idem dicendum fore de prætensâ potestate papæ in temporalia regum. Ad hoc respondeat eximius adversarius.

Cum vero ad argumentum, quod ex constitutionibus imperatorum Christianorum, & ex conciliorum decretis deduxerat vir clar., nihil opponat, quod particularem meretur discussionem, hinc huic dictioni finem imponimus cum hoc sequenti Martialis lib. 6. epigrammate:

Nec de vi, neque cæde, nec veneno,  
Sed lis est mihi de tribus capellis,  
Vicini queror has abesse furto,  
Hoc iudex sibi postulat probari:  
Tu Cannas Mithridaticumque bellum,  
Et perjuria Punici furoris,  
Et Syllas, Mariosque, Muciosque  
Magna voce sonas, manumque tota,  
Jam dic postume de tribus capellis.


#### AD MAJOREM DEI GLORIAM.

Vidit HIERONYMUS CENSORINI L. C.  
Sexto calendas Januarii M. D. CC. LXXI.

Tandem propugnata fuit Lovanii in scholis jurium die 28. Novembris 1772., quæ hic subjungitur assertio.

*Ad cap. 7. §. de divort.*

Credidit Innocentius III. distinguendum esse, an ex duobus infidelibus alter ad fidem catholicam convertatur, an ex duobus fidelibus alter labatur in hæresin, vel decidat in gentilitatis errorem; ut priori casu, infideli renuente pacifice cohabitare, is, qui relinquitur, ad secunda vota, ut vult Innocentius III., transire possit: licet, ut præmiserat, quidam prædecessorum nostrorum sensisse aliter videantur, ita enim recte legit Baluzius, non uti decretales nostræ: licet quidam prædecessor noster sensisse aliter videatur. His verbis alludit Innocentius III. ad decretalem Cælestini III., ex qua fragmentum sistit cap. 1. §. de conv. infid., item ad decretalem Innocentii I., cujus fragmentum sistit Gratianus Caus. 28. q. 1. c. 1. Hinc deducimus, Innocentium III. credidisse, quod juxta Innocentium I. vinculum matrimonii in casu Apostoli non possit solvi. Absit ergo, ut Innocentii III. de hac quæstione sententia, ad generalem, ubique & semper notam ecclesiæ praxin, referri possit.



## P R O B A T I O N E S

*PRO INSOLUBILI VINCULO MATRIMONII*

E X C E R P T Æ

E X

VIRI CLARISSIMI

JOSEPHI VALENTINI

Y B E L,

*IN UNIVERSITATE VIENNENSIS*

U. J. D. jur. eccles. prof. publ. Cæs. reg.

I N T R O D U C T I O N E

I N


JUS ECCLESIASTICUM CATHOLICORUM.



V I E N N Æ,

Typis JOSEPHI NOBILIS DE KURZBÖCK,  
 Cæs. reg. aulæ Illirico-Orientalis, nec non  
 incl. inf. Auftriæ ord. typogr. & bibliop.

C M C C C L X X V I I .



Faint, illegible markings and bleed-through from the reverse side of the page, including what appears to be a date at the bottom: 1771.



§. 369. **I**D autem, quod in con-  
tractu matrimonii singu-  
lare est, notabis : scilicet eundem  
non solvi, si semel valide contrac-  
tus consummatusque fuerat, etsi ad-  
alterium intervenerit (a).

(a) Matth. XIX. v. 5. Et quidem novimus  
illas generatim latas sanctiones, quicumque di-  
miserit uxorem suam, & aliam duxerit, adulte-  
rium committit super eam, & si uxor dimiserit  
virum suum, & alii nupserit, mœchatur. Marc.  
X. v. 11. 12. OMNIS, qui dimittit uxorem  
suam, & alteram ducit, mœchatur, & qui di-  
missam a viro ducit, mœchatur. Luc. XVI. v. 18.  
Quapropter etiam Apostolus I. ad Cor. VII. v. 10.  
ait : iis autem, qui matrimonio juncti sunt, præ-  
cipio, non ego, sed Dominus, uxorem a viro non  
discedere : quod si discesserit, manere innuptam, aut  
viro suo reconciliari. Leguntur quidem apud S.  
Matthæum cap. V. v. 9. Omnis, qui dimiserit  
uxorem suam, EXCEPTA FORNICATIONIS  
CAUSA, facit eam mœchari : & qui dimissam  
duxerit, adulterat. dico vobis, quia quicumque  
dimiserit uxorem suam NISI OB FORNICA-  
TIONEM, & aliam duxerit, mœchatur. Verum  
Cornelius a Lapide provocat ad interpretationem  
Z 2

SS. patrum, hæc verba Christi ita intelligentium, ut, quicumque uxorem dimiserit, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchetur tum dimittendo uxorem, tum aliam ducendo; hoc est bis mœchetur, adeoque etsi non mœchetur is, qui uxorem dimittit ob fornicationem, mœcharetur tamen ille, qui uxore ob fornicationem a se quo ad thorum & mensam dimissa, aliam duceret. Ceterum ad conc. Trid. sess. XXIV. canonem 7. de sacr. matrimonii hęc concepitum verbis: *Si quis dixerit ecclesiam errare cum docuit & docet, juxta evangelicam & apostolicam doctrinam, propter adulterium alterius conjugum matrimonii vinculum non posse dissolvi, .... anathema sit*, juvat audire celebrem de re sacramentaria scriptorem doctorem Sorbonicum ordinis Prædicatorum Hyacintum Drouvenium, qui ita disserit: " Quamquam Græci & orientales, tales culpabiles sunt, reveraque a Latinis facte fuerint reprehensi; non ideo tamen hæretici sunt dicendi, quia non eos concilium Tridentinum anathemate ferit, sed Lutheranos & Calvinistas Romanæ ecclesiæ calumniatores; rem ita narrat cardinalis PALAVICINUS in historia concilii Tridentini: canon, INQUIT, paratus fuerat cum anathemate in eum, qui diceret, matrimonia consummata ob adulterium dissolvi; sed oratores Veneti exposuerunt patribus, septimo canone, nisi moderatione aliqua reformaretur, inferri posse non modicam offensionem orientis ecclesiæ, præsertim vero Græcis, in subjectis reipublicæ Venetorum locis degentibus, scilicet in insulis Cretæ, Cypri, Corcyræ &c. non solum cum publicæ quietis, sed etiam cum catholicæ ecclesiæ detrimento: tametsi enim Græca ecclesia a Romana ex parte dissentit-



„ ret, non eo tamen desperationis deventum  
 „ esse, ut meliora sperari non possint, præser-  
 „ tim cum Græci in subjectis reipublicæ lo-  
 „ cis degentes, quamvis ritu suo viverent,  
 „ tamen præsulibus a Romano pontifice af-  
 „ sumptis obtemperarent: ea propter tum re-  
 „ rum convenientia, tum oratorum munere se  
 „ compelli, ne ipsi eos populos percuti sine-  
 „ rent ejusmodi anathemate, quo ad tumul-  
 „ tum & integram a sede apostolica defectio-  
 „ nem provocarentur: fatis constare in more  
 „ positum apud Græcos, ut uxorem adulteram  
 „ deserant, & aliam ducant, veterrimam ma-  
 „ jorum consuetudinem, ut ipsi dicunt, secu-  
 „ ti: nec idcirco illos damnatos aut anathema-  
 „ te percussos fuisse ab ulla synodo œcumeni-  
 „ ca, etiamsi Romanæ & apostolicæ ecclesiæ hu-  
 „ jusmodi mos liquido innotuisset: existimare  
 „ igitur oratores, sui esse muneris, quam effi-  
 „ cacissime possent postulare, ut voces canonis  
 „ adeo moderate lenirentur, ne Græcis detri-  
 „ mentum inferrent... posse, quantum ipsi pu-  
 „ tabant, & obtineri, quod synodus intende-  
 „ bat, & reipublicæ satisfieri, canone ejusmo-  
 „ di verbis conflato: „ ANATHEMA SIT, SI  
 „ QUI DIXERIT, SACRO SANCTAM RO-  
 „ MANAM CATHOLICAM & APOSTOLI-  
 „ CAM ECCLESIAM, QUÆ MATER & MA-  
 „ GISTRA ALIARUM EST, ERRASSE AUT  
 „ ERRARE, CUM DOCUIT & DOCET, PRO-  
 „ PTER ADULTERIUM ALTERIUS CON-  
 „ JUGUM MATRIMONIUM NON POSSE  
 „ DISSOLVI. &c. ” Cum itaque patres Triden-  
 „ tini Venetorum postulationi acquieverint, &  
 „ ad eorum sententiam canonem septimum re-  
 „ formarint; manifestum est, hoc decreto non  
 „ Græcos, sed Lutheranos & Calvinistas, qui

„ Romanam ecclesiam erroris & favæ tyranni-  
 „ dis accusabant, anathemate esse percussos :  
 „ qua de re si quis adhuc dubitat, adtendat  
 „ ad morem a concilii Tridentini temporibus  
 „ ad hanc usque diem inviolabiliter observa-  
 „ tum : in his enim provinciis ac dicecesibus,  
 „ ubi Græci Latinis permixti proprias ecclesias  
 „ habent, a Latinis episcopis, quibus subji-  
 „ ciuntur, contra antiquam, quam hæctenus  
 „ retinuerunt matrimonia propter adulterium di-  
 „ rimendi consuetudinem, nihil legimus ordi-  
 „ natum ; tantumque synodicis constitutioni-  
 „ bus cautum est, ne mariti auctoritate pro-  
 „ pria, nullaque præmissa forma iudicii, ux-  
 „ res adulterii prætextu dimitterent, & novis  
 „ deinceps uxoribus jungerentur : TAM FA-  
 „ CILE DIRIMI INTER CONJUGES GRÆ-  
 „ COS MATRIMONIA, inquebat Cardina-  
 „ lis Montaltius, Montis-regalis in Sicilia  
 „ archiepiscopus, in synodo provinciali anno  
 „ 1652. habita, APPROBARE NULLO  
 „ MODO DEBEMUS, IDEOQUE HUCUSQUE  
 „ FACTAS SEPARATIONES QUOAD VIN-  
 „ CULUM, EXTRA JUDICIALITER & AUC-  
 „ TORITATE PROPRIA, NULLAS FUISSE  
 „ ATQUE IRRITAS DECLARAMUS. Lib. IX.  
 „ q. 4. cap. 1. §. 2. sub finem in edit. Venet. 1756.  
 „ pag. 451. Idem auctor eodem in loco, post-  
 „ quam synod. Arelat. can. 10., Lactantii di-  
 „ vin. instit. lib. VI. cap. 23., concilii Venetici  
 „ a. 465. can. 2., vetus pœnitentiale Romanum,  
 „ capit. Caroli M. l. V. cap. 19. Basilii epist. I.  
 „ canonic. ad Amphilochium cap. 9., tamquam  
 „ *obstantia* adduxit, subjungit : ” fateor laudata  
 „ testimonia, & ejusdem sensus alia, quæ as-  
 „ ferri poterant, contrariæ sententiæ magis fa-  
 „ vere quam nostræ : me haud equidem la-

„ tet, quosdam esse theologos, in conciliandis  
 „ & explicandis patribus tam miræ sagacitatis,  
 „ ut putent Lactantium, Basilium, & cæte-  
 „ ros, ad communem ecclesiæ doctrinam ab-  
 „ que ullo negotio revocari, ponendo nimi-  
 „ rum, eos esse locutos non de licentia, quam  
 „ evangelium faciat, sed quam leges civiles  
 „ concesserint: verum, ut libere dicam, quod  
 „ sentio, hoc mihi non operosum tantum, sed  
 „ & impossibile prorsus videtur, quod ultro  
 „ concessurum confido, quisquis verba Lactan-  
 „ tii & aliorum attentius pensitaverit. Dico  
 „ itaque cum cardinali BELLARMINO NA-  
 „ TALI ALEXANDRO, & aliis magni no-  
 „ minis theologis, in obscurissima quæstio-  
 „ ne, quæ tum temporis non erat liquido di-  
 „ sceptata, nec ab aliquo generali concilio ex-  
 „ plicata, veteres, qui opponuntur scriptores,  
 „ cum aliqua excusatione errasse., Hinc etiam  
 „ deprehenduntur in caus. XXXII. Quæst. VII. ca-  
 „ nones 1., 2., 3., 4., 6., 7., 8., 10. & 22. discre-  
 „ pantes cum can. 17., 19., 23. & 24., quos Gra-  
 „ tianus non recte omnes conciliat. Conf. Van Es-  
 „ pen in comment. in II. part. Grat. Tom. III. edit.  
 „ Lovan. de a. 1753. pag. 638. & seq., ubi addi-  
 „ tur nota: *Notandum tamen est, quod indissol-  
 „ ubilitas matrimonii in casu adulterii tamquam de  
 „ fide non fuerit definita: quippe in canone, quem  
 „ sess. 24. condidit Tridentinum concilium, id unum  
 „ docuit, DE FIDE ESSE ECCLESIAM NON  
 „ ERRARE, CUM JUXTA EVANGELICAM  
 „ VERITATEM DOCET, MATRIMONII VIN-  
 „ CULUM PROPTER ADULTERIUM DIS-  
 „ SOLVI NON POSSE. Porro aliud est, definire  
 „ de fide esse ecclesiam non errare, cum docet vin-  
 „ culum matrimonii non posse dissolvi; aliud vero  
 „ definire de fide esse vinculum matrimonii solvi non*

posse. Idem notat celeberr. Engelbertus Klupfelius, ord. S. August. eremit. S. theol. D. & prof. Friburgensis, in eleganti dissertatione, quam inscripsit: *Tertulliani mens de indissolubilitate matrimonii infidelium altero converso*, & quidem hisce verbis: *manifestum est, dogmatibus fidei communem Latinorum sententiam adnumerari necdum posse. §. 3.*

\* Hinc nostro ecclesiastico jure reprobantur etiam aliæ causæ, ex quibus matrimonia dissolvunt protestantes, scilicet ad aliud conjugium permittentes transitum, si conjux alter alterius vitæ infidias struxerit, si concubitum pertinaciter recuset, si eum malitiose deseruerit, si perpetuo carceri sit mancipatus, si sterilitatem aut abortum procuraverit &c. uti ob hæc laudatus Klupfelius l. c. perstringit Boehmerum jur. eccles. tit. de divort. Jo. Laur. Mosheim comment. de divort. Jenæ 1757. Henr. Brouwer de jure connubiorum L. II. Delphis 1714. Frid. Spanheim dub. evang. P. III. pag. 887. Genevæ 1639.

§. 370. Imo noveris, nostram quidem etiam hanc esse sententiam: *matrimonium in infidelitate contractum per professionem religionis Christianæ alterutrius conjugum haud solvi (a).*

(a) Qui de hac sententia inter se decertant, in tres diversas abeunt partes.

Prima est eorum, qui eo progrediuntur, ut asserant, mox cessare matrimonium, ubi unus conjugum, altero inter infideles permanente, bap-

tismatis sacramentum suscepit. Verum rectissime contra hos pronunciatum fuit a synodo Meldensi can. I. *Crimina in baptismo solvuntur, non conjugia*. Apud Grat. caus. XXVIII. Q. II. can. 1., atque etiam ab Innocentio III. in Cap. 8. § de divortis repetitum. Enimvero matrimonia infidelium (quos scilicet tempore contractus nulla adhuc impedimenta humani juris tangebant, juxta illud: *quid mihi cum iis, qui foris sunt*) tanto minus poterunt dici sola alterutrius conjugum conversione dirimi, quanto clariora sunt hæc Apostoli verba: " si quis  
 „ frater uxorem habet infidelem, & hæc con-  
 „ sentit habitare cum illo, non dimittat illam.  
 „ Et, si qua mulier fidelis habet virum infide-  
 „ lem, & hic consentit habitare cum illa,  
 „ non dimittat virum: sanctificatus est enim  
 „ vir infidelis per mulierem fidelem, & sanc-  
 „ tificata est mulier infidelis per virum fide-  
 „ lem. „ Hinc etiam Benedictus XIV. constit. *Apostolici ministerii*, edita die XVI. Sept. 1747. proseripfit abusum, quo nonnulli existimabant licere, ut Judæus ad fidem Christianam conversus, uxori in pristina infidelitate persistenti libellum repudii mittat, & hac ratione eidem det libertatem ad alia vota transeundi. Conf. cit. differt. Engelberti Klupfelii *Tertulliani mens de indissolub. matrimonii* §. 29.

Alter pars eorum est, qui defendunt, sola quidem unius infidelium conjugum conversione matrimonium non solvi; attamen, si alter inter infideles permanens, converso vel prorsus non, vel non sine injuria Creatoris veræque religionis blasphemia volente cohabitare, ex hac causa matrimonium dissolvi posse, cum & Apostolus loco citato porro dicat: *Quod si infidelis discedit, DISCEDAT: non enim servituti*

*Subiectus est frater aut soror in huiusmodi : in pace autem vocavit nos Deus : atque illud discedat non tantum quoad thorum & mensam, sed & quoad vinculum intelligi debere, cum Apostolus distinguat matrimonia fidelium a matrimoniis infidelium, & de illis scribat : iis, qui matrimonio juncti sunt, præcipio, non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere, quod si discesserit, MANERE IMNUPTAM, aut viro suo reconciliari : & vir uxorem non dimittat. De his vero subjiciat : discedat, NON ENIM SERVITUTI SUBJECTUS est frater aut soror in huiusmodi. Cui sententiæ etiam adstipulatur Innocentius III. in cap. 7. & 8. x de divort., absque dubio motus caus. XXVIII. q. II. can. 2., cujus tamen non S. Gregorius, sed Hilarius diaconus author est. (cl. de Riegger P. IV. §. 217.) nec non adstipulatur Benedictus XIV. in synod. diœces L. VI. cap. IV. n. 3., solummodo monens, infidelem de hoc interpellandum, aut, si interpellari non potest, dispensationem summi pontificis necessariam esse. Vid. ej. constit. 3. bullarii tom. I. Et ita quoque sentit Drouvenius L. IX. l. c. §. 3. pag. 452.*

Tertia denique pars illorum est, qui illud *discedat* de separatione quoad thorum & mensam, non autem quoad vinculum sumi debere docent. Hoc, ait laudatus Klupfelius, *propugnant* episcopi & theologi Galliarum, „ qui a „ 1757. cum Judæus, nomine Levi, ad fidem Christi adductus, novas inire nuptias peteret, vivente, quam in Judaïsimo duxerat uxore, statuerunt, ad conjugium aliud permitti non posse transitum, quamdiu vixerit „ uxor in Judaïsimo ducta ; eademque occasione „ Parisiis prodijt dissertatio, qua evincitur S. „ Paulum ad I. Cor. VII. 12. 13. nequaquam tra-

„dere, ob favorem religionis Christianæ dissol-  
 „vi ulla ratione connubia posse. Editi idcirco  
 „pariter fuerunt a. 1763. S. Augustini duo li-  
 „bri de adult. conjug., Latine & Gallice, dica-  
 „ti illustrissimo Sueffionensi præfuli Fitziamefio,  
 „quemadmodum testatur Dinovartus in novif-  
 „sima editione methodi stud. theol. a Dupinio  
 „Gallice conscriptæ, ad calcem catal. auctor. de  
 „matr. Gallorum sententiam secutus est Augu-  
 „stinus Gervasio Augustinianus L. V. de ma-  
 „tr. cap. V. pag. 855., eandemque doctrinam  
 „adoptavit Paulus Josephus Rieggerius Jurispr.  
 „ecclæs. part. IV. pag. 134. Vindob. 1774. „  
 Vere secutus hanc sententiam Rieggerus, præfe-  
 rens causæ XXVIII. Q. II. canonem 1. illi spurio  
 ibid. C. 2., & deliberate secutus, utpote hæc  
 porro subjungens verba: *neque me in hujus*  
 (Gervasio) *sententiam ivisse pœnitet.* Et multa  
 sane eruditione demonstrat laudatus Klupfelius,  
 mentem Tertulliani veterumque Christianorum  
 abhorruisse a nuptiis *discedente infideli* cum a-  
 lio celebrandis. Provocat scilicet ad authorita-  
 tem Tertulliani (Edit. Paris a. 1675. post Ri-  
 galtianam a le Prieur) L. II. ad uxor. num. 2.  
 pag. 167. n. 3. p. 168. num. 7. pag. 170. Lib.  
 de monog. num. XI. cap. VII., ubi Tertullia-  
 nus sententiam suam firmat ulterioribus Pauli  
 hisce verbis: *alligatus es uxori? Noli quarere*  
*solutionem: & pag. 530., ubi in verba: Quos*  
*Deus conjunxit, homo non separet: ita commen-*  
*tatur: solus enim ille separabit, qui & conjun-*  
*xit; separabit autem non per duritiam repu-*  
*dii, quam exprobat, & compefcit; sed per debi-*  
*tum mortis: nec non num. XIII. Improbat de-*  
*in recte sententiam, nec ei servanda fides con-*  
*jugit, qui Deo fidelis esse recusat (Drouven.*  
 Tom. II. de re sacr. pag. 453.) quandoquidem

ex hoc axioma sequeretur, etiam universe inter fideles, uno conjugum in hæresim aut infidelitatem incidente, alterum ad novas nuptias transire posse: id quod tamen canone 5. sess. XXIV. concil. Trid. damnatum est. Advertit tam sollicitè, quam acute, in verbis Pauli Apostoli *quod si infidelis discedit, discedat*, comprehenduntur desertionem, non blasphemias in Christum ejusque sanctissimam religionem, quæ alioqui nullum fidelem conjugem, patienter ejusmodi sustinentem, & gratia divina adjutum, ex mente Tertulliani turbabunt; atque verbo *discedat* nondum designari separationem a vinculo matrimonii, sed tantum *quoad thorum & mensam*, imo *discedat* pertinere ad infidelem discedentem, & id non esse adprobantis, sed potius improbantis ac detestantis; nempe, si discedit infidelis, *discedat sua culpa, suo periculo, ac propterea remanens fidelis non angatur, cum in ejusmodi casu non sit subjectus servituti discedentem sequendi, ejusque cohabitationem religioni præferendi*; quemadmodum in eadem epist. Pauli v. 10. & 11. *χωρισθῆναι*: *discesserit* non solutionem vinculi connubialis significat; porro urget adversarios ipsissimis Apostoli verbis, **IIS, QUI MATUIMONIO JUNCTI SUNT, præcipio non ego, sed DOMINUS, uxorem a viro non discedere: QUOD SI DICESSERIT, MANERE INNUPTAM, aut viro suo reconciliari.** Quæ verba nimirum concordant cum illis, a Salvatore intuitu omnium conjugatorum prolatis: **OMNIS, qui dimittit uxorem suam, & alteram ducit, mœchatur, & qui DIMISSAM A VIRO DUCIT, MŒCHATUR.** Luc. XVI. 18.: & quibus, ait, dein contradixisset Apostolus, si dum Christus docuit, omnem dimissam debere manere innuptam, sal-



tem alicui dimissæ dissolutionem quoad vinculum concessisset; ut igitur dici debeat Apostolum, qui in præmissis suis verbis ad Christi doctrinam sollicitè respexit, & inde etiam cum conjugè infideli, si is consentiat cohabitare, manendi obligationem ipse derivavit, tantummodo de libertate deserentem non sequendi, non de libertate matrimonium aliud ineundi, suam sententiam dicere voluisse; tanto magis, quod etiam in subsequentiis generaliter pronunciat: *Mulier alligata est legi, quanto tempore vir ejus vivit; quod si dormierit vir ejus, liberata est: cui vult, nubat: atque ita hoc loco, nec non ad Rom. cap. VII. 2. 3. casum indigitat, quo solo nubere licet. In cujus interpretationis firmationem subjungit verba Chrysostomi: Quando igitur vir ejicere vult uxorem, & uxor relinquere virum, hujus memor sit dicti, & Paulum putet esse præsentem, & persequi se clamando & dicendo: mulier adstricta est legi: Nam quemadmodum servi fugitivi, etiamsi domum herilem relinquunt, catenam secum trahunt attrahentem, ita & mulieres, etiamsi viros relinquunt, legem habent pro catena se persequentem & adulterii accusantem ac dicentem: adhuc superest maritus, & adulterium facimus, hoc est: mulier enim adstricta est legi, quoad vixerit maritus illius. Et omnis, qui dimissam in uxorem acceperit, adulter fit. Quando igitur licebit illi secundas nuptias contrahere? Quando? Tunc, ubi a catena liberata fuerit, quando vir morietur solum. Commonstrat Apostolum non commisisse tautologiam, etsi tam versus 10. & 11., quam versus 12. & 15. solummodo de separatione quoad thorum & mensam sint intelligendi; quoniam explanata in versu 10. & 11. doctrina, quam Salvator de indissolubilitate conju-*

gii servandam tradidit, eandem quoque ad conjugia infidelium quidem pertinere: sed tamen, ceterum, si discesserit infidelis, ut redeat multis agendum non esse, Corinthiis de hoc dubitantibus, in subsequente utroque versu exposuit. Et relata ex Tertulliani L. I. ad uxorem sententia, *Christum separandis matrimoniis & delendis conjunctionibus non advenisse*, pergit laudatus vir: "Legant, relegantque codicis evangelici paginas... & proferant, si possunt, vel unum probatæ fidei scriptorem, qui asserat Christum indulgisse, ut ex speciali in favorem Christianæ religionis privilegio dirimi posset matrimonium neophyti Christiani, si conjux infidelis vel cohabitare recuset, vel non sine Conditoris injuria, aut perversionis metu cohabitare velit.", Imo inde non favorem, sed detrimentum rei Christianæ & odium in animis gentilium nasciturum fore, ait, si prætextu fidei Christianæ permessa essent divortia, & ita apud multos nesciretur, an ad sanctissimam religionem sincero convictoque animo, an vero uxoris suæ lippæ egenæve loco venustioreni ditioremve accipiendi causa fuerint conversi; atque hinc etiam tale exemplum in tota antiquitate Christiana non reperiri, nec ab ethnicis, quorum plerisque divortium & repudium probrosum videbatur, quamvis toties falsa crimina Christianis objecerint, ejusmodi divortia unquam objecta fuisse, sed ipsos potius, uti videri potest in *Tertulliani apologico adversus gentes*, a Christianis propterea fuisse reprehensos. Denique, qui hanc sententiam incusant, quasi vero ex suavi jugo Christi durum atque inhumanum redderet, ex iis quærit cum Augustino L. II. de adult. conjug. num. IX. censeantne *admittenda incontinentium mur-*

*mura & permittenda adulteria? Aut num fortasse & propterea lex Christi dura dicenda sit, quod conjuge uno in furorem aliumve morbum non sanandum delapso, aut in carcerem perpetuum abrepto patriave pulso, ad alias nuptias transire non licet, quamvis libidinosi, etiam in matrimonio rato, difficultatem sese continendi persentiant.*

\* Erudite advertit laudatus scriptor, primum, qui apud Romanos dimissa uxore alteram duxit, fuisse SP. CARBILIUM, rem ita enarrante Aulo Gellio: *Memoriæ proditum est, quingentis fere annis post Romam conditam, nullas rei uxoriæ neque actiones, neque cautiones in urbe Roma, aut in Latio fuisse; quia profecto nihil desiderabatur, nullis etiam tunc a matrimoniiis divertentibus. SER. quoque SULPITIUS in libro, quem composuit de dotibus, tum primum cautiones rei uxoriæ necessarias esse visas scripsit, cum SP. CARBILIUS, cui RUGA cognomentum fuit, vir nobilis, divortium cum uxore fecit: quia liberi ex ea corporis vitio non gignerentur, anno urbis conditæ DXXIII. M. ATILIO P. VALERIO consulibus..... Pellicem autem appellatam, probrosamque habitam eam, quæ juncta consuetaque esset cum eo. LIB. IV. notium Atticarum cap. III. MATUREIUS APUD ISRAELITAS INVALUISSE DIVORTIA, DOCENT SPENCERUS lib. III. de legibus Hebræorum ritualibus dissert. I. sect. III. SELDENUS lib. III. de uxore Hebræa cap. XXII.*

De controversia, num libello repudii, quem Christus abrogavit, etiam vinculum matrimonii diremptum fuerit, quod cum S. Augustino negant alii, alii tamen affirmant, conf. Jo. Laur. Bertius tom. IV. de disc. theolog. cap. X.

Non reticet Klupfelius, Tertullianum profus eo abiisse, ut ob diversitatem religionis ne separandos quidem a thoro & mensa conjuges putaret; imo etiam intercedente alterutrius conjugum morte novas nuptias non admitteret, atque ab hac quidem sententia se cum omnibus orthodoxis alienissimum esse profiteretur. Ceterum vero ostendit ipsa Tertulliani verba lib. IV. contra Marcionem cap. 34. contraria esse sententiæ Launoji, qui in tractatu de regia in matrimonium potestate pag. 538. defendit, Tertullianum dissolutionem vinculi conjugalis ex causa adulterii admisisse.

\*\*\*\* Male autem ex hoc, quod *baptismus conjugia non solvat*, & ex allatis pro valore & indissolubilitate matrimonii infidelium argumentis, inferres cum Wolf. Trienio in disert. period. ad legem evangelicam de divortii corol. VII. pag. 32. & Bruknero decis. matrim. cap. XIV. §. 63. & sequ., ab infideli ad fidem nostram converso retineri igitur posse uxores, quas plures simul in infidelitate duxit. Enimvero etiam polyginæcia in jure naturali absoluto permessa fit, prohibita tamen fuit legibus evangelicis, quæ tamquam leges universales conjugia, cum *pluribus* simul inita, omnino nulli *valida* atque *licita* esse finunt: cap. 8. de divort. unde etiam P. Reiffenstuel lib. III. tit. XXXIII., Barbosa eod. tit. n. 11., Engel eod. n. 1., concludunt, ab infideli converso, quam primam in infidelitate duxit, ceteris dimissis, retineri debere.

\*\*\*\* Leges civiles de divortii vide in L. 8. 9. 10. 11. Cod. de repud. Nov. 22. cap. 6. Nov. 117. cap. 8. 9. 10. Nov. 140. Edict. Theodorici reg. cap. 54. Leg. Wisigoth. L. III. Tit. 6. Marculf.

Marculf. L. II. form. 30. Leunclav. jur. Græc. Rom. P. I. L. VIII.

\*\*\*\* Scripsit de hoc argumento etiam clariss. P. Hilar. Robeck, ord. S. August. S. theologiæ doctor & professor in universitate Pragenfi : & nactus quidem est adversarium P. Æmilian. Petrasch, ord. Cisterc., sed adversarium tantummodo, non refutorem. Cur id quæstionis genus non delibaverint plures, fortasse hæc causa est, ait laudatus Klupfelius, *tum quod communem sententiam parum solidam esse intelligerent, tum quod adverso confertoque cum examine, quod invidiæ plenum est, colluctari nolent.* §. 6.

§. 371. *Ceterum jam ex supra allatis patet, & minime dubitandum est, matrimonium quidem etiam fidelium, si tantummodo fuerit ratum, quo scilicet nondum habentur duo in carne una, quales expositum numinis præceptum respicit, humana, modo publica auctoritate dissolvi. (a)*

(a) Profecto illa matrimonii rati per professionem solemnem dissolutio, unice ex humana lege, tantam virtutem huic professioni tribuente, descendit, atque in unica fundatur auctoritate eorum, quibus actiones nostras permissivas, seu divina lege nondum determinatas, pro arbitrio ad præfixum finem dirigendi potestas obtigit.

*Elenchus eorum, quæ in hoc volumine continentur.*

**P**Ræfatio ad Carolum Ludovicum Richard,  
Dominicanum *in partibus.* pag. III.

Positiones pro insolubilitate matrimonii in  
casu Apostoli, Lovanii propugnata 6. Julii &  
19. Octobris 1770. 1.

Eximii F. Josephi Maugis, ord. erem. S. Au-  
gustini, in univ. Lovan. S. T. D. R. Disserta-  
tio Theologo-Canonica pro solubilitate matri-  
monii in casu Apostoli. 2.

Positio pro insolubilitate matrimonii in casu  
Apostoli, Lovanii propugnata 15. Decembris  
1770. 51.

Viri clarissimi Judoci Le Plat, in univ. Lo-  
van. J. U. D. & profess. Dissertatio Historico-  
Canonica pro insolubilitate matrimonii in casu  
Apostoli. 51.

Illustrissimi viri Augustini Gervasio, eremitæ  
Augustiniani, episcopi Gallipolitani in regno  
Neapolitano, Dissertatio pro insolubilitate ma-  
trimonii in casu Apostoli. 113.

Eximii F. Josephi Maugis, ord. erem. S. Au-  
gustini, in univ. Lovan. S. T. D. R. Prose-  
cutio dissertationis Theologo-Canonica, pro so-  
lubilitate matrimonii in casu Apostoli. 133.

Positiones pro insolubilitate matrimonii in  
casu Apostoli, Lovanii propugnata 23. Au-  
gusti 1771. 268.

Paulini Nervii juris-consulti pro insolubilitate  
matrimonii in casu Apostoli Certamen Theo-  
logo-Juridicum. 269.

Positio pro insolubilitate matrimonii in casu  
Apostoli, Lovanii propugnata 28. Novembris  
1772. 342.

Viri clarissimi Josephi Valentini Eybel, in  
univ. Viennensi U. J. D. & profess. publici Proba-  
tiones pro insolubilitate matrimonii in casu  
Apostoli. 343.

36  
E  
I  
caf  
19  
gu  
tio  
mo  
I  
Ap  
177  
V  
van  
Car  
Ap  
II  
Aug  
Nea  
trin  
E  
guft  
cuti  
lub  
P  
cafu  
gufti  
Pa  
te m  
logo  
Po  
Apo  
1772  
V  
univ  
tione  
Apo

ntinentur.  
Richard,  
pag. III.  
monii in  
5. Julii &  
1.  
S. Au-  
Differta-  
te matri-  
2.  
i in cafu  
Decembris  
51.  
niv. Lo-  
Hiftorico-  
in cafu  
51.  
eremitae  
n regno  
ate ma-  
113.  
S. Au-  
Profe-  
pro fo-  
133.  
monii in  
23. Au-  
268.  
lubilita-  
a Theo-  
269.  
in cafu  
vembris  
342.  
bel, in  
Proba-  
n cafu  
343.

